PHYSICÆ
SIVE
NATVRALIS PHILOSOPHIÆ
Tractatus Secundus

Ad ſecundum Librum Phyſicorum Ariſtotelis

In quo diſputatur de natura, & de omnibus cauſarum generibus.

Auctore

P. GREGORIO FERRARIO

E SOCIETATE IESV.

CVM PRIVILEGIIS.

MEDIOLANI,

Apud Io. Bapt. Cerrium. M. DC. XXX.

INDEX

Præcipuorum, quæ in hoc ſecundo tractatu Phyſicorum continentur.

Littera M.medium F.finem 1. primam columnam 2.ſecundam ſignificat, vbi autem tantum numerus paginę eſt, vel res, tota pagina ſparſa eſt, vel eſt in principio alicuius columnę.

B *Quæ*

Causa

Laus Deo, Beatæque Virgini Mariæ.

INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum, qui hoc secundo tractatu continentur.

DISPVTATIO PRIMA

Ad secundum librum Physicorum.

De principio formali physici obiecti, & rerum naturalium, siue de Natura.

VISIS principijs, quibus obiectum physicæ ponitur in esse, restat vt consideremus de ipsa ratione formali, vt deinde procedamus ad passiones, quæ ex ipso sic constitu-o emanant, quæque demonstrantur de ip-o.est autem ratio formalis, vt diximus ini io quæstionis de obiecto, ratio naturalis, vnde de natura considerandum est, vt illa bene cognita procedi possit ad motum, qui atè acceptus prima rerum naturalium vi-letur passio, & assumitur in definitione na-turæ; & quoniam intellecta ratione natu-æ, nondum est absoluta consideratio rerũ aturalium, nisi etiam cognoscantur qua-uor causarum genera, à quibus dependẽt; deo de causis etiam tranctandum est, nam causa assumitur in definitione naturæ, & ertinet ad perfectam cognitionem rerum aturalium, non solum quia res omnes per-ectè cognoscũtur per suas causas; sed etiã uia res naturales primo quidem maxime ependent à materia, & forma, vt ex qui-us tamquam causis intrinsecis componũ-tur, secundò verò quia omnis passio, & ef-fectus naturalis cum sit propter finem, na-tura enim nihil facit frustra, iuuat maxime cognitio finis; tertiò demum efficiens cum sit, vnde motus, non potest haberi perfecta cognitio motus, nisi cognito efficiente; qua re de causis naturali philosopho agendum est, licet vniuersalis illarum cognitio spe-ctet ad Metaphysicam; quamquam cogno-scere causas non est vnius solum scientiæ, sed omnis scientia aliquatenus causas con-siderat, quantum scilicet necesse est ad co-gnoscendum suum obiectum, & illius par-tes. nos postquam de natura egerimus, de causis tractabimus, & ne iterum de illis multa repetere cogamur in metaphysica, la-tiùs ipsarum disputationem instituemus, ni-hil, quod ad perfectam cognitionem neces-sarium sit omittentes.

Inuocatio.

Naturam aggredimur explicandam faue naturarum procreatrix natura, quæ stabilis semper in te manens das cuncta moueri; so-la & simplicissima forma nesciens poten-tialitatem, continens omnem potentiam, sed retinens simplicitatem; sola sed non so-

 litaria,

litaria, quia ingenita & communicata, ac proinde in Patre ingenito, & in verbo à patre genito, & in Spiritu sancto ex vtroque procedente, eadem semper immutabilis nō diminuta, nec circumscripta, sed infinita; cuius virtute sunt quæcumque sunt, non necessitate, sed voluntate, à qua omnia creata sunt, & quæ videntur, & corporalia sunt, & quæ non videntur, & sunt sine corpore spiritualia; cuius viuacem potentiam, & omnipotentem essentiam pro posse corruptibilia imitantia moliuntur sibi similia irrequieto motu generantia, & cum motu deficientia, atque in suum nihilum redeuntia, cum eadem ipsa sis, & anni tui non deficiāt. O quam diuersa, cui nihil perit pereuntibus omnibus, quæ generantur; & quam stabilis mutans omnia, quæ natura constant, sine tui mutatione, & quam quieta, à qua sine motu omnis motorum, & mouentium motus, moue cor, moue linguam, moue manum nostram ad scienda, & enarranda mirabilia Quæ fecisti in creatura tua.

Quæstio prima de multiplici significatione naturæ, & ijs, quibus conuenit.

DE natura multa quærenda sunt; nam explicata multiplici ipsius significatione, & bene perspecta eius definitione videndum, quibus ratio naturæ conueniat, tū quid habeat cum arte commune.

Art. primus. Vtrum multiplex sit natura, & naturale.

VNam naturam posuisse videntur Nonnulli, qui existimarunt naturam esse vim quandam, ceu formam per totum orbē diffusam, per singulas eius partes commeantem, ex qua habeant res omnes vt nascātur, & moueantur; cuius incredibilem solertiā nulla ars valeat imitari; & de hac videtur cecinisse ille...

Principio cælum, ac terras, camposq; liquētes.
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaque astra.
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus.
Mēs agitat molē, & magno se corpore miscet
Inde hominum, pecudumque genus. &c.

Sententia communis Aristotelis, & omnium Peripateticorū est naturam dici & esse multiplicem, quæ sententia cum sola explicatione sit euidens ideo.

Pro solutione.

Notandum, quod huius nominis auctores varias acceptiones tradunt, Simplicius enim hic quinque refert, Eustratius 2. Ethicorum cap. 1. quatuor. S. T. 1. par. q. 29. art. 1. ad quartum Alber. hic à capite primo. Boetius de duabus naturis & persona Christi. Plutarcus, Rhodiginus, & alij plures, quod etiam præstitit Arist. 5. Met. t. 5. præcipuæ autem, si ita exactè non quæratur, hæ sunt. Primo accipitur nomē naturæ pro primo auctore & opifice rerum omniū Deo; ità sūpsisse videtur nomen naturæ philosophus 1. cæli. t. 20. cum dixit, bene fecisse naturam, quod cœlum exemerit à contrarijs; quia futurū erat incorruptibile; hinc apud aliquos philosophos est illa diuisio in naturam naturantem idest, vt dixit D. Aug. de Trinit. in naturam creatricem, & naturam naturatam, id est in naturam creatam. Secūdò accepta est natura pro congerie causarū secundarum, ità accepta videtur primo cæli, t. 32. 2. cæli t. 50. & alijs locis, vbi Aristotelis pronunciauit Deum, & naturam nihil facere frustra. Tertiò pro tota vniuersitate rerum, quo pacto dicitur in natura nihil esse inordinatum, nihil otiosum. Quarto pro mundo sublunari 12. meta. t. 38. ab hoc igitur inquit Philosophus principio, intellige Deum, cælum, & natura, idest mundus sublunaris dependet. Quintò pro subiecto, ex quo aliquid efficitur, hoc modo 5. Met. t. 5. æs dicitur natura statuæ, & vasorū æneorum. Sexto pro substantia, & essentia vniuscuiusque rei, quo pacto de fide est in tribus personis diuinis vnam esse naturam; sic etiā naturam accipit Arist. loco citato. Septimo pro differentia specifica, quo pacto dicimus naturam hominis diuersam esse à natura equi. Octauo sumitur pro notione vniuscuiusque rei, quomodo dicimus, naturam negationis nihil ponere in Mundo. Nonò natura sumitur pro generatione, hinc græcè natura dicitur φύσις ἀπὸ τοῦ φύειν q est gigni, nasci, fieri, & latinè natura à nascendo. Decimo sumitur natura pro termino generationis, idest forma, sic dicitur generatio

aeratio naturalis, eo quod fit via ad naturam, ideſt ad formam. Vndecimo ſumitur natura pro temperamento, & complexione mixtorum, quo pacto dicimus naturam alicuius eſſe robuſtam, ſanam; talem eſſe bonæ naturæ &c. Duodecimò ſumitur natura pro intrinſeco principio motus, & natiuitatis, & hæc eſt propria, & Phyſicæ naturæ acceptio, vel ex ipſo phyloſophi teſtimonio, qui caput illud citatum 5. Met. vbi poſuerat multas ex dictis naturæ acceptionibus, concludit dicens; ex dictis itaque prima, & quæ propriè dicitur natura eſt ſubſtantia eorum, quæ in ſe ipſis, vt ipſa ſunt, motus principium habent, hæ ſunt ferè naturæ acceptiones. Naturale quoque dicitur multis modis, nam primò naturale accipitur pro vt opponitur violento. ſic dicitur naturale lapidi deſcendere, igni aſcendere aquæ frigefacere &c. Secundò vt opponitur coacto, quo ſenſu dicimus naturale homini manere vbi vult, contra naturam manere in carcere. Tertiò dicitur naturale quod opponitur volũtario; ſic dicimus naturale eſſe homini nutriri, & accreſcere, volũtariũ ſtudere. &c. Quartò accipitur naturale pro vt contradiſtinguitur à rebus ſupernaturalibus, quomodo ſcientia dicitur donum naturale, gratia, & charitas ſupernaturale. Quinto dicitur naturale, quod eſt determinatum ad vnum, hoc modo motus grauium, & leuiũ dicitur naturalis, motus verò animalium non naturalis. Sextò naturale dicitur, quod eſt inſitum à natura, & contradiſtinguitur ab eo, quod aduenit extrinſecus; hac ratione naturale eſt aquæ frigefacere, non eſt naturale calefacere; quia calefacit per calorem, quem nõ habet à ſe, ſed ab extrinſeco. Septimò naturale dicitur de eo, qđ fit, vt plurimũ, vt homini naſci cũ quinque digitis naturale eſt, nõ naturale naſci cũ ſex. Octauo naturale accipitur pro vt cõtradiſtinguitur ab artificiali, ſic leo pict°, non eſt leo naturalis, naturalis vero eſt leo viuus, in quo ſenſu naturale dicit conflatum ex materia, & forma Phyſica, quæ ſũt principium pimum, & per ſe motuum, & mutationum phyſicarum; quæ eſt propria acceptio naturalis à phyſico cõſiderati. quare cum tot, & pluribus adhuc modis accipiatur naturale, & natura.

Dicendum multiplicem eſſe naturam, & naturale, quod ſatis patet ex dictis.

Art. 2. vtrum detur natura vniuerſalis.

Sententia affirmatiua eſt, communis, quam ſecuti ſunt, licet diuerſo modo, omnes antiqui primæ notæ ſapientes. Triſmegiſtus, Pythagoras, Plato, cum ſuis ſectatoribus, Ariſtoteles, & omnes Peripatetici communiter, qui omnes ponunt aliquã naturam communem, & vniuerſalem cæteris omnibus dominantem, licet in ea aſſignanda fortè diſcrepent.

Pro ſententia negatiua ſunt hæ rationes. Prima nihil fit in tota natura, quod non habeat ſuam cauſam ſpecialem, in quam referri poſſit; ergo fruſtra, & ſine ratione ponitur natura vniuerſalis; conſequentia patet, quia in rerum vniuerſitate nõ ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, & cauſa pro libito, & voluntate vniuſcuiuſque; antecedens probatur inductione per ſingula; nam ſi generatur ignis, vel aqua, datur cauſa generans, in quam hi effectus referri poſſint; ſi fiat aliquid calidum, vel frigidum, ſi ue alia talis accidentalis mutatio contingat, ſemper eſt aliquid, per quod proximè fit; ergo quæcumque fiunt in tota natura habent determinatas, & ſpeciales cauſas.

Secunda ratio. vniuerſale ex dictis alibi eſt vnum in multis; ſed quæcumque ſunt à parte rei multiplicantur in multis; ergo implicat aliquid à parte rei eſſe vniuerſale; minor probatur ex ijs, quæ cadũt ſub ſenſum; videmus enim accidentia eiuſdem ſpeciei in diuerſis ſubiectis multiplicari; ergo idem dici debet de alijs rebus, quæ non cadunt ſub ſenſum.

Tertia ratio. vniuerſale fit per intellectũ; ergo ſi datur natura vniuerſalis, hæc erit per intellectum; non ergo in rebus erit natura vniuerſalis; ſed ſolum per intellectum.

Quarta ratio. ſi aliqua ponenda eſſet natura vniuerſalis maximè propter gubernationem vniuerſi, & præcipuè hominum; ſed propter vniuerſi gubernationem ſufficiunt cauſæ particulares, propter hominũ directionem ſufficit prudentia, vnde dixit ille.

Nullum numen abeſt ſi ſit prudentia,

Ergo nõ eſt ponẽda natura vniuerſalis.

Pro cõtraria sẽtẽtia affirmatiua sunt hę rationes. Prima ab auctoritate philosophi, qui primo Oeconomicorũ. c.3.& 4 de gen. animalium c. vltimo. ait naturam esse, quæ per motum cœli omnia gubernat, & ad implet per hunc circuitum sempiternitatem; sed hæc natura, vt patet, non potest esse particularis; ergo datur natura vniuersalis.

Secunda ratio. aliquid intendit natura vniuersalis, quod non intendit particularis; ergo datur natura vniuersalis distincta à particulari; cõsequẽtia patet, antecedẽs probatur; quia ex primo Phys. t. 81. nulla natura particularis intendit sui corruptionẽ, & ratio est euidens ex primo eth. Cap. 1. quia bonũ est, quod omnia appetunt, corruptio vero est malũ rei, vt per se patet, & colligitur 2 de gen. t. 59. ergo concedi debet nã tura aliqua à particulari distincta, quæ tales corruptiones appetat propter bonũ vniuersi, quæ nõ potest esse nisi natura vniuersalis confirmatur ex illo t. 59. lib. 2. de gen. Natura appetit rerum vicissitudines, atque ità constituit motum cœli, per quem fieret accessus, & recessus; talis, vnde oriantur rerum generationes, & corruptiones; hæc autem non est nisi natura vniuersalis; ergo.

Tertia ratio. ex 8. Phy. t. 15. natura est causa ordinis in rebus; ergo alicuius naturæ munus est ità res ordinare, earumque actiones ità dirigere, vt vna alteram foueat, eiusque actiones non impediat, quantum exigit bonum vniuersi, etiamsi interdũ id fieri debeat contra agentis propensionem; sed hæc non potest esse natura particularis; ergo vniuersalis.

Quarta ratio ex 2. de partibus animaliũ, cap. 14. & 3. de generat. animal. c. 2. vniuersæ res sunt ità ordinatæ, vt rerum nobiliorum maior sit cura, quàm ignobiliorum; sed hanc curam habere non potest natura particularis, quæ solum particulare & proprium bonum inquirit, etiamsi alio ignobilius, & minus sit; ergo habet vniuersalis; ergo datur natura vniuersalis.

Quinta ratio. ex 2. cœli t. 50. & 59. natura nihil facit temere, sed omnia ratione, & consilio propter finem; sed in rebus multa sunt, quæ consilio, & ratione carent; ergo dari debet aliqua vniuersalis natura, cuius directioni, vt subsistant res, ratione quodammodo participare dicantur, & intendere finem.

Pro solutione.

Notandum, quod non minus in hac rerũ vniuersitate necesse est dari vniuersalem aliquam naturam, quam necesse sit in bene constituta, & optimis legibus vtente ciuitate, vel Republica esse publicum, & supremum concilium, quod omnia administret; nam si perturbari sæpius necesse sit, & sursum deque omnia misceri, si qua sit respublica, quæ optimatum consilio carens, popularium sit exposita furori, & vulgus præcipiti omnia agat temeritate; quanto magis sæpius perturbari oportebit hanc tantam rerum multitudinem, si nullius eam consilia gubernent, sed casui, & temeritati omnia permittantur; enimuero pessundari Rempublicam necesse est, dum priuatus quisque proprijs inseruit lucris, omniaque ad propriũ bonum refert, si absit publicum concilium, cui publicum bonum, & communis vtilitas curæ sit; quem ergo exitum iam diu habuisset hæc rerum vniuersitas, si singula tãtum ad proprium bonum spectarent, nihil de summa rei consilium caperet; nihil communi emolumento inseruiret; nam cum speciatim multa contraria sint, & clandestinis perpetuo inter se diffideant odijs, pugentque pro virili, vt socium de propria sede deijciant (hinc enim non solum mixta inter se, sed prima etiam elementa perpetua acie decertant, calidum frigidum debellare enititur, frigidum calido obluctatur, humidum contendit expugnare siccum, siccũ cum humido decertat) qui fieri potuisset, vt non iam tot præterlapsis, non lustris, & seculis, sed annorum millibus, in antiquũ illud fabulosum chaos omnia redijssent? & sane si nullus sanæ mentis homo, cui horologium affabrè factum offeratur, existimauerit vnquam tantam molem, tot, tantisque compactum inter se diffidentibus partibus casu extitisse, & sine vllo consilio coagmẽtatum, multoque minus sibi persuadeat eundem partium tenorem, eundem ordinem sine vllo prorsus dissidio, multis iam sæculis sine curatore retinuisse, quis erit adeo mentis inops, adeoque consilio præceps, qui mentis oculos in hanc rerum molem conijciens; statos, ratosque cælorum motus, constantes orbium conuersiones; syderum accessus, & recessus attendens, nec non seruatam perpetuo sine vlla totius perturba-

turbatione generationum, & corruptionũ vicissitudinem, vniuersalem mentem omnia moderantem non agnoscat? Quæ cum ità sint necessario.

Dicendum est dari naturam vniuersalem, quæ omnia moderetur; patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur ab alio simili, quandoquidem oportet intelligentem phantasmata speculari: si quis incurrat in viridarium multis, varijsque consitum floribus certum inter se ordinem retinentibus, expurgatum noxijs herbis, & arboribus dispositis in quincuncem statim in eam cogitationem veniet, vt existimet tali viridario præpositum esse aliquem, cuius opera, & industria disposita sint vniuersa, & ornatus ille conseruetur; nec sibi persuadere poterit constare totam illam elegantiam sine sapiente curatore; idem existimauerit aliu s si incidat in ædificium multis cõcameratum cameris, & omnis generis suppellectile instructum egregiè; quæ ergo potest esse causa, vt sine nota stultitiæ negari possit dari in amplo hoc Mundi domicilio, & elegantissimo specierum diuersarum viridario vniuersalem omnium curatricem naturam, cuius sapientia constent, seruenturque vniuersa; quare vniuersalem naturam, cuius curæ demandatum sit vniuersum, non negabit, qui satis mentis sit Compos.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod licet singuli effectus haberent suas speciales causas, nec recurrendum esset aliquando ad causam vniuersalem, de quo suo loco; tamen concedenda est aliqua natura vniuersalis, quæ omnes effectus ordinauerit, & cuius curæ sit prouidere; vt illum seruent ordinem, quem illis primo præscripsit; nene communi bono propter priuatum speciales causæ præiudicent; quare negatur consequentia, neque hoc, vt apparet, est multiplicare entia sine necessitate.

Ad secundam respondeo dicendum, quod vniuersale, vt alibi ostendimus, multiplex est, illud autem, de quo modo loquimur, est vniuersale per prouidentiam, & potentiam, seu in causando, quod potest esse vnum in se, & tamen prouidere multis, & illa in officio continere, atque cum illis coagere, sicut vnus princeps multis hominibus, atque adeo toti regno prospicit; quare non valent, quæ obijciuntur, cum procedant de vniuersali in prædicando. Ad tertiam patet ex dictis.

Ad quartam respondeo dicendum vtrãque causam ibi tactam ostendere poni debere in mundo naturam vniuersalem, nec valere, quæ contra afferuntur. Primo quia causæ particulares spectant ad bonum particulare; vnde aliqua alia dari debet, cui curæ sit bonum commune; præterea causæ particulares sunt deffectibiles, & inter se pugnant, debet ergo dari aliqua communis, quæ eas vindicet ab interitu, easque inter se conciliet, & contineat in officiò, ne vna alteram peffundet; quod dicitur de homine, non habet difficultatem tum quia valde angusta est hominũ prouidentia, & hæc non in multis; vnde ait sapiens cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ; tum quia multa excedunt humanam prouidentiam, quæ indigent prouidentia superiori; tum quia etiam si singuli sibi sufficerent, debet tamen dari pro tota specie prouidentia gubernatrix, quæ singulis populis prospiciat, singulorum merita perpendat, imperia definiat, & post certa annorum curricula in alias gentes transferat, vt hactenus ab orbe condito factum fuisse luculenter nos docent historiæ, sed de hoc alibi; testimoniũ autem illius poetæ accipi debet cum limitatione, quatenus excludit temerariam fortunam, quam ad excusandam propriam imprudentiam multi ponebant ex antiquis; nam aliter acceptum est falsum. cap. 9.

Art. 3. Vtrum natura vniuersalis sit cælum.

Sententiam affirmatiuam sequuti videntur aliqui Peripatetici, quibus nonnunquam fauet Aristoteles. Pro sententia tamen negatiua est & Arist. & ferè cæteri omnes sapientes, qui Deum, vel animã mundi, vel quid huiusmodi ponunt pro natura vniuersali. Pro sententia affirmatiuam probant hæ rationes.

Prima

Prima. Primo Meteor. c. 1. oportet hunc mundum superioribus lationibus esse contiguum, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur; ergo cœlum est natura vniuersalis: probatur consequentia, quia per cœlum omnia inferiora gubernantur; sed natura vniuersalis est illa, cuius gubernationi subsunt omnia: ergo cælum est natura vniuersalis.

Secunda ratio. omnia, quæ fiunt in mundo sublunari, per Astrologos reducuntur ad certas quasdam constellationes, quæ cõtinentur in cœlo. ergo cœlum est natura vniuersalis.

Pro contraria sententia negatiua.

Prima ratio. natura vniuersalis, de qua modo loquimur, debet se extendere ad totum vniuersum, atque adeo ad ipsum cœlum: ergo non potest esse cælum, sed aliquid cœlo superius.

Secunda ratio. natura vniuersalis ratione omnia disposuit: ergo debet esse prædita mente; sed cœlum non est mente præditum: ergo cœlum non est natura vniuersalis.

Tertia ratio. cœlum aliquando influit contra exigentiam causarum inferiorum, vt siccitatem, vel humiditatem, quando aliter postulant inferiora, quod idem est de calore, & frigore: ergo cælum ratione sui influxus non potest dici simpliciter natura vniuersalis; patet consequentia; quia natura vniuersalis ponenda est, vt vniuersale, & commune bonum procuret, cuius contrarium aliquando præstat cœlum.

Pro solutione.

Notandum, quod omnia ad sydera rationabiliter reduci non possum; nam omisso, quod sydera in libertatem hominum non possunt, de quo alibi, quod in speciebus animalium partim masculi, partim fœminæ nascantur; quod elementa cum perpetuo dissidio tamen omnibus sæculis retinuerint pacem; quod nec pluuijs terra, nec niuibus, nec caloribus afflicta animalibus commodam habitationem denegauerit, cũ tamen ad hæc incommoda aliquando sydera inclinent, aliunde hoc esse non potest nisi ex aliqua vniuersali natura, quæ totum orbem gubernet. & sanè constans ipse, & tam certus syderum motus arguit mentem aliquam omnia moderantem; nam qui fieri potest, vt sine ratione dispositi sint illi motus, & tot annis ijsdem legibus astricti perseuerent, si nulla mente reguntur, & nullius imperio continentur in officio, ne à præscriptis legibus exorbitent? quare cum ad bonum, & salutem sublunarium ipsi cœli non sufficiant, ijdemque indigeant directione, & causa prouidente.

Dicendnm est: dari naturam vniuersalẽ à cœlis distinctam. patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur, quia cœli nonnunquam, vel ob nimium calorem, vel ob siccitatem, vel ob aliã huiusmodi causam pestilentias, aliosque morbos ingenerant, vt docuit experientia, quibus & homines, & animantes consumerentur, nisi esset vniuersalior causa, quæ his incõmodis occurreret, & multa mala auerteret per se, & per suos ad ministros; præterea cœlum non potuit rebus sublunaribus præscribere finem, easque ad finem dirigere.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod concedendum est iuxta sententiam philosophi multa habere inferiorem hunc mũdum ex supernis lationibus; negari tamen non potest, quin pro ijsdem cœlis, & pro inferiore hoc mundo concedenda sit aliqua natura vniuersalior, quæ & superiores lationes sua sapientia aptas ad inferiora iuuanda constituerit; & particularibus casibus orbis sua prouidentia prospiciat, vindicetque ab interitu, quæ semel tam sapienter constituit.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod male per Astrologos reducuntur ad constellationes omnia, quæ in inferioribus aguntur; nam vt Argumentatur Augustinus cum sub ijsdem constellationibus nascantur homines, qui futuri sunt sapientes, qui reges, qui Domini, qui Prouinciarum gubernatores, & simul nascantur, qui futuri sunt stolidi, qui perpetuo seruituri, qui miserrima fortuna obituri diem, quomodo tã diuersi exitus in easdem causas reduci possunt. Accedũt ea, quæ habet D. Greg. ho. 10. in Euang. quæ sunt. vitam hominum solus conditor, qui creauit, administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt, & si stella fatum

homi-

hominis dicitur, ipsis suis ministerijs sub esse homo perhibetur, certè cùm Iacob de vtero egrediens prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, nisi subsequens inchoasset, & tamen cum vno tempore, eodemque momento vtrumque mater fuderit, non vna vtriusque vitæ qualitas fuit. & paulo post. Si in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iã erit, vt tot dicantur fata, quot mébra nascentium; & cætera, quæ ibi habet. Adde quod, cum nonnunquam constellationes, vt sæpius nobis decantant Astrologi, in perniciem mortalium, & animantiũ conspirét, nisi esset natura vniuersalis, quæ his incommodis mederetur, male toti orbi consultum foret. quare cœlo attribui non possunt, quæ postulat ea, quæ futura est natura vniuersalis.

Art. 4. vtrum natura vniuersalis sit Deus.

DVæ sunt sententiæ vna affirmatiua, altera negatiua, Negatiua tamen adhuc multiplex est; nam aliqui dicunt naturam vniuersalem esse animam mundi, quæ per totum mundum diffusa singulas eius partes informet, de qua latinus poeta illa habet, quæ supra attulimus.

Principio cœlũ, ac terras, cãposq; liquẽtes. &c.

Desumpta videtur opinio ex Platone in Timæo, qui animam mundi ponit sitam in medio vniuersi; quẽ tamen Platonici variè interpretantur; nam aliqui volunt Platoné significare animam vniuersalem, quæ res omnes intime penetret, ijsdem det vitam, & operationes; dicatur autem sita in medio vniuersi; quia habeat naturam quandam mediam inter res corporeas, & spirituales; alij volunt per medium mundi intellectũ à Platone ipsum Deum, à quo anima mundi trahat originem, alij autem per animam mundi putãt Platonem intellexisse ipsum Deum, alij Spiritum sanctum, qui à Patre secundum ipsum procedat, sed illo minor sit, à qua sententia non longe videtur esse Trismegistus in Pimandro, cum dicit animam mundi esse secundum Deum; at Stoici ex Laertio existimauerunt animam mundi esse vim quandam vniuersalem, quam dixerunt ignem, vel spiritum igneum, ad quam opinionem respexisse videtur idem citatus Poeta subdens.

Igneꝰ est ollis vigor, & cœlestis origo seminibꝰ.

Quamquam Lactãtius lib. primo de falsa religione c. 4. vult Stoicos per illam vim igneam, quæ diffusa est per res naturales, intellexisse Deum, quem modo appellarũt diuinam legem, modo necessitatem, modo fatum; alij per naturam vniuersalem volũt nihil aliud accipi debere, quam proprias virtutes rebus communicatas.

Affirmatiua sententia contraria, quod natura vniuersalis sit Deus, videtur esse Arist. 12. met. Tex. 38. vbi ait omnia pendere à primo principio nempe Deo, & primo de part. c. 5. vbi naturam vniuersalem appellat auctorem, & rerum omnium parentem, quod est idem ac dicere, primũ principium rerum omnium, quod est Deus Benedictus.

Pro solutione.

Notandum, quod per naturam vniuersalem cum aliquid intelligatur, quod singula promouet ad suos fines in rerum vniuersitate sine errore obtinendos, collimatque ad bonum & particulare vniuscuiusq; & commune vniuersi, per naturam vniuersalem accipere possumus siue ipsum Deum, siue instinctus, & propensiones naturales, quæ in singulis vniuersi causis insitæ sunt à Deo, secundũ quas illæ consentanee finibus operantur; nam dubium esse non potest in singulis rebus esse propensiones proprijs naturis conuenientes, quæ seuerissime seruãt leges sibi in principio à Deo impositas; graue enim ita inclinat ad centrum, vt nullis vnquam temporibus sibi relictum alio propendeat; nec solum res propensiones habent particulares, per quas consentaneè ad suas naturas operentur; sed aliquas etiã habent, quæ cedunt in bonum vniuersi, vt est motus corporum quaqua versus ad vitandum vacuum, vt sunt, eandem ob causã rarefactiones, condensationes, attractiones, & alia similia; vt etiam ob conseruationem viuentium suntexpulsiones, dilatationes, constrictiones. Adde his fugam à contrarijs, etiam contra inclinationem, quam alioquin habent ad certa munera; talis censeri potest aliquãdo remissio motus

inspi-

inspirationis, & respirationis aeris per pulmones, hic siquidem cum institutus sit ad refrigerandum cor, ne illius calor deficiat: tamen aliquando non nihil cessat ab hoc munere ad prohibenda alia incommoda: nam experientia deprehensum est, vt notat Fracastorius de contagione, quod in febribus putridis, & pestilentibus parum aeris inspiramus, ac proinde in illis leuiter, & tardè pulsus attollitur, contra id, quod in cæteris magnis febribus solet contingere, non nisi vt euitetur noxius spiritus, & inimico obstruatur quantum fieri potest via ad vitæ penetralia, quod est cor; id etiam contingit quoties aer tetro aliquo odore est perfusus, eo enim tempore etiam nihil attendentes minus actis inspiramus, respiramusque, cum contra si aer bene redoleat patulis naribus illum excipiamus, magnaque, & crebra fiat inspiratio; hæc igitur naturæ solertia contra id, quod peculiare ipsius munus postulat inter alia ostendit naturam vniuersalem, à qua instituta sit; quã siue dicamus esse collectionem harum inclinationum, quibus res singulæ & sibi, & toti prospiciunt, pro vt tamen subsunt superiori causæ; siue dicamus esse Deum, qui has inclinationes indidit rebus, bene dicimus, cum vtrumque verum sit; si quidem huiusmodi inclinationes sunt quædam instrumenta diuinæ prouidentiæ, qua totum gubernat, & ab interitu vindicat, quod manifestum est, cum illa omnia esse non possint sine mente dirigẽte, & multa huiusmodi præstent causæ naturales, aliud per se intendentes; nam quod calor genitiuus, siue vis illa spermatica in semine tam mirabilia opera præstet, calefaciat, attrahat, propulset, figuram det membris, vias, conceptacula, situs, ordines, iuncturas, ac demum animal conflet, cum tamen huiusmodi fines non agnoscat, id esse, non potest, nisi quia ad hoc instituta sit à sapientissimo opifice, cuius directioni subsitans, omnia illa, tam vaga, tam mirabilia munia sine vllo errore exequitur, vt proinde sapientissime Iob hæc officia attribuerit Deo, manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me; & postea pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me. His Adde coordinationes ipsius cælorum, & astrorũ, vt ad hæc, multaque alia præstanda iuuent in inferioribus, arguere euidentissime, vt sæpius dictum est, eandem mentem omnia moderantem. Quare.

cap. 10.

Dicendum naturam vniuersalem si accipiatur vt in omnibus rebus diffusa est, iisque inhæret, dici posse ipsam collectionem certarum inclinationum, quæ in singulis rebus reperiuntur ad ipsarum, totiusque vniuersi conseruationem ab vna summa mente, & non errante consilio institutarum, si vero accipiatur pro principio ipso institutẽte, & easdem in singulis rebus iuxta leges primo præscriptas conseruante naturam vniuersalem esse Deum, cuius tamen respectu sublunarium mutationum præcipuum instrumentum est cœlum; vnde cœlum quoque cum aliqua limitatione dici potest natura vniuersalis; vtraque pars conclusionis patet ex dictis, prima confirmatur; quia hanc significare videntur illę maxime natura nihil facit frustra. Tertio de partib. c. primo 3. de anima Tex 45. & 60. & naturam esse, & agere propter finem 2. Phy. 74. 77. 5. de gen. animalium c. 8. primo de part. c. 1. Secunda pars confirmatur; quia intendere finem illarum operationum, quæ sunt à principio carente ratione, non potest propriè, & formaliter esse, nisi mentis illius, quæ tales operationes, & principia ad illas præstandas instituit, sed hæc est Deus: ergo Deus in dicto sensu est natura vniuersalis. Iam contra Platonicos, & Antiquos, quod natura vniuersalis non sit anima Mũdi, vel aliqua vna vis creata, per omnia diffusa, probatur, & primo de anima, nam anima illa, vel est substantia completa, vel incompleta, si completa non potest informare mundum, quia ens substantiale completum non informat aliud, si incompleta, contra quia erit forma informans, omnis autem forma informans, quæ est anima, vel est uegetatiua, uel sensitiua, uel rationalis, si sit vegetatiua ubi, & quo pabulo nutritur? num uaporibus Oceani, ut fabulati sũt Poetæ; ubi accrescit &c. Si sensitiua sentiret infinitos dolores cum plurimæ partes orbis diffindantur, ut apparet in terra; si rationalis, ad quid unitur terræ, cùm illi terra ad suas operationes nullo pacto inseruire possit? Adde nullam formam informare partes discontinuatas, & inter se distitas; præterea omnis forma aliqua operatione deprehendi debet, quæ igitur est operatio, propter quam huiusmodi astruitur forma;

quæ cum assignari non possit, fabulosam omnino esse animam necesse est.

Sed iam probatur 2. de illo 2. quod dici poterat a platonicis .hæc vis, quæ ponitur per omnia diffusa, vel est accidens, vel substantia; si substantia recurrent difficultates factæ, & plures aliæ, cum non possit substantia carens prouidentia, & ratione esse vniuersalis natura; si accidens, quomodo potest esse in pluribus subiectis.quomodo potest esse principium contrariorum? quomodo potest se extendere ad tam diuersas operationes? cumque omne accidens alicuius substantiæ sit accidens, cuius hoc erit accidens? quæ omnia ostendunt sine vlla probabilitate poni tale accidẽs; quare antiqui vel allucinati sunt, vel omnia intellexerunt de Deo, qui sua immensa maiestate omnibus rebus est præsens, & cum omnibus operatur, vt ostendetur infra.

Quæst. 2. de natura physica, & particulari vniuscuiusq; corporis.

PErspecta varia acceptione naturæ, & demonstrato, quibus conueniat ratio naturæ vniuersalis, accidendum iam est ad naturam physicam, & partialem, quam tractat, & definit hoc 2. lib. Arist. & primum videndum est de eius definitione.

Art. 1. Vtrum natura particularis, & physica sit principium, & causa mouendi, & quiescẽdi in eo, in quo est, primum per se, & non secundum accidens.

DIcitur natura particularis per comparationem ad naturam vniuersalem, & quia particularis est in essendo, & in causando; vnicuique enim enti naturali sua inest propria; in predicando tamẽ dici potest vniuersalis, cum de singulis entibus naturalibus prædicari possit, & quia de an sit nõ potest esse dubium; vnde dixit Arist. ridiculum esse velle demonstrare dari naturam, quærendum est de definitione, & quiditate ipsius, bene ne, an secus ab Arist. sit assignata.

Sententia affirmatiua est Peripateticorum communis. Pro sententia tamen negatiua faciunt hæ rationes.

Prima. natura cum sit substantia, ex Tex. 4. est quid absolutum. Ergo male definitur in ordine ad aliud, videlicet ad motum; nam definiri in ordine ad aliud est relatiuorum.

Secunda ratio. illa nõ est bona definitio, quæ non conuenit omnibus definitis; sed assignata definitio est huiusmodi: ergo non est bona; maior patet ex conditionibus bonę definitionis; minor probatur, quia non conuenit cœlis, qui cum moueantur, nunquam quiescunt, vno excepto cœlo empyreo; cum tamen cœli sint corpora naturalia; ac proinde in eis sit natura.

Tertia ratio. definitio allata conuenit Deo, qui cum in omnibus sit, est causa cur omnes moueamur; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus; sed Deus non est natura, de qua hic est sermo: ergo non benè definita est natura.

Quarta ratio. nõ minus naturale est igni producere ignem, quàm ferri sursum. ergo nõ minus est naturale igni esse principium motus in alio, quàm in se; patet consequentia; quia cũ ignis producit ignem est principium motus in alio; cum generatio, qua producit ignem, sit in genito.

Quinta ratio. vel quies, quæ ponitur in definitione naturæ, est tum in termino à quo, tum in termino ad quem; vel in altero tantum; non hoc secundum; quia non est maior ratio de alterutra, quam de vtraque; ergo primum; sed impossibile est idem esse principiũ oppositorum; ergo male ponitur in definitione naturæ principium, & causa motus, & quietis.

Pro contraria sententia affirmatiua Prima ratio potest esse ab auctoritate; nam cũ Peripatetici communi consensu hanc definitionem vt bonam admittant, non est temere vt mala reijcienda.

Secunda ratio. illa est bona definitio, quę explicat aptè definitum, & illud ab omni alio distinguit; huiusmodi autem est defi-

 nitio

nitio assignata; nam per illam melius intelligimus quid sit natura, quàm per hoc ipsum nomen natura, distinguit naturam ab arte, & alijs, quæ natura non sunt. ergo est bona.

Pro solutione.

Notandum, quod natura particularis ex communi cõsensu illa est, qua vnum quodque corpus, quod ex illa constat, intrinsecè habet, vt sit naturale, vnũ quodq; enim corpus est naturale per suam naturam; hanc ergo naturam definiuit Arist. principium, & causã mouendi, & quiescendi seu motus, & quietis in eo, in quo est primum per se, & non secundum accidens; in qua definitione aliqua sunt loco generis, aliqua loco differentiæ; nam primo ponitur principium, & causa, in quo quasi in genere conuenit cum alijs, quæ propriè natura non dicuntur; cætera ponuntur ad distinctionem naturæ ab omnibus alijs, vt differentiæ ipsius distinctiuę. dicitur ergo principium, & causa, quæ secunda particula restringit primam; nam omnis natura ita est principium motus, vt sit principium per influxum; quod est esse causam; quare natura nõ est quodcumque principium, sed principiũ, cui ratio causæ non repugnat; aliqui putant principium significare principium passiuum; idest materiam, causam verò principium actiuum, idest formam; sed verius videtur causa restringere principium; & illud determinare; quoniam melius est, quod in definitione particulæ subsequentes restringant præcedentes vt definitio procedat à magis communibus vsque ad propria; quàm si sint disparatæ; præsertim cum vtraque particula cõueniat tàm materiæ quàm formæ: ex quo etiam apparet non esse verum, quod dicunt alij particulam, &, sumi pro, vel, cum verè retinere possit suam significationem (dicitur motus) qui terminus sumi debet latissimè, pro vt cõprehendit motum rigorose dictum, & cœteras omnes mutationes physicas: de generatione tamẽ aliqui dubitant an in ea voce comprehẽdatur; quoniam motus naturalis supponit constitutam naturam; generatio vero est via ad naturam; quoniam est via ad formam; tamẽ dici debet etiam generationem respectu subiecti esse motum hic assignatum naturalem; nam materia est principium primum, & causa generationis, licet non sit propriè principium in eo, in quo est secũdũ rem; quia pro eo signo materia in nullo est; quia nullum est constitutum per ipsam, est tamen principium, & causa motus in eo, in quo est secundum demominationem, quia quod generatur est id, quod postea generatum est (dicitur, & quietis) quæ accipi debet pro priuatione motus in tormino ad quem, quę nihil aliud est, quam consistentia in proprio statu, quã res naturales habent proprio instincta, & ad quam acquirendam mouentur; huiusmodi est cõsistentia, & quies terræ in medio mundi, & cæterorum elementorum in proprijs locis; nam si detineantur extra propria loca negatio illa motus non est quies, de qua est sermo in definitione, cum non possit esse à principio intrinseco, sed extrinseco; maior difficultas est de particula, &, cum dicitur motus, & quietis; quidam enim volunt facere sensum disiunctiuum, & positam esse pro vel: Quidam volunt facere sensum copulatiuum, & retinere propriam significationem: proprimis est, quia tunc saluatur, quomodo motus cœli, quod naturaliter quiescere non potest, sit à natura: Pro secundis est, quod coniunctio, &, impropriè acciperetur, quodquè motus nõ esset quietis gratia, cum tamen ratio videatur suadere contrarium; quia motus est ad acquirendum aliquid, in quo quiescamus, cũ ipsum habuerimus, cum motus sit via ad terminum; facile tamen conciliari potest lis, si dicamus particulã, &, habere vtrãq; vim respectu diuersorũ, respectu naturę, siue principij, & causæ retinere suã propriam vim coniunctiuam, vt sensus sit in quocumque corpore est, siue motus, siue quies naturalis hæc est, vt à principio, & à causa à naturã, respectu verò motus, & quietis inuicem comparatorum habere etiam vim disiunctiuam, vt sit sensus, à natura est, vt à primo principio intrinseco, siue motus, siue quies consequens motũ, & motus, & quies, vbi motus, & quies Physica reperitur; quare neque negandum est motum cœli esse naturalem; quia cœlum non quiescat, vt negarunt aliqui; neque ad illas angustias confugiendum, cœlum quiescere secũdum polos, & axem, cum sufficienter habeamus motum cœli esse naturalem; quia saltem passi-

passiuè est à principio intrinseco primo &c. nec necesse sit ad hoc saluandum, quod cœlum quiescat, cum ista duo non debeat in omni corpore naturali reperiri; sed si sunt, sint à natura; quamquam cœlo de se spectato quiescere non repugnat. dicitur quarto loco (eius, in quo est) quæ verba possunt habere duplicem sensum, primum vt hæc verba, eius in quo est, solum referantur ad illa, principium, & causa, vt sensus sit natura est eius nimirum corporis, in quo est principium, & causa, & hic sensus non est secundum mentem philosophi; quia hic hoc non quæritur; alter sensus est, quod dicta verba proximè referantur ad motum, vt sit sensus, natura est principiũ, & causa motus, qui motus est in eo, in quo est natura principium, & causa ipsius, & hic sensus est intentus à philosopho, & ratio est; quia naturalia distinguũtur ab artificiatis per hoc, quod ars nõ est per se principium motus, in quo est; natura vero est; si autem dicta verba facerent primum sensum non distinguerent naturalia ab artificiatis; quia in artifice est principium et causa motus, ipsa nimirum ars, sed quatenus ars non est principium per se motus in eo in quo est, sed magis, vt sic, est principiũ motus in alio, & in eo in quo est; solum est motus principium directiuum, & secundarium, siue etiam per accidens, vt cum medicus sanat se ipsum. dicitur primum vt excludantur quædam accidentia, quæ sunt principium quorundam motuum in subiecto, in quo sunt; sed non sunt primum principium, cum hoc sit materia, & forma; vnde in lapide grauitas, non est natura, licet sit principium motus deorsum? dicitur vltimo per se, & non secundum accidens, quæ particulæ, vt exponunt multi interpretes, debent coniungi ita, vt sequens explicet, & exponat priorem; nam secus vna ex illis redũdabit, per se enim idem est, quod non secundum accidens; nam quod conuenit alicui, & non secundum accidens, conuenit per se; & per has particulas, sicut dictum est, contradistinguitur natura ab arte, quæ licet aliquando sit principium alicuius motus naturalis in eo, in quo est, vt medicina sanitatis in medico, est tamen principium per accidens, quia per accidẽs est, vt qui sanatur sit medicus, & sanitas à medicina non est, nisi media applicatione actiuorum ad passiua, ac proinde per accidens; quamquam dici etiam potest im portari discrimen aliquod in illis verbis per se, & non secundum accidens, hoc pacto, vt per se, aliquãdo nisi restringatur conu niat arti, nam in artifice ars est principiũ motus per se fissionis; Quia per se est. id est ex natura rei, vt potentia motiua hominis operetur motu arbitrario determinata ab intellectu practico, & tali motu ab intellectu practico instructo tali arte; sed hoc est per accidens tali motui, quatenus motus physicus est, & tali subiecto, quatenus est ens naturale: nam quatenus ens, siue tale ens naturale non postulat per se artem, siue non postulat cum imaginatione, & intellectu principium motus sibi esse artem, sed hoc est per accidens, & motus etiam ille vt naturalis per accidens respicit artem, cum tamen ars, vt quid intellectus cum intellectu faciat in tali subiecto principium per se motus, quia per se est in homine, vt motus arbitrij principium primum sit intellectus practicus; vnde si in eo est ars per se est, vt cum intellectu influat ad motum, non tamen est per se, vt ad motum in homine cum intellectu influat ars; sed satis est ex natura rei ad hoc imaginatio, vel cum imaginatione intellectus practicus sine arte; vnde ars accedere videtur secundum accidens; quæ tamen in ratione principij cum est in intellectu, cum intellectu integrat vnum per se. sed iam, vt omnia paucis colligamus, sensus totius definitionis hic erit. Natura est principium nõn quodcumque, sed per influxum, & causatiuum motus, & quietis, quæ reperiuntur in subiecto, & non per extrinsecam violentiam, vnde dicitur eius, in quo est motus, vel quies, siue vtrumque, & in quo natura est principium, & causa non quæcumque sed prima, & per se, siue non secundum accidens, vt aliquando est ars, ex quibus, vt apparet, cũ ratio naturæ sit benè explicata.

Dicẽdum definitionem naturæ ab Arist. traditam, & hactenus explicatam esse bonam, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia illa est bona definitio, quæ assignatur per ea, in quibus definitum cum alijs conuenit, & per quæ ab alijs discrepat; sed huiusmodi est definitio naturæ, vt patet ex dictis. ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod natura licet substantia sit, est tamen substantia accepta in ordine ad tales passiones, per quas scientia physica constituitur, vnde substantiæ considerari possunt præcisè vt quidditates, ac principium passionū metaphysicarum, quæ illis precisè conueniunt, vt quidditates, & hoc pacto considerare substantias est munus metaphysici; secundo considerari possunt vt sunt principia sui motus, & quietis, & hoc pacto pertinent ad Physicum, vnde dixit Arist. 2. phys. Tex. 26 naturalem Philosophum cōsiderare materiam, & formam, vt faber æs, vsq; ad aliud, in ordine scilicet ad motum; nec contra valet quod dicitur, quod substantia est quid absolutum; nam per hoc quod consideretur vt principium motus, & mutationum, non amittit esse absolutum, cum non consideretur ad aliud, vt ad terminum, ad quem totum suum esse habeat; sed consideretur ad aliud, quod ab ipsa esse habet, quod non repugnat cum substantia, vt relatiuo transcendentali. quare in forma. concesso antecedente, negatur consequentia: nam relatiua definiuntur ad aliud, vt ad terminum, ad quem totum esse habent, & per quem constituuntur; natura definitur ad aliud, vt ad suam propriam passionem, quam fundat, & cum ea certum quemdā modum considerandi obiectum Physicū, & Physicam constituit.

Ad secundam. iam patet ex dictis naturam non esse necessario principium motus, & quietis, quæ ambo esse debeant in subiecto; sed quæ sint; vnde in subiecto si sit tantum motus, illud, quod in subiecto illius principium est, & quatenus illius est primum principium, erit natura.

Ad tertiam. respondeo dicendum, quod Deus est quidem in omnibus, sed non per modum causæ, & principij intrinseci constitutiui, & à quo sint, vt à causa intrinseca motus naturales; sed est vt primū mouens, & causa assistens omnia conseruans; natura autem est principium modo dicto, ac proinde Deus non potest esse natura, de qua modo loquimur, cum hæc sit principium intrinsecum constitutiuum.

Ad quartam placet responsio Conimbricensium naturam esse definitam per principium motus in subiecto in quo est, vt ab omnibus destingueretur, quæ physica non sunt, nec habēt naturam, de qua loquimur; quoniam per hoc distinguitur ab entibus superioribus, & perfectioribus ente physico, quæ vel sunt penitus immobilia in se, licet moueant alia vt Deus; vel non sunt quidem immobilia simpliciter; tamen non mouentur motu physico, siue vt principia in eodem ordine, & physica, cum moueantur per intellectum, & voluntatem vt intelligentiæ; præterea distinguitur ab entibus inferioribus, qualia sūt arte facta, quæ quatenus sunt arte facta, nec propriè se mouent, nec mouent alia; præterea licet natura, quæ est forma, sit principium naturale, & motus eius, in quo est, & motus sæpe in alijs, per hoc secundum non fuit definienda natura, ne excluderetur materia, quæ solum est principium motus in eo, in quo est, & quia esse principium motus in alio, non est proprium entium naturalium, cum hoc magis, & perfectius habeant entia transnaturalia, quàm naturalia, siue physica. Addi potest hic debuisse definiri naturam per ordinem ad suam passionem adæquatam cum ipsa conuertibilem, quæ non est motus in alio, cum latius pateat natura, nec omni illi, quod est natura, conueniat; debuit autem definiri in ordine ad suam passionem adæquatam; quia hic consideratur obiectum physicæ, præsertim secundum suam rationem formalem, secundum quam est principium passionum, quos physica de ipso intendit demonstrare.

Ad quintam respondeo dicendum intelligi quietem in termino ad quem, vt explicatum est; hæc autem quies non est propriè opposita motui, sed potius finis, & perfectio per motum acquirenda; quare negatur naturam forè principium oppositorum per hoc, quod sit principium motus, & quietis.

Obijcies ex 8. phys. Tex 29. grauia, & leuia mouentur ad sua loca à generante; sed motus, quo mouentur ad propria loca, est illis maximè naturalis: ergo generans erit natura grauium, & leuium; sed generans non est in grauibus, & leuibus genitis: ergo natura non est intrinsecum principium motus & quietis, quod dictum est.

Respondeo dicendum neque quidquid mouet naturaliter, id est per aliquid sibi naturale

turale esse naturam eius, quod mouetur, neque quidquid naturaliter mouetur necessariò à propria moueri natura effectiuè; cum dentur principia mouentia extrinseca motu naturali, quæ natura non sunt mobilium, & aliqua passiuè solum à natura moueantur, quod aliquo modo est in casu; quomodo autem grauia, & leuia moueantur à generante, dicetur suo loco; quare ad argumentum in forma explicatis propositionibus secundum dicta, negatur consequentia.

Obijcies secundo definitio naturæ conuenit essentijs, vt puta humanitatis Pauli. Ergo non est bona; patet consequentia, quia natura per Aristotelem est materia, & forma, antecedens probatur; quia humanitas Pauli est principium, & causa cur Paulus moueatur: Ergo.

Respondent Conimb. essentias non esse principium primum; quia supponunt partes physicas, ex quibus coalescant. Addi potest essentias vt sic & pure Metaphysicè nec moueri, nec quiescere; esse vero principium motus, & quietis in eis, in quibus sūt, quatenus dicunt partes physicas, & physicè consideratas.

Art. 2. Vtrum definitio naturæ conueniat materiæ secundum se, an tantum per formam.

Sententia negatiua est zab. c. 7. de nat. & quorundam aliorum, qui volunt materiam solum esse naturam, quatenus est determinata à forma. At Contraria sententia affirmatiua vult, materiam non solum quatenus est determinata à forma in tali specie, sed etiam vt præcisè est in gradu corporis, esse naturam.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima, si materia secundum se, & præcisè à forma esset natura, omnes motus essent naturales; sed hoc est falsum; quia aliqui motus sunt violenti, vt certum est: ergo materia de se non est natura; sequela probatur; quia materia secundum se accepta habet inclinationem ad omnes motus, & mutationes, quæ in ipsa fiunt ab agente naturali, vel modo connaturali operante: ergo secundum se accepta omnes motus sunt naturales.

Secunda ratio. motus artificiales contradistinguntur à naturalibus; sed si materia de se esset natura, non contradistinguerentur: ergo. maior patet; minor probatur; quia motus artificiales recipiuntur à materia; vnde si materia secundum se accepta est natura, illi erūt naturales; & sic naturales motus, & artificiales non erunt distincti.

Tertia ratio. ex Tex. 12. 2. phy. tunc aliquid dicitur natura cum est actu, sed materia non est actu nisi per formam: ergo materia est natura per formam.

Quarta ratio. principium passiuum debet esse natura respectu alicuius determinati motus; sed nullum determinate respicit nisi vt est sub forma, & ab illa determinatur: ergo est natura, vt est determinatum à forma.

Pro contraria sententia sit ratio

Prima ex philosopho qui 2. Physicorum Tex. 21. ait naturam esse duplicem materiam, & formam, idem habet Tex. 81. & t. 4. & præterea Text. 10. concludens quæ dixerunt antiqui nimirum materiam esse naturam, diuidit naturam in materiam, & formam, ex quo loco tale desumitur argumentum; quando diuiditur aliquid in membra opposita, diuisum per se debet conuenire vtrique membro, non autem conuenire debet vni membro ratione alterius; sed natura diuiditur vt in membra opposita in materiam, & formam; ergo vtrique membro debet se conuenire; nō igitur materia erit natura ratione formæ.

Secūda ratio. omnes motus physici cōueniunt corpori naturali ratione alicuius ipsius principij: patet: neque enim conueniūt, nec conuenire possunt Angelo; nam neque Angelus potest calefieri, nec infrigidari; nec per impulsum quantitatiuum amoueri à loco &c. quod ergo dicti motus conueniant extra miraculum, & secundum cursū naturæ corpori naturali, & non Angelo est propter aliquod principium corporis naturalis; sed hoc absolutè non est forma; quia lapidi moueri sursum, calefieri, dissolui in minutas partes &c. non conuenit ratione formæ. ergo ratione materiæ; sed quod dictum est de lapide cum possit proportionaliter dici de multis alijs concludi debet, quod aliqui sūt motus, qui corpori

Physico

Physico naturales sint solum ratione materiæ per se spectatæ, ac proinde, quod materia de se sit natura. Confirmatur quia Arist. Tex. 1. inter motus naturales enumerat alterationem; hæc autem dici non potest naturalis, quia fit ab agente naturali secũdum aliquam propriam virtutem, cum Arist. loquatur de motibus, qui dicuntur naturales, eo quod sint à natura propriè accepta, & quam definit primum principium mouendi, & quiescendi in eo, in quo est &c.

Tertia ratio. principium passiuum est natura, patet ex definitione allata naturæ; nã verba illius magis ostendunt principium passiuum, quàm actiuum; cũ nihil propriè agat in se ipsum; sed principium passiuum prius dicitur de materia, quam de forma, cum materia de se, & essentialiter sit passiua, nõ forma; ergo materia de se est natura; quia principium passiuum est natura.

Pro solutione.

Notandum, quod quæstio esse non potest, vtrum materia separata à forma sit natura; quoniam vt certum est materia nunquam existit sine forma; quæstio igitur est an materia etiam si sit cum forma, tamen habeat de se influxum aliquem in motum naturalem, ratione cuius dici possit natura talis motus; vlterius vtrum nisi determinata materia per formam sit ad influendum ad hunc motum potius quam ad alium, cũ de se sit indifferens ad omnes motus, natura non sit, & dici solum possit natura, quatenus per formam est determinata ad aliquem peculiarem motum. Ad quod considerandum est, quod motus Physici comparari possunt dupliciter, vel ad certam speciem, vel ad corpus naturale in genere si comparentur ad certã speciem, non omnis motus est naturalis, sed aliquis præternaturalis dicitur; aliquis etiam violentus, violentus est, qui est contra inclinationem, & impulsum talis speciei, vt motus sursum in lapide, qui est contra grauitatem, quæ est impulsus speciei lapidis, cum à tali specie sit talis grauitas; præter naturalis est, ad quẽ species neque habet impulsum, neque per impulsum repugnat, talis est motus circularis in igne, dum est in propria sphæra, cui ignis nec per leuitatem repugnat, nec inclinat; naturalis ergo erit motus comparatus ad speciem, cui inclinat species illa, siue per aliquam qualitatem in illum propendeat, siue habeat aliquam qualitatẽ, quæ sibi talem motũ deposcere videatur; huiusmodi est figura sphærica in cælo, at si motus Physicus, quicumque tandem ille sit, siue localis, siue alterationis, siue alius, comparetur ad corpus naturale, vt sic; considerare oportet, quod talis motus habet cum corpore connaturalitatem quandam, quam non habet cum entibus, quæ physica non sunt, vt cum intelligentijs, cum essentijs abstractis, & cum quantitate, vt est consideratio Mathematicæ; hæc autem connaturalitas ab aliquo principio prouenire debet; nam quod aliquis motus sit connaturalis vni, & non alteri, vt quod calefactio sit cõnaturalis corporibus, non Angelis, ex aliqua ratione, & aliquo principio, siue calefactionis, siuè subiecti, siue magis vtriusq; prouenire debet; nam calefactio non est naturalis corporibus physicis, nisi quia corpora physica, & non alia entia, ad illam habent capacitatem, & inclinationem; & rursum corpora physica saltem sublunaria capacia sunt calefactionis, non intellectionis; quia calefactio est ipsis commensurata, non intellectio; cum autem prius sit esse subiectum, & capacitatem ad motum habere, quàm in eo esse motum naturalem, debet in eo assignari aliquod principium huius capacitatis, quod procul dubio erit natura; quia habebit totum id, quod habet natura; erit enim principium primum motus eius, in quo est per se, & non secundum accidens; in corporibus ergo reperiri debet aliquod tale principium; hoc principium non potest esse forma; quia sæpe his motibus forma repugnat; nam in aqua principium recipiendæ calefactionis non potest esse forma, quæ sibi relicta inclinat ad frigefactionem; erit ergo materia, & quidem materia secundum se; quia forma in aqua cum repugnet calefactioni, non potest determinare materiam ad calefactionem, vt dici possit materiam esse connaturale principium calefactionis quatenus est determinata à forma; nisi forte dicere velimus formam determinare, & inclinare suum subiectum ad ea, quæ sibi repugnant, quod absonum est rationi. Quare

Dicendum materiam etiam secundum se spectatam esse naturam, patet ex dictis, & ratio-

rationibus secundæ sententiæ.confirmatur, quia per materiã possunt demonstrari motus physici de corpore physico, qui nõ possunt demonstrari per formam, neque per materiam, vt forma determinata est in specie;ergo materia de se est natura;quia motus physici, si à priori demonstrentur, per intrinseca subiecti principia demonstrantur, ac proinde per naturam; quia natura est primum principium, & causa motus eius, in quo est &c. antecedens probatur; quia de omni corpore physico demonstrari potest, quod sit mobile; de omni corpore saltem sublunari, quod sit alterabile, alteratione corruptiua, & de omni corpore physico,quod sit aliqua vel corruptiua,vel perfectiua alteratione alterabile; sed corpus physicum in ista latitudine non habet à forma tales passiones, cum aliquando forma repugnet:ergo habet à materia; Verum quidem est, quod hic annotanda sunt duo, ne contingat errare. Primum est,quod materia, & si secundum se est natura, non est tamen ita secundum se natura, vt excludat côcomitantiam formæ;nam materia se sola non constituit corpus naturale, sed cum forma; vtque est in corpore naturali est principium mutationis Physicæ, ac proinde cum dicimus materiã secundum se esse naturam nolumus excludere côcomitantiã formæ siue vt conditionis, siue vt rationis formalis non constitutiuæ naturæ passiuæ, sed complentis. Alterum, quod notari debet est, quod cum omnis motus & mutatio sit ab aliquo mouente; mouens autem nũquam moueat, quando est in mobili maior resistentia, quam in ipso sit vis & potestas; resistentia autem fit per aliquam formam; non potest censeri materia natura, vbi ita per formam determinata est, vt excludat omnem actum agentis naturalis; vnde in aliquo sensu dici poterit materia non esse natura nisi vt determinata à forma, tanquã scilicet a conditione, & côcomitante, non tanquam a ratione formali constitutiua; Quia a se habet materia non a forma,quod sit principium passiuum mutationum physicarum; sed hoc ipsum non habet sine forma,& sub forma impediente non habet,vt in corporibus beatorum,& in cœlo, si sermo sit de generatione & corruptione.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam.Respondeo dicendum,quod motus, qui secundum vnam rationem est naturalis,potest secundũ alias. & alias esse præter naturalis, siue etiam violentus: est naturalis:quia idcirco dicitur physicus;nã, quare alterationes sunt motus physici, non spirituales mutationes, nisi quia sunt ab aliqua natura physica? dico physica,quia licet dicatur fere idem per idẽ, cũ Physis græcè significet naturam, & physicus naturalem; per Physicum tamẽ intelligimus talem determinatã naturam, de qua est sciẽtia physica contra distincta à metaphysica, & mathematicis, sunt ergo alterationes motus physici siue naturales ratione alicuius naturæ,non formę,quando formare pugnat;ergo materiæ; quare in forma distinguo maiorem, essent naturales secundum naturam vniuersalem, & genericam corporis Physici ratione materiæ: concedo maiorem, & nego minorem, & consequentiam; essent naturales secundum naturam specificam,& particularem, siue secundum formam, nego maiorem, & concedo minorem, sed sẽper mala erit consequentia. Et aduertendũ est, quod cum denominationes simpliciter accipiantur à forma,& à magis determinato; neque enim hominem simpliciter appellamus animal,sed hominem,vel animal rationale, ideo motus, qui repugnant certis speciebus, simpliciter dicuntur violenti;cũ tamen ijdem motus si comparentur ad materiam primam, vel gradum corporis, sint illi naturales, cum ad illos concurrat corpus, siue materia, non per potentiam obedientialem, vel supernalem, sed per illam met potentiam, quam naturaliter habet.

Ad secundam.Respondeo dicendũ,quod motus artificiales, sicut & formæ artificiales,si verè sint formæ,& formæ vnius subiecti, non possunt distingui à cæteris motibus, & formis physicis, ratione subiecti, & principij passiui.patet, quia ad illos ità pasfiuè concurrit subiectum, de cuius potentia educuntur, sicut concurrit ad alios; solum ergo ab illis distinguũtur ratione principij actiui, quod est ars, à qua pro vt sunt, & secundum istam formalitatem, non dicuntur naturales, sed à naturalibus contradistinguntur, cum alioquin cum illis conueniant;quare motus artificiales secundum vnam rationem sunt naturales, secundum aliam artificiales, & à naturalibus distincti; & hoc patet; quia si per artem aliquis sal-

saltet aliquò, alius eodem feratur per impulsum, erit idem motus quo ad substantiã, & tamen vnus erit artificialis, alius naturalis; item si in aliquo fiat sanitas natura prævalente contra noxios humores, in alio fiat à medicina, secundum substantiam est eadem sanitas; cum tamen in vno dicatur naturalis, in alio artificialis, siue ab arte.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod actu ibi accipi debet, vt contradistinguit à potentia obiectiua, non autem à potentia passiua, atque ita leo, vel equus, qui generari potest, non est natura; sed equus genitus; tamen in equo genito natura non solum est forma, sed etiam materia, solumque forma habet rationem conditionis; vel complentis rationem formalem, non vero constituentis respectu materiæ.

Ad quartam respondeo dicendum, quod principium passiuum, vt modo de eo hic loquimur, cum sit natura corporis Physici accepti in tota sua latitudine, non debet esse natura respectu alicuius determinati motus; sed motus in communi, & omnium prorsus motuum physicorum; quare ad argumentum negatur maior.

Obijcies. ex dictis materia est natura omnium motuum physicorum vt est constitutiua gradus corporis; quia secundum istum gradum motus omnes Physici sunt naturales; sed ad constituendum istum gradum trahitur à forma: ergo semper materia est natura, vt est determinata à forma.

Respondeo distinguendum consequens vt determinata à forma vt à conditione & concomitante; non vero vt à ratione formali constitutiua materiæ in esse naturæ, sicut dictum est.

Obijcies 2. 5. Met. Tex. 5. Arist. cùm varios modos, & genera naturæ numerasset, concludit, formam solum propriè dici naturam; materiam verò, generationem, &c. dici secundum quid in ordine ad formam, cõcludit enim de materia sic; materia enim eo, quod huius est susceptiua dicitur natura: ergo materia per philosophum de se non est natura; sed solum per formam.

Respondeo dicendum, quod intelligi debet philosophus de natura in specie, & determinata ad certam mutationem, qualis non est materia sine ordine ad formam, vt ad determinantem; quamquam nec tunc negari potest, quod materia de se non sit natura intrinsecè, & formalitur, licet hoc ipsum habeat completiuè à forma, vt à cõditione & concomitanter compleat forma talem rationem: nam quod materia sit natura non est à forma tamquam à ratione formali; quoniam illi de se conuenit definitio naturæ; est enim principium primum motus, & quietis &c. quia materia de se est potentia passiua, & non per formam. explicari etiam potest textus, quod materia sit natura, vt susceptiua formæ; quia nõ est natura nisi quatenus recipit aliquã formã; natura enim est principiũ alicuius motus, qui necessariò debet esse forma; & forma ipsa natura est in ordine ad formã; forma enim lactucæ mouet in quo est ad formam lactucæ; vnde magis propriè natura est, quam materia; quia natura est terminatiuè, etiam vt forma, & vlterius natura est passiuè, & actiuè.

Obijcies tertio. Philosophus Tex. illo 12. 2. Phys. vult materiam esse naturam potentia non actu; sed quod est potentia tale, nõ est propriè tale; ergo materia, quæ potentia tantũ est natura, non est propriè natura.

Respondeo dicendũ, quod Philosophus non dicit materiã esse naturã potentia; sed materiã esse minus naturã, quã formã, seu formam esse principalius naturam, quã materiam, cuius rationem reddit, quia à natura denominãtur res naturales, sed res naturales magis denominantur à forma, quam à materia; cum enim habent formam iam sunt in actu, cum solum habent materiam sunt in potentia, tunc enim aliquis est actu homo, cum habet formam hominis, cum per corpus sit in potentia homo, per quæ patet verba illa Arist. (vnũquodque enim tunc dicitur, cum actu sit magis, quàm cum potentia) continere rationem illius, quod dixerat, (& magis natura hæc esse,) idest, forma, quam materia; quia scilicet per formam res naturales magis tales sunt, quam per materiam; cum per formam tales sint actu, per materiam tales potentia; discursus igitur Arist. loco citato videtur iste; natura non est compositum sed principia cõpositi, materia scilicet, & forma; compositum vero est, quod est factum ex ipsis, vnde dicitur naturale: natura ergo in ordine ad compositum est seu ens naturale; in ordine autem ad ens naturale natura cum sit, forma magis erit natura quam materia; pro-

bat

bat consequentiam; quia per formam ens naturale fit actu tale, per materiam fit tale potentia; quod autem est actu tale, est magis tale, quam quod est potentia tale; & quod hic germanus sensus sit, ostendunt ipsa verba. quæ sunt (quod autem est ex his) materia scilicet & forma (natura quidē non est, sed à natura, vt homo, & magis natura hæc est) idest forma, quam materia (vnū quodq; enim tunc dicitur) idest vnum quodq, enim ens naturale, tunc dicitur ens tale naturale, puta homo, quod attulerat pro exēplo, (cū actu sit) idest quando actu est tale per suā formā (quàm cum potentia est tale,) idest per materiā; vult ergo dicere Arist. forma est magis, hoc est principalius natura, quā materia: quia per illam ens naturale fit actu ens naturale; cum per materiā fiat tantū tale potentia & inchoatiue.

Art. 3. Vtrum solum principium passiuum sit natura.

NOn est quæstio vtrum solum materia sit natura, cum certum sit apud omnes etiam formam esse naturam; sed quæstio est vtrum natura solum dici debeat de principio intrinseco passiuè se habente ad motum intrinsecum, & naturalem, siue deinde hoc principium sit solum materia, siue materia, & forma.

Duæ sunt sententiæ, altera vult definitum solum esse principium passiuum. Ita sentit Scotus in 2. dist. in. 18. quæst. Vnica. Simplicius Tex. 18. & in proemio libri de anima, & alij.

Negāt definitum esse solum principium passiuum peripatetici communiter. Pro prima sententia sunt istæ rationes.

Prima. natura est principium motus, & quietis eius, in quo est, primum per se; sed impossibile est, quod principiū actiuū motus sit in subiecto moto primo, & per se; quia per accidens est, quod mouens, & motum concurrant in idem, cum possint separari: ergo natura sic accepta non dicitur de principio actiuo, sed passiuo.

Secunda ratio. mutatio naturalis est secundū quā passum mutatur, sicut aptū natura est mutari à quocumq; agēre; vnde 8. Phys. causa, qua naturaliter elementa moueantur ad sua loca, puta grauia deorsum, leuia sursū, est; quia suapte natura sic apta sūt moueri; sed nūquā passū est sic aptū natū propter principiū actiuū sibi inexistens, sed propter principiū passiuū, quo sic inclinatur: ergo principiū passiuum est natura.

Tertia ratio ex 2. Phys. tex. 3. per accidēs est infirmum sanari à se ipso, cum sit medicus; ergo principium actiuum mutationum, quale est medica ars in infirmo, est per accidens; sed natura non est principium per accidens: ergo solum principium passiuum est natura.

In contrariū pro secunda sententia sunt hæ rationes. Prima natura est per quam naturalia distinguntur à non naturalibus 2. Phys.; sed naturalia à non naturalibus distinguntur, quod habeant in se tàm principium actiuum motus quàm passiuū: ergo tam principium actiuum erit natura, quā passiuum; non igitur solum principiū passiuum erit natura; minor probatur per exēplum Antiphontis allatum ab Arist. quod si defodiatur lectus, & putrescat nascitur lignum, per quod Antiphon cum Antiquis probabat materiam esse naturam; quoniam putabat lignum esse materiam, figuram lecti formam; probatur autem sic, idcirco lignum est natura; quia à se mouetur motu gnationis, & augmēti; sed tali motu mouetur, vt patet nō solum passiuè; sed etiam actiuè, & multo magis; germinans enim nouos ꝓducit ramos ergo principiū actiuum, non solum passiuum, est natura.

Secūda ratio. motus localis animaliū, motus sursum, & deorsum elementorum; præterea augmentatio, nutritio &c. sunt motus naturales; ergo illorum principium erit natura; sed nauta les sunt, non solum, quia recipiuntur in animalibus, vel elementis; sed quia à facultatibus illorum eliciuntur; ergo non tantum sunt naturales respectu principij passiui; sed etiam actiui.

Prò solutione.

Notandum, quod ex duplici capite colligere possumus sit ne natura principiū tantū passiuū; primū est definitio, & quidditas ipsius; secundū est apparatus facultatum, & potētiarū, quibus instructa sunt corpora naturalia. nam certū est facultates, & potentias in corporibus naturalibus nō esse à ca-

su, quandoquidem certæ facultates reperiuntur in tota specie, aliæ in toto genere: cum ea, quæ fiunt à casu, fint raro, & vt in paucioribus: si ergo à casu non sunt, erunt à natura ipsorum; si vero natura corporũ determinat sibi certas potentias actiuas illorum motuum, qui in ipsis sunt, dubium non est, quod erit ipsa natura principium primum actiuum motus eius, in quo est, &c. facultates verò, & potentiæ erunt principium secundarium: ex quo profectò habetur non posse naturam dici solum principium passiuum. neque obstat, quod esse principium motus eius, in quo est, videatur passionem significare, nam ità passionẽ significat, vt non excludat actionem: quandoquidem non est nouum in eodem subiecto esse principium actiuum, & passiuum; præter quàm quod cum artificiata suorum motuum principium actiuum habeant extrinsecum, passiuum quodammodo intrinsecum; & artificiata differãt à naturalibus, quod naturalia sint principiũ suorum motuũ, non artificialia, differunt maximè per principium actiuum, ac proindè natura maximè dicetur de principio actiuo; putãdum tamen non est, vt sentit Auicenna, solum principium actiuum esse naturam; quoniam si artificialia passiuè concurrunt ad suos motus, id habent non vt artificialia præcisè, sed vt naturam includentia; quia artificiatum non est sine subiecto naturali, cum ex naturalibus conficiamus artificialia; vnde vera non erit sententia Auicenæ, sed natura de vtroq; principio tam actiuo, quàm passiuo dicetur. Quare.

Dicendum naturam non esse solum principium passiuum, sed dici etiam de principio actiuo, patet conclusio ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur. illud principium in rebus naturalibus constitui debet natura, quod adæquatè specificat naturalitatem motuum ipsorum in seipsis; sed hoc est tam actiuum, quam passiuum. ergo vtrũque est natura: minor probatur; quia motus deorsum lapidis dicitur ipsi naturalis, non præcise, quia recipiatur in lapide; nam secus cum iacitur sursum, etiam ille motus esset illi naturalis; quia in lapide recipitur; sed dicitur naturalis vel maxime, quia est à grauitate lapidis nitentis deorsum: ergo natura ipsius erit non solum principium passiuum, sed actiuum; præterea tex. 86 dicitur, quod si ars facienda nauis esset in ligno, non secus atque natura faceret, sed si natura esset tantum principiũ passiuum, hoc verum non esset; quia non esset similitudo inter artem, & naturam, cum inter agens, & patiens sit dissimilitudo: Ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod in rebus naturalibus non est per accidens, quod in mobilitatis specie conueniant principium mouens & motum; sed potius hoc est per se, nam in viuentibus hoc est necessarium, cum non putemus viuere, quod à se ipso aliquo motu non mouetur; sed solũ per accidens est, quod respectu omnis motus in mobili detur mouẽs, & motum, cum dentur aliqui motus in certis corporibus, qui sunt actiuè ab extrinseco; quare ad argumentum in forma limitanda est minor, est impossibile, quod in omnibus prorsus motibus, concedi potest minor; est impossibile, quod in multis, & talium specierum negatur minor, & consequentia.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod maior est limitanda; nam licet mutatio aliquo modo naturalis sit, qua mutatur passũ, secundum quod aptum natum est mutari à quocumque agente; tamen non tota naturalitas mutationis est per hoc; illud quidẽ sufficit, vt sit mutatio naturalis, sed non est solum; naturalis enim est mutatio vel maximè si fit secundum aliquam actiuam inclinationem passi ad ipsam. quare maior argumenti simpliciter negari posset; quoniam ab aliquo agente extrinseco passum vt tale mutari potest violenter; nunquam autem à suo agente intrinseco; melius tamen negatur limitata per particulam tantum; quoniam per illud tantum mutatio nõ est naturalis.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod procedit de arte solum, quæ est quidẽ principium actiuum, siue etiam factiuũ aliquãdo motus eius, in quo est; sed per accidens; vnde non est natura; quod non est contra conclusionem; quia non dicitur, quod omne principium actiuum sit natura; sed quod præter principium passiuum in rebus naturalibus, vt plurimũ datur etiam principiũ actiuum, quod propriè natura sit; transeat

quod

quod in illis reperiatur aliquod principiū actiuum, quod non sit natura, & à quo mutatio naturalis fit per accidens.

Obijcies 8. Phys. grauia & leuia mouentur à generante, vel remouente prohibens; sed si principium actiuum esset natura, melius dicerentur moueri à se ipsis; vel ergo natura non est, vel male dicuntur moueri à generante.

Respondeo, quod argumentum difficultatē non habet, nisi in modo loquēdi Arist. nam certum est grauia, & leuia aliquo pacto moueri à se ipsis media sua grauitate, & leuitate; quare autem dixerit Arist. moueri à generante, vel remouente prohibēs patebit alibi.

Art. 4. Vtrum principium effectiuum sit natura.

PEr principium effectiuum hic intelligimus illud, quod est principium trāsmutandi aliud, in quātum aliud: vnde hic accipimus principium effectiuum, vt contra distinctum ab actiuo, vt actiuum sit illud, quod est principium alicuius motus in se; effectiuum, quod est principium in alio de principio ergo effectiuo sic accepto sunt duæ sententiæ affirmatiua, & negatiua, Affirmatiua sententia quod dici possit natura sequi videtur Simplicius in tex. 3. tribuitur etiam Philopono, & Themist. in 2. Phys. eandem Simplicius tribuit Siriano, quamquam tex. 18. se explicat Simplicius dicens: Et ob id natura, quamuis sit aptitudo subiecti, dicitur efficere, tāquam cōferens ad effectum.

Sententia negatiua, quæ excludit efficiēs à definitione naturæ, est communis, contra quam

Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima. motus, qui producitur ab efficiēte in alio est naturalis: ergo prouenit ab aliquo principio, quod sit natura; hoc autem non est principium passiuum eius, in quo recipitur, quia illi, in quo recipitur, sæpe est violētus; ergo erit illud, à quo producitur, scilicet efficiens.

Secunda ratio. quod est naturale alicui, est ab eius natura; sed rebus physicis naturale est agere in aliud, & producere sibi simile: ergo erit ab eius natura: ergo principium efficiens erit natura, quoniam assimilare sibi aliud est efficientis.

Contrariam sententiam persuadent hæ rationes.

Prima ex definitione Arist. natura est principium motus eius, in quo est &c. sed efficiēs est principium motus in alio, ab eo, in quo est: ergo efficiens non est natura. Dices in illa definitione ommissam esse particulam, quæ conuenit efficienti; sed contra est; quia ab Arist. tradita esset definitio imperfecta, & omnes Peripateci imperfectā definitionē approbassent; imperfecta enim est definitio, quæ non explicat totum definitum. Ergo.

Secunda ratio. Si efficiens, vt sic, esset natura, omnes res, quæ sunt in mundo tàm spiritales, quàm corporeæ pertinerēt per se ad Physicam: hoc autem absurdum, & falsum est: ergo & id, vnde sequitur; sequela probatur; quoniam nihil est in mundo, quod non sit efficiens alicuius motus, & mutationis; nam Deus, & intelligentiæ secundum Philosophum mouent cœlos; quæ tamen non sunt res per se subiectæ considerationi Physicæ, vt patet. Confirmatur ex tex. 71. & 72. 2. phys. vbi Philosophus illa habet. quæ mota mouent sunt physicæ considerationis, quæ verò immota mouent non amplius. Ex quibus verbis solum res naturales, & physicæ considerationis censendæ sunt, quæ mouent motæ; sed efficiēs, vt sic mouet immotum, patet in lapide, & in aqua frigefaciente aerem ambientem: ergo efficiens, vt sic, non est physicæ considerationis, intellige, vt subiectū, vel pars subiecti physici.

Tertia ratio. Arist. tex. 86. ait naturam esse similē medico, qui sibi ipsi medetur; sed si putasset naturam dici de efficiente, magis dixisset, esse similem medico, qui alijs medetur à se; ergo principium effectiuum, vt sic non est natura ex eadē auctoritate confirmari potest supra posita cōclusio de principio actiuo: nam si Arist. putasset naturam esse tantum principium passiuum similitudo non valeret; quia medicus non habet principium passiuū sanitatis, quatenus medicus, sed quatenus corpus physicum; quatenus autem medicus habet principium actiuum, videlicet artem. Sed iam pro so-

lutione præsentis controuersiæ.

Notandum, quod hic ea debuit assignari natura, qua res physicæ constituūtur in esse entis naturalis, & cōsiderationis physicæ, vt sic haberemus constitutū subiectū totius physicæ, cuius deinde passiones cōsiderare possimus, ea autem natura non est, nisi quæ in se habet principiū motus, & quietis; quo niā quæ habet principiū motus, & quietis in alio potest spectare ad aliā considerationē; cū ergo per esse principiū motus in alio res physicæ non distinguantur ab alijs, nec constituantur in esse physico, principiū motus in alio non potest esse natura, quæ hic definita est; vnde rebus naturalibus per accidens quasi est, quod sint principium motus in alio, dico per accidens, non quod non habeant ab intrinseco, & de sua natura, sed quod non illis hoc sit ita proprium, vt per hoc distinguantur ab omnibus alijs rebus, quæ physicæ non sunt; per naturam autem res naturales à non naturalibus distingui debent.

Quare.

Dicendum efficiens vt sic non esse naturam, patet ex modo dictis & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur, quoniam res omnes prius sunt ad se, vel propter se, quàm propter aliud, præsertim eiusdem, vel inferioris ordinis; per naturam autem constituuntur res Physicæ. ergo per naturam constituentur in se, & per se, ità vt natura rerum physicarum primario ordinetur ad propriam perfectionem ipsarum; motus autem, qui sunt in alio, non sunt propriè perfectiones eius, in quo non sunt: ergo ad illos secundariò tantum ordinabitur natura; natura ergo non est principium motus in alio nisi secundariò; & quoniam vna quæque res per suam primariam rationem constituitur, ideò ratio naturæ erit, vt sit principium primū motus eius, in quo est, ac proinde efficiens, quod vt sic, est principium motus in alio, non erit natura.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod motus, qui producitur ab efficiente in corpore Physico dicitur naturalis dupliciter, 1. ratione principij passiui ipsius corporis, siue in specie accepti, siue in genere modo dicto. Secundo dici potest naturalis secūdario, quatenus est ab aliquo, quod est natura operātis, siue etiā quatenus est ab aliqua facultate efficientis; dicimus enim naturale esse vnicuiq; rei agere secundū propriā naturā, idest operari secundum illas facultates, & potentias, quas habet; quæ potentiæ cum sint radicaliter saltē à principijs essentialibus, & cōstitutiuis subiecti, inde est vt in hoc sensu denominationem naturæ recipiant, & sic dicimus ignem calefacere secūdū propriā naturā, cū tamē vis calefactiua ignis, quæ est calor non sit natura ignis, sed à natura; nec natura ignis hoc primo habeat; sed secundariò, sicut dictum est, nec per hoc fiat natura physicæ considerationis. quare natura, à qua motus, qui sunt ab efficiente, denominantur naturales, latius patet, & latius accipitur, quam fuerit hic ab Arist. definita, cum possit conuenire entibus non naturalibus; & per hæc patet etiam

Ad secundam. Respondeo enim dicēdū, quod principium primū, per quod res naturales habēt, vt possint agere in aliud, est ipsarum natura, ex quo est illa locutio, quā dicimus naturale esse rebus agere, & facere sibi simile; non est tamē sub illa ratione natura, de qua hic dictum est, sed solū quasi materialiter; vnde natura sub illa ratione latiùs patet, vt diximus, quā natura definitiua, cum etiam conueniat rebus spiritualibus, quæ agunt in aliud; quare in rebus physicis coincidit quidem natura, à qua dicuntur motus in alio naturales, cum natura, quæ est principium motus, & quietis in se, sed non est natura formaliter constituens obiectum Physicæ, vt est principium motus in alio, sed vt est principium motus in se; vnde formaliter loquēdo efficies, qua efficiēs, non est natura, de qua hic est sermo, etiāsi limitetur efficiens ad Physicum. quare ad argumentū in forma negatur quod quidquid est naturale alicui respiciendo extrinsecum, etiam loquendo de corpore physico, tale sit formaliter à natura, quæ hic est definita; sed tale potest esse à natura latius accepta pro omni principio, siue potētia rei effectiua; quæ sunt etiā in rebus spiritualibus; quo sensu secundum phylosophum naturale est intellgētijs mouere cœlum, cum tamen intelligentiæ neq; sint, neq; habeant naturam physicam.

Art. 5. Vtrum omne principium actiuum primum in rebus physicis sit natura.

Constat iã ex dictis aliquod principiũ actiuum physicũ, idest quod sit in corporibus physicis esse naturam, nam principia; quæ in alijs rebus sunt, & in eis agunt, vt intellectus Angelici in Angelis &c. non sunt natura, vt certum est ex dictis; restat ergo dubium, quod nam sit hoc principium actiuum in rebus physicis, quod sit natura; & quoniam certum est materiã nõ esse principium actiuum, certum etiam est principium actiuum, quod sit natura, non esse nisi aliquam formã; sed difficultas est, quæ sit hæc forma; Vtrum sit forma corporum inanimatorum, an etiam animatorum, nam aliqui concedunt formas inanimatorum, vt principium actiuum esse naturam, negant tamen de formis animatorum; alij negant de vtrisque, alij de vtrisque concedunt; sed negant de anima rationali; in hoc ergo articulo quæremus de formis inanimatorum, & animatorum, prætermissa anima rationali in sequentem articulum.

Pro prima negatiua primo sunt omnes rationes, quibus supra probabatur naturam esse solum principium passiuum. Præterea verbũ græcum mouendi positũ in definitione naturæ habet significationem passiuam: ergo nullum principium actiuum est natura, ac proinde si qua forma est natura eatenus tantum est natura, quatenus concurrit cum materia, ad constituendum certũ aliquod principium passiuum.

Secunda ratio quod anima non sit natura. Si anima esset natura in definitione naturæ definita fuisset, vnde necessarium non fuisset nouam ipsius definitionem afferre in libris de anima; immo noua definitio fuisset superflua. Ergo anima non est natura.

Tertia ratio. Natura est determinata ad vnum motum 1. cœli tex. 9. sed anima non est determinata ad vnum motum: ergo anima non est natura.

Quarta ratio. Natura & anima cõtradistinguntur, & habent diuersas definitiones: ergo anima non est natura, probatur consequentia; quia quæ sunt vnum, & idem non debent ad inuicem opponi, & distingui, sed vna, & eadem definitione explicari.

Contra hæc Pro sẽtẽtia affirmatiua sũt hæ rationes. Prima ab auctoritate philosophi tex. 1. vbi ait natura quidem sũt & animalia, & partes ipsorũ, & plãtæ, & simplicia corpora, vt terra, & ignis; sed animalia, & alia dicta talia sunt proprijs formis; quoniam materia non distinguntur, sed conueniunt. Ergo formæ corporum simplicium, & animatorum sunt naturæ; quod autem sint natura actiuè probatur, & sit.

Secunda ratio. Motus qui proueniunt ab huiusmodi formis etiam auctoritate Philosophi sunt naturales. ergo à formis, quæ sint natura; sed à dictis formis proueniunt actiuè; nam sensatiores, augmentum, vegetatio, &c. sunt actiuè a formis sensitiuis, & vegetatiuis, saltem media aliqua potentia ipsis debita: ergo anima est natura, etiam vt principium actiuum.

Tertia ratio. 8. Phys. tex. 27. ait Philosophus. quod enim ipsũ à seipso mouetur natura mouetur, vt vnum quodq; animalium; mouetur enim animal ipsum à seipso; quorumcumq; autem motus principium in seipsis est, hæc natura dicimus moueri: ergo per Arist. principiũ, per quod animalia primo actiuè mouentur, est natura. confirmatur ex 1. de partib. cap. 1. vbi apertè cõcedit aliquas animas esse naturam, & vt naturam pertinere ad philosophiam naturalẽ. & solum dubitat de mente, de quo articulo seq.

Pro solutione.

Notandum quod definita nõ possunt minus latè patere, quam ipsa definitio, si definitio sit bona; cum ergo definitio naturæ vt bona admissa sit necesse est omne illud esse naturã, cui ipsa definitio quadrat; quadrat autem dicta definitio non solum formis corporum simplicium, sed mixtorum, & animatorum, tàm si accipiantur pro principio passiuo, quã si accipiatur pro principio actiuo; igitur omnes assignatæ for-

formæ vtroque modo erunt natura, passiuè quatenus determināt proprium subiectum ad hunc potius motum, quàm ad alium; actiuè quatenus suorum motuū sunt principium; nam quod corpora simplicia dicantur moueri à generāte, vel remouēte prohibens, ex dictis supra non impedit, quin propriè actiuè moueantur à proprijs formis medijs qualitatibus motiuis, quæ ipsis debentur; nec etiā impedit in mixtis, quod dicat philosophus mixta moueri à prædomināte, siue moueri secundum elementum prædominans; nam solum significare vult Arist. dari in mixtis qualitatem motiuam referentem elementum prædominans in illo mixto, quæ qualitas debita est formæ mixti, quæ vnum potius elementum refert quàm aliud. Quare.

Dicendum formas corporum simpliciū, mixtorum, & animatorum esse naturas vt sunt non solum principium passiuum, sed etiam actiuum; seu omne principiū actiuū à gradu corporum simplicium, vsque ad gradum animati, & sensitiui, esse naturam; patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur; quia in demonstrationibus omnium illorum motuum sumi possunt dictæ formæ vt primum principium, & causa illorum; sed passiones naturales vt per principium demonstrantur per naturam: ergo formæ præallegatæ sunt natura. Et aduertendum, quod sunt natura simpliciter, & in genere non secūdum suam propriam rationem specificam; quia secundū hanc sunt tales naturæ, quatenus in tali ratione specifica claudūt gen⁹. Quare anima vegetans vt principium talis motus in eo, in quo est primū &c. est talis natura, quatenus hoc ipso simul dicit absoluiè omne principium motus in eo, in quo est, est natura.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod verbum græcū siue accipiatur passiuè, siue potius in media significatione, cum sit propriè verbum medium, nihil facit cōtra cōclusionem; nam si accipiatur in media significatione tàm actiuè, quàm passiuè explicari potest, quia verba græca media habēt vtramque significationem; si verò accipiatur passiuè, nec etiam est contra conclusionem; nam sensus erit: natura est principiū primum, & causa cur moueatur illud, in quo est &c. at principium actiuum propriè est causa cur moueatur illud, in quo est &c. ac proinde semper in definitione naturæ includitur forma, etiam vt principium actiuum, quocumq; tandem modo explicetur definitio.

Ad secundam respondeo dicendū, quod licet anima sit natura, tamen quia secundū se spectata distinguitur à natura in vniuersali, vt species à genere; ideo vt sic habere debet distinctam definitionem à definitione, quam præcisè habet, vt natura, seu potius à definitione, in qua conuenit vt natura cum alijs, quæ item natura sunt; præterea quando definita est anima in lib. de anima non est definita propriè vt natura; sed vt pars formalis in ordine ad suū susceptiuū; qua ratione etiam supra definita fuit materia, vt subiectum, nec tamen existimatur superfluum hic illam definiri de nouo vt naturam.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod in illa auctoritate natura strictius sumitur, quam fuerit accepta in definitione hic tradita; quoniam ibi accepta est pro sola natura elementorum, & corporum simpliciū, quæ est determinata ad vnum motum localem; quare vt simul respondeatur

Ad quartam, natura aliquando sumitur strictè pro natura, quæ habet motum localem sine cognitione, & tunc propriè est determinata ad vnum, cum motus, qui sequitur cognitionem non sit ad vnum: aliquando sumitur genericè ꝑ omni principio intrinseco corporei motus, & quietis in eo, in quo est, & tunc comprehendit materiā, & omnes formas dictas, sed à singulis distinguitur vt genus à specie.

Obijcies motus animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ non sunt naturales; ergo eorum principia non sunt naturæ. probatur antecedens; quia motus naturalis in fine est velocior quàm in principio, at motus vegetatiuæ, & sensitiuæ tempore debilitantur. secundo per motum naturalem non defatigamur, per motum progressiuū defatigamur: ergo nō est naturalis, nec eius principium natura.

Respondeo dicendū, quod cum dicimus motum naturalem esse velociorem in fine, quā in principio, sermo est de motu locali

cor-

corporum simplicium, vel mixtorum, & deeo, vt contradistinguitur à motu violēto proiectorum, vnde non est adæquatè motus, qui ponitur in definitione naturæ, sed solũ vna species illius; quare vt supra dictũ est, natura qua denominatur in illis locutionib⁹ naturale strictius accipitur, quã explicetur in definitione naturæ; quod additur res non defatigati motu naturali vniuersaliter falsum est; nam defatigari proprium est agentis, quod in agendo repatitur; animal autem progrediēdo repatitur; quia consumuntur spiritus, per quos fit motus progressiuus; repatiuntur etiam facultates vegetatiuæ, & sensitiuæ saltem ratione subiecti, in quo sunt, vnde non est mirũ si dictæ facultates, & ipsorum motus debilitentur; & aduertendum, quod motus progressiuus partim est naturalis, partim violentus; naturalis est animali, qua animal est, violentus est, quatenus animal est corpus graue; nã vt corpus graue nititur deorsum, vt animal in varias partes procedit, sicut cognitio, seu obiectum per cognitionem determinat.

Art. 6. Vtrum anima rationalis, vt rationalis, sit natura.

Restabat inter principia actiua, quibus videtur ratio naturæ conuenire anima rationalis, de qua, quia est peculiaris difficultas, peculiari loco agendum fuit, quærimus ergo vtrum anima rationalis nõ solum quatenus continet gradus formarũ, de quibus proximè determinatum est, sit natura; sed etiam secundum vltimum suum gradum rationalitatis; de quo sententia Affirmatiua est communis, & vera, quam tradũt cõmuniter recētiores Sua. Conimb. hic Tolet. q. 1. prœmiali in lib. de anima, Ruuius 2. phy. cap. 1. q. 3. & alij. Pro sententia tamen negatiua sunt hæ rationes.

Prima ex Philosopho tex. 12. nulla forma, quæ est natura, est separabilis à materia; sed anima rationalis, vt rationalis est separabilis a materia: ergo anima rationalis, vt rationalis, non est natura.

Secunda ratio. si anima rationalis, vt rationalis, est natura, etiã intelligentiæ erunt natura; consequens est falsum: ergo & antecedens; sequela probatur. quotiescumq; aliquod prædicatum conuenit alicui secundum vnam rationem participatam à pluribus, illud prædicatum conuenit illis pluribus; nam, quia nutriri conuenit plantis secundum gradum vegetatiui, qui participatur ab animalibus, & homine, & homini, & animalibus conuenit nutriri; sed animæ rationali conuenit esse naturam, etiam secundum quod dicit gradum rationalitatis, in quo conuenit cum intelligentijs: ergo intelligentijs quoque conueniet ratio naturæ, quod tamen est falsum.

In contrarium pro sententia affirmatiua sit prima ratio, homo vt sic est vna species corporis physici; ergo anima rationalis, per quam constituitur in esse hominis, est natura; patet consequentia; quia corpus naturale tale constituitur per naturam; vnde & tale corpus naturale constitui debet per talem naturam; per animam autem rationalem, vt sic, constituitur tale corpus naturale: ergo anima rationalis erit natura.

Secunda ratio. definitio naturæ conuenit animæ rationali vt sic; ergo anima rationalis vt rationalis est natura; probatur antecedens; quia anima rationalis, vt rationalis est primum principium motus eius, in quo est &c. probatur: risus, fletus &c. sunt aliqui motus naturales talis compositi physici; sed hi motus, vt à primo principio sunt ab anima rationali; vt sic: ergo anima rationalis, vt sic, est natura.

Tertia ratio. Omne illud est naturale, quod motũ mouet ex dictis; sed homo hoc pacto mouet: ergo est compositum naturale: ergo principia, per quæ constituitur homo, erunt natura; sed homo constituitur ex anima rationali, & corpore; ergo anima rationalis est natura.

Pro solutione.

Notandum, quod homo cum sit quasi in medio naturæ spiritualis, & corporeæ, vnde dictus est à Trismegistro Orizon temporis, & æternitatis, aliquid de vtroque participat; nam cũ rebus spiritualibus conuenit in eo, quod est intellectiuus, & sui iuris; cum corporeis, & materialibus, quod nutritur, progreditur, sentit, alget, calet &c. cum autem vnius sit naturæ completæ, & non plurium; quia secus esset aggregatum per accidens, per eãdem naturam cum

vtroq;

vtroque extremo communicare debet, & ab vtroque etiam dissidere: communicat ergo cum cæteris rebus corporeis in eo, quod est corporeus, & vt corporeus, ac materialis habet proprios motus ab intrinseco, in quibus participat materia; hi autem motus non solum sunt ipsius hominis, quatenus includit gradum sensitiui, vel viuentis, vel corporis; sed ipsius hominis, qua homo est, & dicit tale sensitiuum determinatum in specie per differentiam rationalis; nam risus, fletus, talis motus progressiuus, tales sensationes hominis sunt, quatenus homo est, homo vero, qua homo constituitur per animam rationalem; vnde in Lateranensi Concilio sub Leone X. & in Viennensi definitum est animam rationalem propriè, & essentialiter esse formam humani corporis; nam tales motus à materia præcisè esse non possunt; ab anima ergo sunt vt à primo principio; quare anima rationalis etiam vt sic erit natura; sed considerandum est, quod anima quatenus rationalis, adhuc sumi potest dupliciter, vno quidem modo quatenus est principium ratiocinandi, & quatenus per rationem moderatur sensus, aliosque motus corporeos, ijsque vtitur liberè, & vt sic natura non est, quia quod est per naturam distinguitur ab eo, quod est per intellectum, & libertatem. secundò sumi potest, vt rationalis, quatenus determinans sensitiuum illud facit esse tale, nã omnis forma sensitiua non solum dat sensitiuum in genere, sed genus quoque determinat, & facit tale sensitiuum, vt rugibile in leone anima leonis, hinnibile in equo anima equi, & rationale in homine anima hæc; ex quo etiam est aliquis peculiaris motus, vt risus, fletus, &c. & sub ista cõsideratione anima rationalis, etiã vt rationalis, & est forma corporis humani, & in eo consequenter est natura; quia forma materiã informans, & physicum constituens consequenter est natura; quia, vt sic principium est motus eius, in quo est primum per se. Quare.

Dicendum animam rationalem, vt rationalem esse naturam, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur, quia motus iuxta inclinationem subiecti, in quibus participat materia sunt naturales, seu physici, vt certum est ex dictis; sed ab anima rationali quatenus tali, & quatenus contradistinguitur ab omni alia anima sunt huiusmodi motus, ergo anima rationalis, vt sic, & vt contradistinguitur ab omni alia anima est natura.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod sensus propositionis philosophi potest esse duplex, primus: forma, quæ est natura non est separabilis existens, nisi ratione, idest separata à subiecto plusquam ratione, seu existens separata a subiecto plusquam ratione, non est natura, & hic sensus est verus, nam nulla forma etiamsi sit informãs, & alioquin sit natura, dum est separata à subiecto plusquam ratione, idest, dum est separata à subiecto realiter, est natura, quia non est principium motuum, in quibus participat subiectum, & materia, vnde anima rationalis in statu separationis ipsius à corpore reduplicatione non est natura: secundus sensus est, nulla forma, quæ est natura, & separabilis existens, nisi ratione, idest, nulla forma, quæ est natura, potest realiter separari à subiecto, & ab eo, cuius est natura, & hic sensus est falsus, & si hoc voluisset philosophus falsum dixisset; si verò voluit primum, vt voluisse credi debet, verum dixit; quare breuiter dici potest philosophum locutum esse in sensu formali, nulla forma, quatenus natura, est separata, nec separabilis à subiecto; nec valet, quod obijciunt aliqui concedere Arist. formam, vt naturam esse separabilem ratione, quod non esset, si fuisset locutus in sensu formali; non valet inquam; quia aliud est formã formaliter, vt naturam non esse re separabilem à subiecto; aliud non esse separabilẽ ratione, seu consideratione; primum negat Arist. & concedit secundum, quia licet forma, vt natura realiter semper dicat ordinẽ ad subiectum, seu realiter sit in subiecto, per intellectum tamen præscindere possumus aliquam aliam ipsius considerationẽ, saltem inadæquatè, absq; eo, quod destruamus rationem naturæ, quæ necessariò destruitur si forma præscindat re à subiecto. Quare formam, vt naturam formaliter esse inseparabilem à subiecto, non est nullũ conceptum de forma, dum natura est haberi posse, nisi intelligatur in eo subiecto; sed est nullũ cõceptum, de ea haberi posse,

vt sic formaliter reduplicatiue non intelligatur in eo subiectum, quod cum non habeat anima rationalis secundum statum separationis, vt sic non est natura; argumentum ergo ità in forma dissolui potest, nulla forma, quæ est natura, vt sic, & formaliter est separabilis à materia plusquam ratione conceditur maior; sed anima rationalis, vt rationalis, est separabilis; distinguo minorem, vt rationalis, vel reduplicat solum gradum, & vltimam perfectionem animæ, & sic conceditur minor, vel non solum reduplicat gradũ ipsius, sed dicit modũ essẽdi informatiue in subiecto cõstituẽdo tale sensitiuũ, & sic negatur minor; quia implicat hoc habere animã rationalem nisi in corpore; ac proinde vt sic esse separabilem.

Ad secundam respondeo dicendũ rationale nõ participari ab intelligẽtijs; quoniã rationale dicit talẽ gradum intellectiui distinctũ ab omni alio, in quo, vt patet non possũt cõuenire intelligẽtiæ, quæ faciũt diuersũ gradũ intellectiui ab homine; sicut nõ possũt in gradu talis sẽsitiui, qui est, verbi gratia, hinnibile participare alij gradus, puta hinnibile; in forma ergo negatur sequela maioris. ad probationẽ patet rationale nõ esse principiũ, in quo cõueniãt intelligẽtiæ, licet à rationali abstrahi possit aliqua ratio intellectiui, in qua homines cõmunicẽt cũ intelligẽtijs, & talis ratio nõ est ab anima quatenus natura; sed quatenus dicit vltimam differentiam essentialẽ, quam habet in se intelligendi, & retinet etiam separata.

Obijcies lib. primo de partibus animaliũ c. 1. philosophus expressè negat animam rationalem esse naturam, & duplici de causa naturam non esse dicit; primo quia natura non est separabilis; illa est separabilis: secundò quia si est natura de ea considerare pertineret ad Physicum; & quoniã qui considerat de potentia, considerat etiam de obiecto; consequenter ad eundem physicũ pertineret agere de omni intelligibili, ac proinde physica ageret de omne re.

Respondeo dicendum philosophum ibi loqui de anima rationali secundum priorẽ considerationem supradictã; & præcisè vt est mens; vnde concludit non esse Physici agere de omni anima; sed neque de aliquibus eius partibus, prius autem distinxerat eandem animam rationalem in plures partes, per quas ostendit se appellare animam, de qua non agit Physicus, principalẽ partẽ siue potentiam animæ, quæ est intellectus, seu mens, & de anima loqui, vt dicit vltimam perfectionem intellectiui, vt sic; anima autem rationalis vt mens, & intellectus non est natura; quia vt sic non dicit organum, & subiectum, nec motus materiales.

Obijcies 2. t. 4. 2. phy. omnis natura vel est subiectum, vel in subiecto; sed anima rationalis non est in subiecto: ergo non est natura. Respondeo dicendum, quod anima rationalis non est in subiecto per modum inhærendi, quomodo accidentia sunt in subiecto, nec vt cæteræ formæ materiales sũt in subiecto dependendo quoad esse à subiecto, est tñ per modũ informãdi, quia verè informat subiectum; quare negatur minor.

QVAESTIO TERTIA.

An accidens aliquod rationem naturæ habere possit.

QVandoquidem ea nonnunquam præstat ars, quæ admodum videntur similia naturalibus effectis, inquirẽdũ restat, possit ne ars, siue vllum aliud principium accidentale esse natura.

Art. 1. Vtrum principium aliquod accidentale sit natura.

SEntentia negatiua est communis. Pro affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. vapor quatenus vapor naturaliter ascendit. ergo à natura; sed vapor substantialiter est aqua: ergo uel in vapore natura est accidens, vel forma aquæ: non secundũ; quia forma aquæ petit motum deorsum: ergo primum: erit ergo natura principium aliquod accidentale.

Secunda ratio. ars est principium accidentale; sed ars præstat quosdam motus, & operationes naturales in eo, in quo est; ergo est natura; probatur minor; quia ars saltandi facit motus saltationis in eo, in quo est; præterea in multis artificiatis ars est principium mouendi, & quiescẽdi,

hinc sunt illa, de quibus apud veteres historias, videlicet: sphæra vitrea Archimedis, quæ orbes omnes cælorum continebat cum suis motibus, de qua quidam.

Iura Poli, regnumq; deorum.
Ecce Syracusis transtulit arte senex.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.

Lib. 10. noct. at. i. cap. 12. Columba lignea Archytæ, de qua Gellius; quæ volatum edebat. Tripodes ærei, & aurei Pincernæ, qui se mouebant, & cõuiuis ministrabant in cõuiuio Iarchæ Gymnosophistæ, de quibus Philostratus in vita Tianæi, Dedali statuæ, de quibus Arist. primo polit. c. 3. & primo de ani. Tex. 44. in his, & alijs, cum motus non potuerint esse, nisi ab arte: ars respectu illorum videtur fuisse natura.

Tertia ratio. quædam sunt imagines, quibus magi, & malefici fascinant, & alia miranda præstant propter virtutem communicatam ab imaginibus cælestibus ex Sympatia quadam rerum inter se similium: ergo dictæ imagines sunt natura; patet consequentia; quia si vna illarum exaretur in cute alicuius, dicta omnia præstabit, ac proinde erit principium motus in eo, in quo est: ergo erit natura.

Quarta ratio. verba, & incantationes habent vim sanandi morbos, & alia mirabilia præstandi; sed verba sunt soni recepti in eo, qui sanatur: ergo principiũ aliquod accidentale est natura; cum ab eo primo sit motus sanitatis & his accedi quod ars chimica est principium &c. efficiendi verum aurum.

Pro contraria sententia sunt hæ rationes. Prima ex definitione naturæ, quæ est primum principium motus, &c. sed nullum principium accidentale est primum principium motus &c. ergo nullum tale principium est natura.

Secunda ratio. si principium accidentale esset natura, naturalia non differrent ab artificialibus; sed communi consensu hominum naturalia distinguuntur ab artificialibus: ergo principium accidentale non potest esse natura, patet maior; quia naturalia constituuntur natura; qua caret, vt sic, artificialia.

Tertia ratio. omne accidens est instrumentum alicuius substantiæ: ergo omne principium accidentale agit in virtute alicuius substantiæ; sed natura agit de se primò, cum sit primum principium &c. ergo nullum principium accidentale, vt sic, est natura.

Pro solutione.

Notandum, quod, vt dictum est, de natura accidentis est, vt sequatur aliquã substantiam; vnde omne accidens naturale alicui substantiæ debitum est: cum ergo accidens habeat suum esse propter substantiã, multò magis habebit & operari, non solum in eo sensu, quo quidquid operatur operatur gratia alicuius substantiæ, sed in eo, quo quidquid accidentale operatur, operatur vt virtus substantiæ; vnde primũ principium talis operationis erit substantia, cuius tale accidens est virtus; ac proinde sola substantia erit natura, quæ est primum principium &c. præterea natura cõstituuntur naturalia, vnumquodque enim ens naturale tale est sua natura, sed nullum ens naturale tale est accidente, quoniam nullum ens substantiale, quale est ens naturale, tale esse potest accidente; non igitur vllum accidens potest esse natura. quare

Dicendum nullum principium accidentale, vt sic esse naturam, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ confirmatur, quia principium accidentale vel est principium motus in eo, in quo est, vel in alio, si in alio non est natura, quia natura est principium eius, in quo est, si in eo in quo est non est primum principium per se; ergo nunquam principium accidentale est natura.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod vapor, vel est substantialiter aqua, vel non; si primum motus sursum non est illi naturalis, vt est tale corpus Physicum; sed solũ vt est tale principium mixtionis meteorologicæ, ac proinde tale principium accidentale non erit natura; quia tale principium, vt sic, non facit aliquid naturale, cui sit primum principium motus naturalis; si secundum neque etiam erit natura; quia primum principium erit forma substantialis. at sit ne vapor essentialiter aqua, vel non, suo loco demonstrabimus.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod ars saltandi neque est primum principium motus &c. neque etiam est principium illius elicitiuum; nam considerandum, est quod

quod in eo, in quo est ars saltandi, simul quoq; est potentia motiua, à qua est motus saltationis, non quidem vt à primo principio, sed, vt à principio immediatè elicitiuo; quia principium primum est anima, cuius instrumentum est potentia, ac proinde sola anima est natura, potentia motiua est principium secundarium, licet immediatū; ars verò solum est principium dirigés quatenus dirigit motus saltationis, vt concinnè fiant, & secundum certas regulas, quod ideo præstat; quia potentia motiua in homine subest intellectui practico, & imaginationi, in quibus quando est ars saltandi possunt dirigere potentiam motiuam, vt tali pacto eliciat motum saltationis. Ad illud verò, quod additum est de arte factis, quæ à se ipsis mouebantur, posito quod vera sit historia, de omnibus dicendum est principium illorum motuum primum, & per se, non fuisse artem; patet, quia ars non est in arte facto, sed in artifice, neque dici potest, quod fuerit forma artificialis in ijs facta per artem; sed quod fuerit graue, vel leue adhibitum per artem; fiebant enim motus illi, vel ab argento viuo, vel à ponderibus inclusis, quæ tantum ordinauerat ars, & adaptauerat ad illos motus efficiendos.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod illa omnia præstant dictæ imagines opera dæmonum, cum referant dæmonibus certa pacta, quibus conuenerunt cum maleficis, & magis ad quædam opera præstanda; neque enim putandum est ea effici per imagines, siue per alia huiusmodi, quibus vti solent malefici, vt sunt nodi suspensorum, certi characteres, certæ plumæ, & alia huiusmodi; sed illa omnia efficiútur per Dæmonem operantem per motum localem, quod de se immediatè potest, vel applicātem actiua passiuis; & ad hoc propositum est articulus Parisiensis, qui sic habet. Quod imagines ex metallo, vel cera, vel alia materia ad certas constellationes fabricatæ, vel certo charactere, vel figura efformatæ, aut etiam baptizatæ, exorcizatæ, aut consecratæ, aut potius execratæ secundum prædictas artes, & sub certis diebus, habeant virtutes mirabiles; quæ in libris huiusmodi superstitionis recitantur, error est in fide, & philosophia naturali, & Astrologia vera. hæc articulus; quę tria sic probari possūt error est in fide; quoniam cognitio futurorum contingentium, & secretorum cordiū, quam attribuūt aliquādo dictis rebus; præterea miraculosi effectus, quos volunt per dictas imagines præstari, sunt solius Dei, ac proinde contra fidem est, illos ascribere rebus creatis: est contra veram philosophiā, quia ex primo de cælo figura per se non est actiua, & ex primo de gen. nullum agens physicum agit indistans, nisi agendo in medium; est contra veram Astrologiam, quæ non innititur falsis principijs; nam figura constellationis cælestis, quam vim habere potest ex eo; quod est quædam similitudo, neq; .n. similitudo quæ est relatio, est actiua, si .n. simile, quia simile haberet vim ad præstandū id, quod per similitudinē refert, canis pictus latraret; præterquā quod non adhuc cōuenit apud iudiciarios Astrologos de huiusmodi constellationibus, & illarum effectis, cum inter ipsorum principes, & de constellationibus, & de illarum virtutibus dissidium sit, & hic eas sibi tali pacto confingat, ille alio; iste tribuat eis hanc virtutem, ille contrariam, sed de hoc plura alibi.

Ex his patet ad quartam rationem incātationem non maiorem vim habere; quam habeant verba, & voces; voces autem aliā vim Physicam non habent, quam habeant soni, qui non possunt præstare ea, quæ incantationibus adscribuntur, cum habeant solum mouere auditum; nam quod somniant magi voces dignioris, & sanctioris linguę habere maiorem vim, & adhuc vim maiorem habere verba composita in propositiones, quàm simplicia, quia in propositione fit veritas, cuius est magna vis, certè commenticium est; vnde enim prouenire potest hæc maior vis in lingua digniori? num ex Deo? sed nullibi ex scriptura, neque per Ecclesiam constat Deum hanc vim elargitum vocibus. dicunt literis, & syllabis esse quandam cum cælestibus corporibus, & mentibus sympathiæ connexionem; at hoc vnde habent? quaue ratione probāt? illud non minus absurdum nomina propria radios quosdam esse rerum, quas significant, & in ipsis nominibus quasi vitam quandam latitare; nam qui radij? & vnde? & quæ illa vita, quæ in nominibus latet? sed hæc vt somnia in philosophia, nullam vim habent; certum igitur esse debet omnem incanta-

cantationis vim, excedentem vim soni, esse à Dæmone; vnde quæ fiunt per incantationem, necessariò attribuenda sunt Dæmoni; ea autem, quæ fiunt à sacris vocibus & precibus Deo ritè oblatis, & sine superstitione Deo attribuenda sunt, ipsiusque ministris virtutibus, cum ipsius vice, vt administratorij spiritus operantur.

Art. 2. Vtrum per artem chimicam effici possit, vel efficiatur verum aurum.

DE Origine nominis Chimicæ, & Alchimiæ plura Delrio lib. 1. disquis. magi. c. 5. quæst. 1. secti. 1. vtrum autem per eam artem verum aurum effici possit sententiam Negatiuam deffendit Tostatus in Exo. c. 7. q. 10. Aegid. Rom. q. 8 quolib. Tertio, Aponensis differentia 109. & alij. Affirmatiuam sequuntur Chimici, & recentiores philosophi communiter, inter has duas sententias extremas, est quasi media D. Thom. in 2. sententi. dist. 7. q. 3. ar. 1. & multorum Thomistarum, quæ vult per chimicam posse produci aurum quoad externas qualitates, sed non quoad intrinsecam substantiam. Alij vltimo inter vtramque extremam sententiam hærent dubij dicentes de alterutra parte non sibi satis liquere, ita Perer. Gregor. de Valen. & alij.

Sententiæ, quæ negat per Chimicam produci aurum fauent hę rationes. Prima Chimici, non conueniunt in assignando lapide, cuius beneficio sit tribuenda hæc transmutatio, vt videri potest apud Delrium sec. 2. nam alij illum vocant lapidem vitæ, alij aquam viuam, aquam vitę, aquam siccam, lignum vitæ, sanguinem humanum, lac virginis &c. interse etiam mirè in alijs principijs digladiātur: ergo non datur vera ars, quæ doceat fieri aurum, ac proinde nec per eam verum aurum effici potest.

Secunda ratio. Chimici naturam metallorum ignorant; nam Cardanus putat illa viuere, & nutriri; alij existimant habere animam superioris ordinis, verum valde reconditam, vt Georgius quidam in Harmonia mundi, alij volunt lapides esse reiectamenta syderum, vt Paracelsus; metalla verò adipem, & medullam lapidum; præterea volunt vnicam esse perfectam speciem metalli, nempe aurum; cæteras esse tanquam rude, & inchoatum aurum; his additur, quod nesciunt causam effectricem; nam efficientiam auri volunt esse à solo calore, quo solo non potest effici aurum; cum aurum non concrescat calore: ergo nō possunt verum aurum generare.

Tertia ratio. metalla resoluuntur in sulphur, & argentum viuum; ergo ex his proximè generari non possunt; patet consequentia, quia nullum mixtum resoluitur in id, ex quo proximè genitum est.

Quarta ratio. fundamenta Chimicorum si diligentius inspiciantur vel penitus falsa sunt; vel prorsus dubia: ergo non potest dari vera ratio, & ars conficiendi auri.

Quinta ratio. non datur ars, quæ transformet gemmas in alias gemmas: ergo neque quæ mutet cætera metalla in aurum: patet consequentia à paritate rationis.

Sexta ratio. calor, & frigus, quod in minera producit aurum, non illud producit qua calor, & frigus est; sed quatenus est instrumentum cœli; sed per artem applicari non potest calor vt instrumentum cœli: ergo per artem aurum effici non potest.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hę rationes. Prima Magi Ægiptij transmutarunt virgas in serpentes; ergo per artem fieri potest, quod minus est, nempe aurum ex alio metallo, vel mixto.

Secunda ratio, ignis habet vim transformandi metalla per varias alterationes, liquationem, separationem, congregationem, &c. Vlterius per calorem naturalem cibi conuertuntur in carnem: ergo multo facilius caloris beneficio argentum viuum, vel quid aliud huiusmodi conuertetur in aurum.

Tertia ratio, ars potest gignere vespas, scarabæos, crabrones ex cadaueribus, & scorpiones ex herba basilica, & pullos ex ouis, vt in fornacibus Cairi excludi pullos ad multum numerum beneficio caloris ex ouis in his dispositis refert Scaliger; sed ad generationem horum animalium

plura

plura requiruntur, quàm ad generationem auri: ergo si illa potest ars, multò magis hoc.

Quarta ratio; naturaliter videmus multos vermiculos mutari in volatilia, & tamen reptile, & volatile plusquam specie distant, quia sola differunt metalla inter se: ergo multo magis inter se mutari possunt metalla.

Quinta ratio, ars efficit sal, butimen, & attramentum, quæ etiam producit natura: ergo ars quoque efficiet aurum, sicut & natura.

Sexta ratio, multa legumina inuicem mutantur, vt triticum, & seligo, triticum, & lolium, ligna mutantur in lapides, si in certis fontibus ponantur; in Scotia ex arborum fructu, & ex fragmentis nauium deciduis in mare generantur anates, & ex Herodoto Platanus in oleam versa est. ergo & aliquod mixtum verti poterit in aurum.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut dictum est, quæcumque facit ars in rebus naturalibus mediatè tantum facit, quatenus ad inuicem applicat actiua, & passiua, quæ per veram efficientiam ad inuicem operantia proximè effectuum causa sunt, vt proinde ars Chimica si datur, & si verum aurum efficit, mediatè efficiat, quatenus adhibet certam materiam in aurum transmutabilem, siue hæc sit aliud metallum, siue sulphur, siue argentum viuum, siue quid huiusmodi; & causas actiuas, vt puta ignem, & alia huiusmodi fomenta, quibus metalla dissoluuntur, liquescunt, & concrescunt varieque transmutantur; nam considerandum est, quod aurum, cùm sit mixtum naturale, debet in natura habere certa principia tam materialia, quam effectiua, per quæ generetur, hæc autem principia nota sunt; si non hominibus, saltem Dæmoni, qui res naturales benè perspectas habet; vnde non est impossibile, etiam homini ea innotescere, si ea illi reuelet Dæmon; siue etiam Angelus bonus; quamquam & alijs modis per humanam inuentionem, vt multa alia, perspecta fieri possunt; tota difficultas consistere videtur in applicandis actiuis passiuis; nam fortè impossibile est hómini ea applicare; sed tamen tertio considerandum est, quod aurum cum certis primis qualitatibus constet, & ex primis exiltant secundæ poterunt applicari frigida & calida, humida, & sicca, in tanto gradu, & tali proportione, vt efficiant temperamentum auri, quod si semel obtineat ars, non erit difficile generare aurum cum ad temperamentum necesse sequi formam substantialem auri, sicut videmus sequi in alijs rebus. sic æstiuo tempore madefacto puluere, vt puluis contraxit tale temperamentum primarum qualitatum nascitur rana, seu vermiculus, & sic de alijs: si ergo quis optimè cognoscat temperamentum auri, & benè applicet prima actiua in debita materia frigida scilicet & calida, humida, & sicca; nihil prohibet ex illis existere verum temperamentum auri, atque adeo verum aurū generari; sed hoc opus, hic labor est, cum auri natura difficile cognoscatur, & materia apta haberi non possit; vel certe stet magna impensa, multoque adhuc difficilius sit applicare actiua in debita proportione, & eo tempore, & loco, quo à scopo non aberrent: attamen quia hæc habere non est simpliciter impossibile.

Dicēdum nec artem Chimicam esse impossibilem, nec impossibile esse per eam verum aurum generari; patet vtraque pars conclusionis ex dictis, & corroboratur rationibus secundæ sententiæ; quamquam in illis quædam sunt, quæ non debent facile admitti. confirmatur quia causæ, & principia entis naturalis etiam proxima sunt naturalia: ergo aliqua ratione cognosci possunt; sed aurum est ens naturale: ergo, & ipsius principia cognosci poterunt; sed cognita nō implicat simpliciter ea applicare: ergo per artē, per quam illa cognoscuntur, applicari poterunt, & generari verum aurum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam dupliciter respondet Delrio, primo nominibus illis omnibus idem significare chimicos, rem tamen, vt obscuram redderent omnibus illis nominibus abscondisse. Secundo non esse mirum si inter scriptores de Alchimia sint variæ senten-

sententiæ quandoquidem, & variæ sunt in philosophia, in medicina, & alijs facultatibus; cum tamen negari non possit dari veram Philosophiam, & veram medicinā, & per eam veram sanitatem in ægro fieri, vtraque responsio est probabilis, quæ etiā si non valerent ratio solum probaret non esse inuentam veram artem Chimicam, cū quo stat illam posse inueniri, natura, & beneficio temporis, sicut aliæ artes inuentæ sunt, quæ priscis mortalibus non erant cognitæ, vt ratio conficiendi pulueris tormentarij, & alia huiusmodi.

Ad secundam respondeo dicendū, quod nihil plus probat, quam prima; & cū ignorantia metallorum naturæ potest stare certa alia peritia illa liquandi, expurgandi, &c. per quod forte poterit generari aurū.

Ad tertiam, quartam, & quintam patet ex dictis, pluribus respondet Delrio loco citato.

Ad sextam respondeo dicendum, quod assumit, quod in philosophia est dubium; nam plurimi cum Scoto putant quotiescūque non est principale agens, cui attribuatur generatio, eam fieri non à cælo, sed à prima causa concurrente cum qualitatibus actiuis iuxta exigentiam mixti generādi.

Obijcies, quæ sunt in quolibet genere perfecta habent determinatas causas, materiam, efficiēs, & locum generationis, quæ adhibere non potest ars; sed aurum est perfectum in genere metalli: ergo.

Respondeo dicendum, quod pulli in genere animalium sunt perfecti & tamen fieri possunt beneficio artis; vnde idem erit de auro; quare negatur maior.

Obijcies secundo hactenus nunquam fieri potuit beneficio huius artis verum aurū: ergo neque ars datur; neque per artem effici potest; patet consequentia, quia cum tanto studio mortales omnibus sæculis in hoc incubuerint, si dari posset, vel per eam verum aurum efficeretur, iam effectum fuisset; antecedens probatur auctoritate M. Alb. qui 3. de mineralibus, testatur se expertum fuisse aurum chimicum, & falsum deprehendisse; huc accedit, quod quotquot ad hanc artem accesserunt bene nummati suas fortunas, & sæpe etiā alias decoxerūt.

Rñdeo dicendum quod multis historijs testatum est aliquando verum aurum per chimicā artem fuisse effectum; videri potest Delrio loco citato, sect. 4. ex eo illud tantum hic adscribere placet grauissimorum iuris consultorum auctoritate constare, Arnaldum Villanouanum beneficio chimicæ artis virgulas aureas produxisse quas omnium examinationi subiecerit in Aulæ Pontificis, vnde credendum est Alberto Magno oblatum esse fucatum aurum, & adulterinum, quale probabile est communiter fieri ab his qui artem Chimicā profitentur, vt qui eam non bene teneant; porrò quod in hoc Chimici profundant patrimonium ob duplicem causam dicendum est id euenire; Primò quidem, quod nō bene teneant hanc artem; secūdò quod multo labore, & impensa indigeat, cui non possit respondere lucrum, vt operæ pretium sit natiuo auro, & optimis artibus conquisito potius esse contentum, quam fornaculis inhærendo verum aurum amittere; & solum fumum reportare; quandoquidem, vt est in extrauaganti. Spondet. Ioan. 22. Alchimistæ spondent, quas non habent diuitias, quo etiam nomine male semper in republica audierunt, vt qui suas, & alienas facultates consumant, inanique spe homines lactent, vt non multis ab hinc annis docuit experientia in insigni huius artis impostore; qui postea in Germania, quo fugam arripuerat, sanguine meritas pœnas dedit.

Art. 3. Vtrum principium finale sit natura.

SEntentia negatiua est communis. Pro affirmatiua tamen sunt hæ rationes.

Prima, forma lapidis est primum principium motus lapidis deorsum; sed forma lapidis est finis talis motus: ergo finis talis motus est natura; probatur consequentia quia forma lapidis motus deorsum est primū principium, & principium quidem mouēdi in eo, in quo est, &c. qđ est esse naturā.

Secunda ratio. quando generatur lapis finis generationis est forma lapidis; sed forma est primum principium &c. non solum aliorum motuum, sed motus generationis in eo, in quo est: ergo est natura. Confirmatur ex tex. 14. vbi dicitur generationem esse naturam; quia est via ad formam, quæ est natura; sed forma non est

natura

natura generationis, nisi vt finis, cum præcedat aliquo modo generatio formam; ergo finis est natura.

In contrarium pugnat hæ rationes. Prima ab auctoritate philosophi, qui diuidens naturam, illam diuisit in materiam, & formam, & nullam fecit de fine ad hoc propositum mentionem: ergo finis non est natura; probatur consequentia; quia secus diuisio Aristotelis non esset bona, vt quæ non comprehendat omnia membra diuidentia.

Secunda ratio. per naturam constituuntur res naturales, sed per finem non constituuntur res naturales: ergo finis non est natura.

Pro solutione.

Notandum, quod natura cum distinguatur Physica ab omnibus alijs entibus, quæ Physica non sunt, principium finale natura esse non potest; nam considerandum est, quod finis multo magis locum habet in entibus, quæ naturalia non sunt, quàm in entibus naturalibus; quoniam cum finis moueat per intentionem, proprium est cognoscentium, & maximè rerum intellectualiũ operari propter finem; quæ tamen supra Physicam considerationem sunt; vnde etiã motus, qui in ipsis sunt à fine Physici non sunt, neque enim spirituales amores, spiritualesque electiones dici possunt Physicæ, cum in ipsis non participet materia, neque à forma sint in materia. præter quam quod, talis est natura finis, vt in aliquo sit sine vllo prorsus motu, & mutatione, vt in prima causa; quæ cum operetur perfectissimè per finem, immobilis tamen est, & immutabilis, vt alibi dicetur. Adde fini nullo modo conuenire definitionem naturæ; nam finis vt sic non est principiũ eius, in quo est; neq; enim victoria est principium Imperatoris, pax, & iustitia Principis; sanitas Medici; neque principium primum, cum præsupponatur in subiecto ad finem potentia, & natura; neque principium intrinsecum, cum sæpe moueant extrinseca; neque actualiter existens, cum id, quod finaliter mouet, sæpe non existat; neque demum verum ens, cum nonnunquam moueant apparentia. quare

Dicendum principium finale non esse naturam, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur, quia finis, vt sic, non solum non est semper principium intrinsecum motus; sed nec motus intrinseci; nam sanitas est principium finale motus non solum, qui est in ægro, sed qui est in medicina, & multis alijs rebus, in quibus sanitas reperiri non potest.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod forma lapidis non est principium motus deorsum vt finis, ac proinde per accidens est, quod in hoc casu sit finis cui, & natura quare in forma ad argumentum explicanda est maior & minor secundum dicta, & neganda consequentia; ad eius probationẽ patet ex dictis.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod forma generanda est natura nõ præcisè respectu generationis; sed quatenus cum materia constituit eius naturale, & in illo est primum principium mouendi, &c. & in hoc sensu dixit Arist. generationem esse ad formam, quæ est natura.

Ad perfectam naturæ cognitionem restaret tractandum vtrum priuatio, & compositum sit natura; sed de vtraque quæstione certa est pars negatiua, nec habet differentem; nam compositum propriè non est natura; quia est illud, quod habet naturam, & natura constat; nec est principium eius in quo est, vt quod in nullo est; sed per se existit. priuatio etiam non est natura; quia non est causa per se motus eius, in quo est; cum propriam rationem causæ non habeat; & preter priuationẽ in subiecto detur verũ primũ principium, & causa motus &c. præter quam quod quando est motus non est priuatio, principium verò, quod est natura, simul est cum motu, vel quiete naturali.

QVAESTIO Quarta.

Quomodo Physico innotescere debeat natura.

Satis, superque de his dicta sunt, quæ poterant venire in controuersiam circa illa, quæ habere aliquam rationem naturæ censeri poterant: hac quæstione vidẽdum restat quomodo natura Physico innotescat. sit ergo.

Quæ-

Quæsitum vnitum vtrum natura demonstrari possit.

ARistoteles t.6. ridiculum esse ait tentare demonstrare naturam; manifestũ enim est ait huiusmodi entia esse multa; quare sententia Aristotelis est naturam demonstrari non posse, & eiusdem sententiæ sunt interpretes Auerroes, Simplicius Themistius, & alij, sequuntur multi è recentioribus A.lij, vt Auicenna c.5. sufficiētiæ. volũt id demonstrari non posse in physica; quoniam in ea naturam esse est primũ principiũ: demonstrari autem posse in Metaphysica.

Contrarium tenent Iadunus primo Phy. quæst. 12. Linconiensis primo post. in principio, qui putat demonstrari posse naturã, tum ostensiue, tum ad impossibile, tum demonstratione à posteriori, tum demonstratione propter quid. Quod videntur suadere hæ rationes.

Prima. naturam esse potest probari ex propositionibus veris, per se, & necessarijs, tam à priori, quam à posteriori; ergo tam à priori, quam à posteriori probari potest natura; probatur antecedens de primo. natura est propter motum, vt propter finem; ergo per illum probari poterit; quia notius est dari motum, quam naturam, quod manifestum erit si conficiatur hic syllogismus; natura ordinatur ad motum, vt ad finem: sed motus est: ergo natura etiam est, de secundo probatur item antecedens sic. motus est semper necessariò coniunctus cum natura, saltem passiua; sed motus est: ergo natura est.

Secunda ratio. sicut res se habet ad esse, ità ad cognosci; sed natura quoad suum esse habet necessariam, & immediatam connexionem cum motu: ergo per motum, vt per causam finalem, & vt per effectum à priori, & à posteri demonstrabitur.

Tertia ratio. quod etiam demonstrari possit ad impossibile probatur tali demonstratione ad impossibile. Natura non est, sed si natura non est motus nõ est; ergo motus, non est. Pro parte negatiua est.

Primum Auctoritas philosophi citata, qui non solum hoc putat ridiculum; sed etiam non valentis bene iudicarē, cum dicat, demonstrare autem manifesta per immanifesta non potentis iudicare est, quod per se ipsum, & nõ per se ipsum, notum est quod autem contingat hoc pati (idest quod in proposito hoc eueniat) non inmanifestum est.

Secunda ratio, in omni vera demonstratione tàm à priori; quàm à posteriori ambæ præmissæ debent esse magis notæ saltem nobis, quàm conclusio; sed in proposito nõ sunt tales: ergo. maior patet ex analyticis; minòr probatur quia si assumatur motus ad probandam naturam, & dicatur vbi datur motus, datur natura, æquè, & fortè plus notum est dari naturam, quàm motũ: Ergo.

Tertia ratio. demonstratio est homini instrumentum sciendi; sed nullus vnquam discit dari naturam hoc instrumento: ergo dari naturam non demonstratur.

Pro solutione.

Notandum, quod demonstrari, vt vox ipsa significat, est ostensiue manifestari, ac patefieri; non patefit autem, quod aliquo pacto non est occultum; nam patefieri, est ex aliquo recondito loco in palam fieri; pari modo res dicũtur patefieri, & ostendi, cum vel occultæ, vel subobscuræ fiunt claræ, & manifestæ; ad hoc ergo vt aliquid demonstretur necesse est, vt illud aliquo pacto fuerit occultum, vel obscurum, tum quod manifestum fiat; dari autem naturam, siue principium motus, & quietis, non est obscurũ, immo ita clarum est, atque dari motum; etenim motus non sentitur, nisi in aliquo subiecto, ac proinde statim, atque cognoscitur motus, eadem facilitate cognoscitur dari aliquod ipsius principium, neq; enim necessarius est alius discursus, cum statim insensibiliter colligatur; quæ est causa, quod Aristotelis dixerit ridiculum esse tentare demonstrare naturam: nam sicut ridiculum esset rem patentem in lumine solis, velle facibus patefacere, ità ridiculum est, rem patentem, etiam ad sensum velle apertius manifestare; nam si dicam, vbi datur motus ibi datur natura, idest principium motus; in corporibus physicis datur motus: ergo in corporibus physicis datur natura, siue principium motus; cõclusio est notior ipsa maiore; quia patet ad sensum, maior verò fit quodammodo per abstractionem ab illa conclusione; nam ex eo, quod videmus

in

in corporibus, in quibus datur motus, dari aliquod principium motus, per inductionem colligimus, vbicumque datur motus, dari principium motus; eodem modo notius est naturam esse, quam naturam ordinari ad motum, vt ad finem; cum de hoc possit esse controuersia, & verius dicatur motum esse propter naturam, quam naturam propter motum: si ergo assumatur illa propositio vt maior ad probandam naturã esse, probabitur notius per ignotius; vnde ridicula erit demonstratio, & syllogizabitur de nominibus, quod & dixit loco citato Philosophus concludens textum; quare necesse est talibus de nominibus esse sermonem; nihil autem intelligere; considerandũ igitur est, quod aliud est dicere, quod non possit probari natura, idest non possit demõstrari simpliciter naturã esse, aliud quod non possit demonstrari naturam esse talem, vel talem, seu esse tale, vel tale principium, & habere tales conditiones; nam hoc secundum cum non sit ità manifestum, colligi potest ex proportione, quam habere debet ad motum, & ex alijs productionibus, & principijs productiuis, vel receptiuis, ac proinde demonstrabitur, illud verò primum cum sit omnino de se certum, & per cognitionem sensitiuam habeatur, ideo

Dicendum natura demonstrari non potest, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur: illa propositio, motus est semper coniunctus cum natura saltem passiua, debet cognosci per inductionem, antequam per illam demonstretur natura; inductio debet fieri in sensibilibus, & particularibus, ergo notius est absolute dari naturam, quam cognoscatur illud vniuersale, motus est semper coniunctus cum natura; patet consequentia, quia hoc secundum non cognoscitur, nisi quia ad sensum manifestum est in animalibus, & alijs corporibus, quæ subiacent sensibus in esse principium motus, siue naturam.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam rationem in contrarium respondeo dicendum, quod non negamus demonstrari posse naturam, quod propositiones, quæ assumuntur ad hoc careant omnibus conditionibus requisitis; sed quod non sint notiores, neque nobis notificent ignorum; nam magis notum non est post demõstrationem dari principium motus, siue naturam, atque erat ante demonstrationem; ante demonstrationem enim nemo sanæ mentis de hoc ambigebat, non igitur demõstrari potest natura simpliciter, quoad an sit; quia omnis demonstratio debet procedere ex notioribus saltem nobis, cum propter quod vnumquodque tale & illud magis, saltem antequam demonstret. In illo autem syllogismo, vt dictum est, notior est conclusio ipsa maiore, de qua multi dubitant, qui nihil dubitant de conclusione, immo & maior illa in rigore censeri potest falsa, quia falsum est substantiam, qualis est natura, ordinari ad sua accidentia, cum magis accidentia sint propter substantiam, & motus propter naturã, vt dicitur primo de par. c. 1. Generatio enim ait Philosophus substantiæ gratia est, non substantia gratia generationis; ità ille. eodem modo motus deorsum lapidis est propter lapidem, non lapis siue natura lapidis propter motum deorsum.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod natura, quia habet necessariam, & immediatam connexionem cum motu, simul cum motu cognoscitur, vnde sicut se habet ad esse, ità & ad cognosci, negandum autem est, quod per motum cognoscatur: nam aliud est simul cum motum cognosci, aliud cognosci per motu, cognosci cum motu est simul, & semel cũ eo intelligi, ex eo quod videantur connexa à parte rei; cognosci per motum est tamquam per motum notificari naturam ignotam; quare concesso antecedente negatur consequentia.

Ad tertiam respondeo illam etiam demonstrationem esse inutilem; quia nullus sanæ mentis negare potest naturam esse, si videat esse motum; quare si neget naturam esse; multo magis, vel certè æquè negabit esse motum, vnde reperti sunt philosophi, qui negarunt motum localem, & non negarunt naturam, cum tamen qui demonstrant naturam per motum vix possint assumere motum magis patentem ad sensum motu locali, qui cernitur oculis.

DISPVTATIO QVARTA

DE CAVSIS.

ACtum est de principijs intrinsecis, & formalibus corporis, & motuũ; modo ferè agendũ de extrinsecis, quæ sunt causæ: & primo quidem disputanda sunt ea, quæ pertinent ad causas consideratas in communi; tum ea, quæ pertinent ad singula causarum genera, & quamquam Physicus solum de causis agit quatenus concernunt corpus naturale, sicut dictum est, & motum; de illis vero in tota sua latitudine disputat Metaphysicus; tamen quoniam permixta multa sunt, tractationem de causis absolutam hic instituemus, ne discentibus impeditam reddamus procedendi in scientijs rationem.

Inuocatio.

CAusarum procreatrix causa, cuius velle posse est, & posse nescit impedimenta, iubens & ijs, quæ sunt, vt perseuerent, expleantque suas vices, & vocans ea, quæ non sunt, vt ad esse veniant, & præcepta, quæ illis imponis, exequantur: quoniam voluntati tuæ non est, qui resistat, nisi tu velis permittere; & cum volueris, infirmitatis hoc non est, neque improbitatis, sed inscrutabilis sapientiæ, & bonitatis, qui suauiter disponis omnia consilio voluntatis tuæ, & velle tuum bonum: quoniam bonus es tu, & adeo bonus, vt tibi tu ipse finis, ac operum tuorum non alius, quàm tu, finis, & si in tuis operibus & alij quoque fines, sed nisi ad te, & ex te, obliqui, non recti fines, quos permittis, vt vtaris ad ostendendam iustitiam tuam, & potentiam tuam magnam in vasa iræ, quæ ad interitum præparata sunt, non te malum ipsorum intendente, sed voluntatem non rectam castigante, eorum, qui nõ obediunt præceptis tuis. Adiuua ergo supplices tuos virtute tua, dirige sapientia tua, & contine bonitate tua, vt te operante in nobis operemur, quæ accepta sunt coram te, & commendant misericordiam tuam, quam prætendis scientibus te.

QVAESTIO PRIMA.

De causis in communi, tum ad se, suosque effectus; tum ad inuicem.

QVoniam communia iuuant cognitionem Particularium, examinanda primo illa sunt, quæ vniuersim causas attingunt; Quid sit causa, numerus, & diuisio causarum, tum prioritas, & nobilitas; Demum vtrum causa vnius generis causare possit eiusdem generis causam, vel ab ea causari, & Vtrum hoc esse possit in causis diuersorum generum.

Art.

Art. primus. Vtrum causa sit principium, à quo per se fit, & dependet effectus.

DE causa in communi nondum videtur apud Philosophos vna constituta definitio, cum alij alias afferant, nobis visum est causam sic definire. Principium à quo per se fit, & dependet effectus.

In contrarium sunt hæ rationes. mutatio per se fit à priuatione; sed priuatio non est causa, ergo causa non est principium à quo per se fit, & dependet effectus.

Secunda ratio. Nullus effectus per se fit à fine, sed propter finem: ergo definitio allata non est vniuersalis. patet consequentia; quia illa non est definitio vniuersalis causæ, quæ non conuenit omni causæ; assignata non conuenit fini, qui tamen causa est, vt videbitur: ergo non est vniuersalis.

Tertia ratio. Vnum relatiuum per se pendet ab alio correlatiuo; sed vnum relatiuum respectu alterius non est causa, ergo male dicitur causa principium, à quo pendet effectus.

Pro contraria sententia est, quod illa est bona definitio, per quam benè explicatur natura definiti, & distinguitur ab omni alio; sed allata est huiusmodi, vt patebit ex proximè dicendis. ergo est bona definitio.

Pro solutione ergo.

Notandum, quod causa sumi potest tripliciter, primo pro omni illo materiali, quod dicitur causa; secundo pro causatione ipsa, seu pro causa formaliter, sub ratione videlicet causatiui; Tertio sub ratione relatiui. de primo, & Tertio non loquimur, sed de secundo, & quærimus vtrum allata definitio bene explicet vt sic causam, pro quo considerandum, quod aliqui ex 2. Phy. c. 7. definiuerunt causam; causa est id, per quod satisfit interrogationi, qua inquiritur propter quid aliquid sit, vel fiat; sed hæc definitio communiter reijcitur ab auctoribus, primo quia nihil ferè rem explicat, contra id, quod facit bona definitio; secundo quia obscurum est, quid significet illud verbũ, propter quid, quod propriè sumptum significat habitudinem causæ finalis; tertio quia si particula illa, propter, fusiùs sumatur conuenire videtur principio, vt sic, vnde est illud Christi Domini Ioannis 6. ego viuo propter Patrem, ac proinde non bene explicat naturam causæ vt contradistinguitur à principio, alij ergo definiunt causam. Causa est illud, ad quod aliud sequitur; sed reijciuntur, primo quia potest conuenire principio, vt sic; nam ad auroram sequitur dies, ad punctum linea, ad priuationem mutatio; immo si verbum sequitur significet consequutionem per illationem, conueniet etiam effectibus; nam ex effectibus necessarijs per necessariam sequelam colligimus causas, vnde ad illos sequi causa dicetur; si vero, sequitur, significat solum cõsequutionem secundum esse conueniet omni principio, & idem erit, ad quod aliud sequitur, atque vnde aliud est, aut fit, aut cognoscitur, sed obscurè; vnde non est bona definitio; quia neque apertè explicat quid sit causa, nec illam contradistinguit à principio, à quo tamen ex dictis supra distinguitur causa, quãdo propriè accipitur.

Definiunt alij causam tali pacto, causa est id, à quo aliquid per se pendet, ità Fons. primo met. c. 7. quæst. 1. sec. 3. Suarez verò illam definit, causa est principium per se influens esse in aliud; sed hæ definitiones minus placent; nam contra primam est, quod particula, pendet, non videtur ita apertè explicare id, quod quærimus; nam relatiuum etiam per se pendere videtur à suo termino, cognitio ab obiecto; si autem dicatur illam non esse propriam dependentiam, contra tunc est, quod in verbo pendere latet, quasi æquiuocatio; nam si accipiatur pro eo, sine quo aliud non est, verè relatiuũ pẽdet à termino, & cognitio ab obiecto, si accipiatur pro depẽdẽtia, quæ fit cum prioritate naturæ & causatione illa non satis eo verbo explicatur. Adde quod, vt contendit Suarez, illa particula non malè accommodatur personis diuinis, de quibus dici posse videtur productum pendere à producente; contra secundam est, quod non apparet quomodo finis influat esse in aliud; nam primò finis non propriè influit esse, sed agens influit esse, motum quidem

à fine; sed tamen pro vt à fine mouetur, nõ propriè finis dicitur in ipsum influere esse; secundò si finis causat secundum suum esse reale, quomodo dici potest de ipso, quod influat esse in se ipsum, vt est à parte rei, & tamen ponitur à parte rei, vt effectus sui ipsius, vt est in intentione, immo particula illa aliud fini accommodari non potest, quia non omnis effectus finis est aliud ab ipso fine; nam quando speculamur, vt speculemur, speculatio est finis &c.

Alij vt Ruuius definiunt causam, principium per se influens in effectum, quæ definitio licet paulo magis placeat, contra tamen est, quod finis non influit propriè esse, his de causis visum est causam definire. Principium à quo per se fit, & depẽdet effectus, principiũ ponitur loco generis; quoniam causa propriè genus non habet, cum non dicat rationem vniuocam, sed solum analogicam, vt diximus, est autẽ loco generis, quia est quid superius ad causã propriè dictam, & latius patens, dicitur à quo per se fit, vt causa distinguatur à priuatione, & alijs principijs, à quibus propriè non fiunt principiata, & à conditionibus sine quibus non, à quibus per se non sunt illa, quorum sunt cõditiones sine quibus nõ; additur, & dependet, vt vna particula explicet aliam; nã dependet dat lucem, & magis explicat præcedentẽ particulã, fit, fit ostendit, quam vim habere debeat in definitione verbũ depẽdet, prætereà per depẽdet magis explicatur causalitas finis, quàm per verbum fit; quoniã cũ finis de se propriè nõ influat esse in ea, quæ sunt propter finẽ, illa tamen à fine propriè dependẽt, cũ posito fine ponantur, eo ablato tollãtur, nõ vt extrinsecè tãtũ requisito, sed vt determinante agens, ad ponenda in esse ea, quæ sunt propter finẽ, per verbum fit magis explicatur causalitas aliarũ triũ causarũ efficiẽtis, formæ, & materiæ, cũ ab illis per se fiat effectus; vltimo loco magis placuit ponere verbũ effectus, quàm aliud; tũ quia causa, vt causa, seu sub ratione causatiui, cũ sit ens cõnotatiuũ, cõnotatũ autem sit effectus, melius explicatur per effectũ, quã per aliud verbũ; tũ quia si positũ fuisset verbũ aliud; vt posuerũt Fons. & Suar. nõ benè explicata fuisset causa finalis, à qua illud, quod depẽdet, & fit sæpe non potest dici aliud, & per verbũ effectus satis explicatur terminus causæ, & significatur distinctio, quæ inter ipsũ & causã esse debet; nã in genere causæ efficiẽtis debet esse realis, quoniã implicat effectũ idem esse realiter cũ causa; in genere causæ finalis ad minimũ debet esse distinctio rationis ratiocinatæ, cùm secundum diuersos status finis sit causa, & effectus: in genere causæ materialis, & formalis, distinctio quoque realis est. Quare his constitutis.

Dicẽdũ causã esse principiũ, à quo per se fit, & dependet effectus; patet ex modo dictis. Cõfirmatur, quia per hanc definitionẽ tolluntur ea, quæ faciunt difficultatẽ cõtra alias definitiones, & sufficiẽter explicatur, quæ sit ratio causæ in cõmuni: ergo est bona definitio, antecedens patet ex Notab. & vlterius sic ostẽditur; quia si definiatur p solũ verbũ depẽdet, difficultas est de humanitate Christi, quæ depẽdet à verbo diuino in ratione suppositi, vt à sustẽtãte, & tamẽ suppositũ diuinũ verbi vt sic, nõ est causa humanitatis Christi; si definiatur per influere esse, solũ propriè explicatur causatio efficiẽtis, & ad summũ materiæ, & formæ, nec ad modũ tamẽ propriè; at si definiatur causa p principiũ à quo p se fit, & depẽdet effectus, difficultas nõ est de humanitate Christi psonata à persona verbi; quoniã quod sustentatur à persona nõ potest dici fieri ab illa, cũ supponatur esse, nec cõsequẽter dici potest illius effectus; difficultas etiã nõ est ex mysterio sãctissimæ Trinitatis; quia licet verè credamus, & cõfiteamur duas ex personis diuinis esse ens à principio, & filiũ accipere esse à Patre, & spiritũ S. à patre, & filio, tamẽ nec filius dici potest factus à Patre, nec Spiritus Sanctus à Pře & Filio; vnde de Filio in Symbolo habemus genitum, nõ factum, de Spiritu Sãcto habemus, qui a Patre Filioq. procedit, & de vtroq. credimus, quod participẽt eãdẽ numero naturã cũ Patre, quod dici non potest de eo, quod propriè fit ab alio.

Ad rationes in contrarium.

Ad primã. Respõdeo dicẽdũ, quod nõ potest propriè dici mutationẽ per se fieri à priuatione, fit quidẽ ex priuatione; sed nõ à priuatione; quia habitudo explicata p particulã à adiunctã præsertim verbo fieri nõ cõuenit termino, ex quo aliquid procedit; præterquã quod satis excluditur mutatio à definitione per sequẽtes particulas, quæ in illã nullo modo quadrare possunt. quare negatur consequentia.

Ad

Ad secundam Respondeo dicendũ, quod licet effectus per se nõ propriè fieret à fine, per se tamen à fine dependet, vnde vtraque particula sufficienter explicat habitudinem causæ finalis, in quantum concurrit in vnum cum alijs causis: nam sicut non debuit explicari speciatim habitudo causæ finalis, ita tradi debuit definitio, quę sufficiẽter aperiret in vniuersũ habitudinẽ omnium causarum; quare negatur consequentia, & ad probationem patet ex dictis.

Ad tertiã Respõdeo dicendũ, quod dato, quod in aliquo sẽsu dici possit relatiuũ pẽdere à correlatiuo siue à termino, dici tamẽ nõ potest p se fieri, & depẽdere à termino; quare cũ definitio causæ vtrũq; habeat, falsum est, quod cõcluditur, & consequentia.

Obijcies quid est primũ in vno quoq; genere est causa aliorũ, vt dicitur cõi pnũciato; sed cętera, quę sũt in eodẽ genere, seu cathegoria nõ p se fiũt, & depẽdẽt ab illo. ergo falsa ẽ, & malè assignata definitio causę.

Respondeo dicendum, qdod in illo pronũciato nomẽ causæ latiùs accipitur, quàm fuerit acceptum in allata definitione; accipitur enim pro omni regula, & mensura extrinseca; nam in vno quoq. genere, quod est magis perfectum, vt candor in genere colorũ est mensura, & regula cæterorũ, ità vt cætera quo magis ad ipsum accedunt sint perfectiora, & sic colores quò magis accedunt ad candorẽ nobiliores dicuntur; quare in illo pronunciato nomẽ causæ nõ propriè accipitur, secundũ quod definitum est. aliter illud pronunciatũ explicat Durãdus in 2. dist. 14. quæst. vlt. nimirũ quod est primũ in vno quoq; genere esse causã cæterorũ si sit primum in aliquo genere causalitatis, quomodo primum efficiens est causa reliquorum omnium efficiẽtium, & vltimus finis est causa cæterorum finium.

Art. 2. *Vtrum causæ pauciores sint numero, quàm quatuor.*

NOn est sermo de causis materialiter acceptis, pro rebus scilicet, quibus cõuenit ratio causæ, cum hæ prope sint infinitæ; sed sermo est de causis acceptis formaliter, scilicet in ratione causæ, vtrũ vere pauciores sint rationes causãdi quàm quatuor, ex antiquis ante Arist. multi pauciores posuisse videntur, patet ex 1 Met. sum. 2 c. 1. & 2. quidã enim duas tantum posuerunt materialem, & efficientem, & hanc valde obscurè, vt docet Arist. sum. illa 2. & in eodẽ libro t. 2. 10. 50 & 1. de part. c. 1. Plato, si creditur Plutarco 1. de placitis Philosophorũ posuit tres efficientẽ, materiã, & finem, vt vero refert Laertius in vita ipsius posuit tãtum duas Deũ, & materiã; duas ẽt tantũ ponere videtur aliquãdo Aristoteles, & Simp. & Them. in præfatione Physicorũ, sed tamẽ quod Arist. quatuor causarũ genera posuerit certum est ex 2. Phys. & ex loco citato Met. & ex multis alijs locis, idem cẽsuerũt Peripatetici interpretes, nec aliud tenuit Simp. & Them. & cùm duas ponunt, loquũtur vel de causis externis, quæ rẽ effectã nõ ingrediuntur, vel de solis internis, quæ illã cõponũt; immo, & antiqui si creditur Suarez. ab Arist. verbis tãtum discreparunt, re quatuor genera causarũ posuerũt; Seneca tamen in epistolis censet vnã tãtũ esse causã, & hanc efficientẽ, quã vult fuisse cõmunem Sẽtentiam stoicorũ; fauet Plato in dialogo de pulchro, & D. Aug. lib. 83. quæst quæst. 28. vbi dicit omnis causa efficiens est. Contraria sentẽtia quòd nõ sint pauciora genera, quàm quatuor, est communis. lib. 8. ep. 66.

Quòd pauciores tamẽ sint causæ quã quatuor probare videntur hæ rationes. Prima ex Seneca, vel omnia inter causas numeranda sũt, quę sunt necessaria ad hoc, vt aliquis fiat effectus; vel in efficiẽte sistẽdũ est, non primũ quia sine tẽpore, loco, motu, &c. nullus fit effectus, & tamẽ tẽpus, locus, motus, inter causas nõ enumerãtur; ergo verũ erit secundum, ac proinde vnum genus causæ.

Secunda ratio. Idem non potest esse causa, & effectus; sed forma est effectus, cum ab agente efficiatur: ergo male ponitur pro vno genere causæ.

Tertia ratio: Omnis causa vt causet debet esse actu, causare enim nõ est perfectio nisi entis in actu; sed finis quando dicitur causare non est in actu, sed in potentia. Ergo non est causa.

Pro cõtraria sententia, quod nõ sint pauciores causæ quã quatuor sunt hæ rationes. Prima auctoritas communis, quæ magnã vim, & põdus habet; nã nõ est credẽdũ, omnes ferè, qui fuerũt Sapiẽtes, quiq; optimè ppẽderunt rationes illorũ paucorũ, qui pauciores posuerũt causas quàm quatuor (si tamẽ id verè sẽserũt) in hoc fuisse deceptos.

Secũda ratio ex natura ipsa causę; causa vt di-

diximus, est, ex qua per se pendet effectus; ita vt ab ea fiat; sed effectus in rebus Physicis, vt fiat, non indiget paucioribus causis quàm quatuor; ergo non sunt pauciores; minor probatur; quia supposito quod aliquid fiat in mundo, quo nihil certius experientia; illud non potest à se ipso fieri; quia nihil est manifestius, & naturaliter notius, quàm nihil producere se ipsum; debet ergo fieri ab alio; ergo ab efficiente; datur igitur primum genus causæ, quod est efficiens, sed quod aliquid efficit, nisi temerè efficiat, ob aliquem finem efficit, ità, vt non procedat ad agendum nisi moueatur aliquo fine: ergo datur, & secundum genus causæ, quod dicitur finis; sed quod physicè aliquid efficit, ex nihilo illud non efficit, cum ad suam actionem præsupponat subiectum: datur ergo primum subiectum, & materia, quæ efficit tertium genus causæ; sed materia ità recipit actionem, vt enim termino formali illius actionis concurrat ad componendum aliquid; quoniam res naturales non sunt sola materia, nec agens efficit materiam: ergo præter materiam debet dari terminus actionis, qui est forma, quæ cum materia constituat compositum; & sic habemus quartum genus causæ, quod dicitur forma. Pro maiori tamen declaratione, & solutione.

Notandum, quod nos hic loquimur de ente naturali, cuius causas inuestigamus; nam si sermo esset de principijs, & causis entis spiritualis, illius inquam, quod non est à se, sed ab alio, alius fortasse numerus causarum constituendus esset; sed loquendo de ente naturali, & consequenter de causis concurrentibus ad illud constituendum in esse, considerandum est, quod tot debet habere causas, quot per se requiruntur ad illius productionem; & non gratia alterius; nam cum fit aliquid alia requiruntur per accidens, siue quia sint quid alterius, alia requiruntur per se, primo modo requiruntur multa, vt puta approximatio; quia nullum agens physicum agit sine contactu quantitatiuo, vt dicetur suo loco; non agit nisi in subiecto quanto, quia quod quantum non est physicè tangi non potest; non facit ens substantiale sine debitis dispositionibus accidentalibus; quoniam substantia non est sine suis accidentibus: agit per tempus communiter loquendo; quia non potest momento superare omnem repugnantiam passi; agit in loco; quia omne quantum saltem sub prima sphæra, est in loco; hæc tamen, vt patet, non sunt illa, quæ influunt in effectum, vel à quibus per se fit, & dependet effectus, sed potius sunt quid requisitum à causis, vt procedant ad causandum, & ponendum in esse effectum; at vero quod aliquid influat esse in effectum dicit propriam causalitatem; quũ hoc est per se requisitum ad effectum constituendum in esse; pari modo per se requisitum est componens vt ponat in esse compositum, rerum autem physicarum componens cum sit materia, & forma, materia quoque, & forma propriè causæ sunt vnaquæque in suo ordine; quartò per se requiritur mouens ad agendum efficiens, nisi omnia temerè fiant; dabitur ergo quartum genus causæ, quod est finis. Quare.

Dicendum causas non esse pauciores numero quam quatuor, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ, Confirmatur argumento desumpto ex parte cuiusque generis causæ physicæ, primò ex efficiente sic. efficiens physicum non agit ex nihilo; quia physicè, vt docet experientia, ex nihilo nihil fit; supponit ergo materiam & subiectum; deinde aliquid producit, vt certum est, non materiam: ergo formam, quæ cum per se concurrat ad effectum, erit & ipsa causa; agit autem efficiens propter finem: ergo datur quarta causa, quæ est finis; ex parte causæ materialis sic. materia ex se transmutari non potest; ergo indiget ad hoc efficiente; efficiens autẽ illam transmutat quatenus ex illa propter finem educit formam, ergo dabitur forma; ex forma sic quaternarius numerus probatur; forma physica non potest esse nisi in materia, & non nisi ex aliquo ipsam producente propter aliquem finem; quia non est à se, nec temere, quatuor ergo sunt causarum genera.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam. Patet ex dictis solum inter causas enumeranda ea; quæ per se sunt necessaria ad effectum, vt ex quibus effectus dependet, & accipit esse, huiusmodi non sunt, tempus, locus &c.

Ad secundam. Respondeo dicendum idem fortè non posse esse causam, & effectum

fectum respectu eiusdem, de quo infra; benè tamen posse esse respectu diuersorum; forma est effectus respectu agentis, & causa respectu compositi, quod cum materia componendo constituit.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod ad hoc vt finis causet, sufficit quod sit in actu intentionaliter, vel per intentionem, cum causet per metaphoricam motionem attrahendo, & alliciendo agens ad agendum, de quo plura infra. quare negatur minor.

Ad auctoritatem D. Aug. citati pro contraria sententia respondeo dicendum, quod loquendo de causis extrinsecis, de quibus ibi loquitur Augustinus, quia in rebus simplicib. non datur materia, & forma, sed solæ causæ extrinsecè agens, & finis, omnis causa est efficiens; quia finis non causat nisi vt est in efficiente, illud mouendo; nam illa, quæ agunt propter finem formaliter finem præcognoscunt, ac proinde finis causat, vt in ipsis est; illa vero quæ aguntur in finem, agunt, vt subflant primo mouenti, & dirigenti, in quo est finis; ac proinde non male dici potest loquendo de causis extrinsecis quod omnis causa, est efficiens: adde quod Augustinus excludit causam Diuinæ voluntatis procedens sic, si D. Voluntas habet finem à se distinctum, habet etiam efficiens; quoniam secus ad finem non ordinata esset; si enim est à se, cur sit ordinata ad aliquid extra se; sensus ergo verborum Augustini videtur iste, qui quærit quare voluerit Deus Mundum facere, causam quærit voluntatis Dei; sed omnis causa efficiens est; idest omnis causa instituens aliquid ad aliud est efficiens; quod enim facit aliquid propter aliud est efficiens; causa ergo, quæ inclinauerit voluntatem Dei ad Mundum efficiendum, si est distincta ab ipsa voluntate, debet esse causa voluntatis ipsius, quæ non potest esse nisi efficiens.

Obijcies. pauciora possunt fieri membra diuidentia causam in communi, quam quatuor, si nimirum diuidatur causa in intrinsecam, & extrinsecam; Secundò materia est vna specie; ergo non sunt quatuor genera causarum. Tertiò obiectum etiam, vt terminus cognitionis habet veram causalitatem; ergo constituet Quintum genus causæ; probatur antecedens; quia vt sic est causa veritatis cognitionis; vnde dicit Aristoteles in post prædicamentis cap. de priori, Est autem vera oratio nequaquam causa vt sit res, verum tamen res quodammodo causa videtur, vt sit vera oratio; eo enim quod res est, aut non est, vera oratio, & falsa dicitur.

Ad primam Respondeo dicendum per pauciora membra posse fieri diuisionem illam, sed inutiliter, quia diuisio in causam intrinsecam, & extrinsecam, nimis confusa est, & patum de se vtilis scientijs.

Ad secundam Respondeo dicendum, quod etsi materia de se vna sit, datur tamen multiplex in rebus physicis subiectum.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod propriè terminus cognitionis vt sic non habet causalitatem, sed vt dixit Aristoteles quodammodo causa est: neque enim propriè veritatem vel falsitatem facit; sed in ordine ad ipsum, vt ad mensuram existit veritas, vel falsitas; in eo ergo, in quo terminus aliquo modo habet rationem causæ, reduci videtur ad causam formalem; non quod terminus sit forma intrinseca; nam sicut forma dat speciem rebus, ità obiecta extrinseca dant speciem potentijs, & actibus, qui sunt ad ipsa, in quo habent aliquam similitudinem cum forma, & dici possunt causa formalis extrinseca.

Art. 3. Vtrum plura sint genera causarum quam quatuor.

Vidimus non esse pauciora; restat vt videamus vtrum sint plura, nam si plura non fuerint, conclusum erit quatuor tantum esse causarum genera. duæ sunt sententiæ, & negatiua quidem est communis Arist. hic tex. 31. & 70. 5. Met. tex. 2. & alijs locis ibidem Interpretes, & recentiores, tùm hic tùm in Met. Suarez, Fons. Soto, Conimb., & alij. Pro affirmatiua contraria quod sint plura genua causarum, quàm quatuor citatur Io. Argent. lib. primo de morborum causis, qui posuit tamquam distinctum genus instrumenta, & conditiones, sint quibus non; recentiores etiam aliqui duo genera causandi reperiunt in materia, alterum respectu formæ, alterum respectu compositi: vnde, & dictis quatuor quin-

quintum addendum putant. Et sane quod plura quam quatuor causarum genera sint videntur probare hæ rationes.

Prima. instrumentum habet diuersum genus causandi à reliquis; ergo plura sunt genera causarum quàm quatuor. patet consequentia; probatur antecedens; quia instrumentum agit actum, seu mouet motum; efficiens vero est principium vnde motus. ergo habet diuersum genus causandi, nàm quod instrumentum habeat diuersum genus causandi à materia, & forma adhuc est certius.

Secunda ratio. Idea verè causat, sed neq; effectiuè, neque formaliter, neque materialiter, neque finaliter: ergo datur quintũ genus causandi: est enim forma, quam imitatur effectus.

Tertia ratio. obiectum respectu potentiarum cognoscitiuarum, & appetitiuarũ habet aliquam causalitatem, non solum vt terminus, sicut dictum est; sed vt faciens potentias in actu; sed illa non est vlla ex quatuor enumeratis: ergo dabitur aliud genus causæ, ac proinde plura quam quinque.

Pro solutione.

Notandum, quod hic quæstio non est, vtrum causæ quo quo modo possint reduci ad plura genera, quam quatuor; sicut neque supra quæsiuimus vtrum omnes reduci possint ad vnam rationem causæ, quæ fuit definita à nobis primo articulo; sed quæstio est, vtrum sint quatuor rationes causandi, quarum nulla propriè reduci possit ad aliã, & ad quas, si quæ aliæ sunt, commodè reducantur. pro quo considerandum est, quod ratio efficientis, quæ dicitur vnde motus, siue principium influens esse transmutando subiectum, licet habeat commune cum cæteris causis, quod dat esse effectui; tamen ab alijs in ratione dicta maximè differt, cum nulla causa sit, quæ transmutet subiectum, & influat esse in aliud per transmutationẽ nisi ipsa; Materia etiam in sua ratione differt ab omni alia causa, nec ad vllam aliam reduci potest; quoniam est primum subiectum, ex quo inexistente fit aliquid, quod nulli alij causæ conuenit: forma est ratio, & quod quid erat esse rei, quod in efficientem, in materiam, in finem, non quadrat; finis est cuius gratia fit effectus, quæ ratio formaliter accepta, vt apparet, non concurrit cum vllis ex alijs tribus; vnde necessariò constitui debent quatuor causæ; quod plures non debeant constitui patet ratione contraria; nam omnia alia, quę assignantur pro causis diuersis, vel sunt quid illarum quatuor causarum, vt dispositiones, quæ sunt quid subiecti & formæ, approximatio, contactus, &c. quæ sunt quid efficientis; vel ad illas facile reuocantur; nam instrumentum & si non primarium, tamen est principium, vnde motus, secundarium videlicet. Idea cùm compleat efficiens intellectuale, vel sit forma extrinseca; quàm imitatur effectus, ad formam, vel efficiens facile reuocatur, secundum quod infra determinabitur; obiectum, vel est tantum terminus cognitionis, vel mouens cognoscẽs; si primum, non habet propriè causalitatẽ, & reuocatur ad causam formalem, sicut dictum est; si secundum, reuocatur ad efficiens. Quare.

Dicendum non benè poni plura genera causarum quam quatuor patet ex modo dictis, & confirmatur; tot statui debent genera causarum, quot fiunt interrogationes propter quid effectus primò diuersæ; sed hæ propriè sunt tantum quatuor. ergo quatuor tantum sunt genera causarum, maior patet ex Arist. hic. t. 68. qui dicit tot esse causas, quot necessariæ sunt ad satisfaciendum interrogationi propter quid; minor probatur, quia cùm quæritur propter quid, vel quæritur efficiens, vel materia, vel forma, vel finis, quod sic ostenditur; nam si quæramus propter quid homo sit rationalis, bene respondebitur, quia constat anima rationali, à qua formaliter rationalis efficitur; si quæratur quare sit quantus, corruptibilis, & cætera, respondere possum, quia constat materia; si quæstio siccur ignis generet ignem bene responderi potest, vt producat sibi simile; si vltimo quæratur propter quid ferrum in fornace ignescat respondebitur, quia est ignis, à quo ignefit; nec plures sunt interrogationes primo diuersę; nã si dicatur quare ferrũ in incude extenditur, & dicatur quia tonditur malleo, nihil aliud petitur quam efficiens, & redditur efficiens instrumentale, si quæratur quare statua facta est recta, & pro causa red datur idea, q̃ habuit artifex, nulla alia causa reddetur, quã efficiẽs, vel forma, vel finis.

Ad rationes in contrarium patet ex dictis.

Obij-

Obijcies. Materia habet prorsus diuersã rationem causandi respectu formæ, & respectu compositi: Ergo habet plures rationes causandi; ac proinde & plura dantur genera causarum quam quatuor. Antecedẽs probatur; Quia ad formam concurrit per eductionem quatenus ex illa forma educitur, Ad compositum concurrit dando se ipsam. Vlterius in homine materia non habet primum genus causæ; Quia anima rationalis non educitur, & habet secundum; Ergo vnum genus adæquate distinguitur ab alio, ac proinde plura sunt quam quatuor, & ad minimum quinque.

Respondeo dupliciter. Primum genera causarum maxime distingui & attendi respectu entis completi, respectu cuius vnica est causandi ratio materiæ: secundo vnum ex illis modis causandi reuocari ad alterũ tanquam ad primarium, Ideoque ex illis esse vnum genus causandi. Idcirco enim materia concurrit ad eductionem formæ, vt cum illa faciat vnum completum ens vel substantiale, vel accidentale.

Ex quo etiam habetur resolutio alterius difficultatis, quæ excitari potest ex diuerso modo causandi materiæ cum forma substantiali, & accidentali, & formę cum toto, & cum Materia, Qui tamen non sufficiunt ad constituenda plura Inter se genera causarum; Quia cum vnus ex illis modis sit principalis alter reuocari debet ad illũ, & etiam ex vtroque respectiue vnum genus causæ desumi necesse est.

Art. 4. Vtrum bene ab Arist. diuisa sit causa secundum diuersos modos causarum.

ARist. Tex. 32. & cap. 2. 5. Met. vult aliã causam esse priorem, aliam posteriorem, Tex. 33 diuidit causam, in causam per se & causam per accidens, t. 34. causam diuidit in causam actu, & causã potentia; contra primam diuisionẽ est, qđ nulla causa est posterior suo effectu; cõtra secundã est, qđ causa per accidens non videtur causa, sicut ens per accidens propriè non est ens; contra tertiam est, quia causa potentia non est verè causa, sicut homo potentia, arbor potentia non est verè homo, nec verè arbor; hæc vt dissoluãtur, & de tota re constet nihil aliud necesse est, quam quod diuisiones illæ explicentur. Quare

Notãdum, quod prima diuisio, quod causa alia sit prior, alia posterior, potest intelligi multis modis, & primo quidem quoad causas diuersorum generum, quarum vna in comparatione ad aliam dicatur prior alia, quo pacto finis dici solet prima causarum, quia mouet agens; agens transmutat materiam, per quod forma fit; tum forma componendo cum materia constituit compositum, vt proinde prima causa sit finis, secunda efficiens, tertia materia, quarta forma; secundò intelligi potest quoad causas eiusdem generis & hoc dupliciter, primò quoad causas eiusdem generis, numero distinctas, quod adhuc dupliciter intelligi potest, primò respectu effectus, secũdò respectu causæ, illa causa dicitur prior alia numero distincta respectu effectus, quæ est illius proxima, & immediata; quomodo homo respectu hominis geniti dicitur prior in cõparatione ad Solẽ, & cœlũ, quæ sunt, causæ vniuersales, & magis remotæ, quæ proinde dicũtur causæ posteriores; illa autem causa dicitur prior alia respectu causæ, quæ causã aliã antecedit, vt vniuersalior, quo sẽsu Deus respectu geniti, est causa prior homine generante; secundo modo si intelligatur quoad causas eiusdẽ generis non distinctas numero, illa est causa prior, quæ secũdũ appellationẽ effertur termino vniuersaliori illa posterior, quæ minus vniuersali, & sic respectu bonæ valetudinis assignari possunt causæ medicus, & artifex, quæ re sũt vnũ, & idẽ, ratione diuersæ, artifex est causa prior, Medicus posterior, & de his locutus est Arist.

Secunda diuisio, qua causa diuiditur in causã per se, & causã per accidẽs, sic intelligitur, quod causa per se sit illa, à qua per se depẽdet effectus; per accidẽs, à qua nõ pẽdet effectus per se, & ex sua natura; quod dupliciter euenire potest, primò si aliquid accidat causæ per se; quomodo Policletus musicus dicitur causa per accidens statuæ; quia musicus accidit statuario Policleto, qui est causa per se, & de hac causa per accidẽs loquitur tex. Secundò si aliquid accidat effectui per se, quo pacto si statua sit alba statuarius dicitur causa per accidẽs albi; quia per se est causa statuæ, cui accidit esse alba.

Tertia Diuisio causæ in causã potẽtia, & causã actu sic intelligi debet, vt causa actu

illa sit, quæ actu habet effectũ à dependentem, & accipientem esse, vt calefaciens calefactum, seu ignis calorem productum, ædificans, & ædificiũ, quæ simul esse debẽt: quia non est ædificans actu sine ædificio, &c. causa potentia est, quæ non habet effectum actu à se dependentem, seu accipientem esse, sed potest habere, vt ædificator, quando actu non ædificat, & arbor in hyeme, quando non producit fructus.

Quartam diuisionem affert Arist. tex. 36. in causam, quæ dicitur connexa, & in causã simplicem, causa connexa est conflata ex eo, quod est per se, & quod est per accidens, vt Musicus statuarius; simplex, quæ alteram tantum causam dicit, vt Policletus vt statuarius.

Quinta Diuisio addi põt in causã per se, & essẽtialiter subordinatã, & insubordinata per accidẽs: ad hoc, vt causa sit alteri per se, & essẽtialiter subordinata, requirũtur tres conditiones; prima vt causæ sint eiusdem generis, nam non dicitur efficiens essentialiter subordinatum fini, etiamsi non agat nisi motum à fine; quoniam sunt diuersi generis; Secunda conditio, vt vna causa ab alia dependeat ex sua natura, quo pacto causæ secundæ dicuntur essentialiter subordinatæ primæ; quia ex sua natura ab illa dependent; at duo trahentes nauim non dicũtur essentialiter subordinati; quia licet ad inuicem in illa tractione dependeant; tamen vnus ex sua natura non est subordinatus alteri; Tertia conditio est, vt ista dependentia sit in causando, qua de causa Pater, & Auus respectu filij non dicuntur causæ essentialiter subordinatæ; quia etiamsi Pater non possit generare filium, nisi sit à suo Patre, qui filij est Auus; tamen Pater in generatione filij non dependet à suo Patre, itá vt si per impossibile Antonius pater esset à se, adhuc posset generare Franciscum filium; & etiamsi Antonius pater ab alio genitus esset quam à Patre suo, adhuc eodem modo generare posset filium, at causa secunda; quia itá est subordinata primæ in causando, vt nihil prorsus agere possit, nisi actu cum ea agat causa prima, vt infra ostẽdemus; ideo dicitur primæ essentialiter subordinata; & ex his patet secundum diuersos modos causandi, siue ad modum causandi diuerso pacto comparatis causis.

Dicendum causas ab Arist. bene esse diuisas, patet ex tacta explicatione. Ad rationes incontrarium patet ex dictis; nam causa non dicitur posterior comparata ad suũ effectum; nec causa per accidens est, vt ens per accidens, cum aliquo modo faciat vnũ cum causa per se, & etiamsi non faciat; nihil obstat obiectio; quia licet causa per accidens nõ possit dici causa simpliciter, quia tamen dicitur causa, etiam in communi vsu loquendi, ideo saltem est causa per accidens; cum autem diuersos modos causæ vellet explicare Aristotiles debuit afferre etiam causam per accidens, sicut & ob eandem causam bona est diuisio in causam potentia, & causam actu; quia licet causa non causet, nisi quæ actu est causa; tamen antequam causet sæpe habet virtutem ad causandum, à qua virtute optimè denominatur causa potentia quare non dicitur causa potentia, vt arbor potentia; nam arbor potentia; dicitur potentia obiectiua; quia scilicet id, quod non est arbor, semen videlicet, potest transmutari in arborem, at causa potentia dicitur, quæ actu est, & actũ habet virtutem causandi, sed actu non causat, siue ab ea actu non procedit effectus.

Breuius autem sic summatim ex locis citatis, & ex 5. Met. Tex. 3. benè causarum diuisiones colligi possunt, causa alia est vniuersalis, alia particularis, alia per se, alia per accidens, alia connexa, alia simplex; rursũ alia est vniuersalis actu, alia vniuersalis potẽtia; alia particularis actu, alia particularis potẽtia; alia ꝑ se actu, alia per se potẽtia, alia per accidẽs actu, alia per accidens potẽtia, & demũ alia simplex actu, alia simplex potentia, alia connexa actu, alia connexa potentia, his accedit causa prior seu immediatior respectu effect⁹, causa posterior, & remotior; causa vniuersalis in tota latitudine entis, & prima; causa particularis, & secunda, causa per accidens ex parte sui, causa per accidens ex parte effectus; causa essentialiter subordinata, causa subordinata per accidens; his, & alijs modis dici potest causa.

Art. 5. Vtrum omnis causa sit prior suo effectu.

NOn est quæstio de prioritate temporis; nam certum est non omnem causam priorem esse tempore suo effectu, forma enim non est prior tempore composito, cùm statim atque forma in materia est, fit compositum; multa etiam efficientia simul sunt cum suis effectibus, vt sol cum radio, lucerna cum lumine &c. quare non est de ratione causæ, vt sit prior tempore suo effectu; sed si qua est prior, vt multæ sunt, aliunde id prouenit; solum in causis, quæ agunt per motum propriè dictum, & quarum effectus successiuè fiunt, seu existunt per actiones successiuas, necesse est vt tempore præcedãt suos effectus, saltem quoad factum esse; quæstio ergo est de prioritate naturæ, vtrum omnis causa prior sit suo effectu. Pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima Arist. Tex. 37. & 5. Met. Tex. 3. ait causam in actu esse simul cum suo effectu in actu. ergo causa non est prior natura suo effectu.

Secunda ratio. illud quod est prius alia re debet saltem posse intelligi in eo, in quo est prius, sine illa; sed non omnis causa potest intelligi sine suo effectu. ergo non est prior suo effectu; probatur minor; quia intelligere causam, & non ad effectum, videtur impossibile, cum causa, vt causa inferat effectum.

Tertia ratio, relatiua sunt simul natura, & cognitione; sed causæ, & effectus sunt relatiua: ergo erũt simul natura & cognitione. ergo nulla causa est prior suo effectu.

Quarta ratio, illud est prius alio, quod infert illud, & ab eo non infertur, vt dicitur in post prædicamentis: sed aliqua causa infertur à suo effectu: ergo nõ est prior illo: probatur minor: quia risibile infert hominẽ, non minus quam homo inferat risibile.

Quinta ratio. si oĩs causa natura prior esset suo effectu sequeretur aliquid esse prius, & posterius respectu eiusdẽ, ꝙ est impossibile; sequela probatur finis est causa efficiẽtis, cum illud ad causandum moueat; efficiens est causa finis, cum illum ponat in rerum natura; sed si causa est prior suo effectu finis prior erit efficiente, & rursum efficiens prius fine: ergo. Contrarium affirmate cogunt hæ rationes.

Prima Aristot. in post prædicamẽtis cap. de priori apertè asserit causam natura priorem esse suo effectu, & cap. de simul, illa simul sunt, quæ se mutuo inferunt, dummodo vnum non sit causa alterius, & primo posteriorum præmissæ debent esse priores; quia continent causam: ergo secundum Philosophum, & illius interpretes dictis locis causa est prior natura suo effectu.

Secunda ratio. illud, quod ab alio non dependet, sed aliud dependet ab ipso, eo natura est prius; sed causa non dependet ab effectu, sed effectus dependet à causa: ergò causa est prior natura suo effectu.

Tertia ratio. esse, quod est in effectu, prius fuit in causa, cum à causa deriuetur in effectum; ergo causa natura est prior suo effectu; probatur consequentia; quia illud natura est prius, quod est prius secundum esse; vlterius illud est prius natura, quod est prius nascentia, & generatione; sed talis est causa; quia ortus causæ non dependet ab effectu, ortus tamen effectus dependet à causa, vt quæ iam debeat esse ad hoc vt ponat in esse suum effectum. Pro solutione.

Notandum, quod esse prius secundum naturam ex 5. Met. c. 11. conuenit illis, quibus contingit absque alijs esse, ista verò sine illis minime; quare esse prius natura spectatur penes esse; quoniam enim natura à nascentia nomen traxit, factum est, vt prioritas naturę spectetur penes esse, illa autem, à quibus alia habent esse, cum supponantur in esse ad hoc, vt dent esse alijs, præsupponuntur etiam generatione & ortu, cum nihil fit, nisi vel à se fit, quod proprium D. Opt. Max. est, vel ab alio fit, ac proinde per aliquam productionem; cum autem causæ præsupponantur factæ ante ipsarũ effectus, necessario sunt natura priores. Præterquã quod in omni natiuitate, in qua est vera efficiẽtia, cũ illud, quod fit, trãseat ex non esse ad esse, & diuersũ esse, ac naturã accipiat à causa sua, posterius est natura, idest natiuitate & efficientia, & causa eius ipso natura prior est, idest efficiẽtia & natiuitate: Vnde prioritas naturæ inter duo proprie est, vbi natura distincta est. Considerandum autem est, quod non est idem esse prius natura &

cognitione, ex Arist. loco citato, & 7. Met. Tex. 14. nā illud dicitur prius cognitione, quod non depēdet ab alio in cognitione, sed ab pro dependet aliud, & hoc pacto loco citato vniuersalia inratione dicuntur priora cognitione minus vniuersalibus; q̄a in cognitione magis vniuersalium non includitur cognitio minus vniuersalium, ac proinde magis vniuersalia non dicuntur pēdere in cognitione à minus vniuersalibus; in cognitione verò minus vniuersaliū, quia includitur cognitio magis vniuersaliū, ac proinde ab illis pendent, dicūtur posteriora cognitione magis vniuersalibus; quæ cū ita sint fieri pōt, vt aliqua sint simul cognitione; quorum vnū sit prius natura altero; nam fieri potest vt vnū non possit cognosci sine altero; etiāsi illud ab altero non dependeat, & hoc modo causa, & omne ens connotatiuū, ac relatiuum est simul cognitione cum suo termino, vel connotato; cum tamē causa natura prior sit suo effectu; vnde non valet semper argumentari à simultate, vel prioritate cogōnis, ad simul tatē, vel prioritatem naturæ; nec obstat, quod cognitio sequatur ad esse, cū latius pateat cognitio, quod cognitio disiuncta coniungit, & coniuncta disiungit, & vnū accipit ad alterum, quod etiā ipsū posterius est, hoc pacto Creator, & Oīpotens non cognoscitur sine creatis, cum tamen à creatis non dependeat, sed illis omni ratione sit prior; vnde res sicut se habent ad esse, ità ad cognosci, quoad rem cognitā, non tamen semper quo ad modum cognitionis.

Quare.

Dicendū omnem causam quatenus causā esse priorē natura suo effectu, patet ex dictis, & rōnibus secūdę sētētię, cōfirmatur, natura p̄cedit à causis ad effectus ergo causæ natura sūt priores; patet cōsequentia, q̄a secus natura p̄cederet præpostero ordine.

Ad rationes in contrarium.

Ad primā. Respondeo dicendum, quod aliud est loqui de causa simpliciter, aliud de causa in actu; nā cum causa in actu ità denominetur ab effectu in fieri, necesse est, quod causa in actu sit simul cum effectu in actu, cum quo tamen stat, vt causa sit prior natura; nam ita dicitur causa in actu simul cum effectu in actu, vt tamē non dicatur simul natura, sed simul tempore, & cōceptione, cum natura saltem causa sit prior; qua esse in ipsa prius est, quā in effectu, vt à quia profluat in effectum. quare negatur consequentia.

Ad secundā Respondeo dicendum illud assumptū deficere in entibus cōnotatiuis, & relatiuis, huiusmodi est causa, & effectus; quare etsi in sēsu formali causa nō possit intelligi sine effectu, tñ adhuc formaliter est natura prior, vt à qua effectus accipit esse.

Ad tertiam. Respondeo dicendum, quod aliud est loqui de causa, & effectu sub rōne causandi, & p̄cedendi, aliud sub ratione causati, & producti, respiciētis suam originē, & è contra, sub hac secunda ratione cū vnū sit ad alterū positum in esse, vt ad terminum sunt simul natura, & conceptione; sub priori ratione vt entia connotatiua sunt simul conceptione, sed non natura, cū natura causa sit prior, & hoc pacto Pater est prior filio, priori verò mō Pater est simul cum filio; quia posito filio Pater ad illum terminat, vt ad quid sui, & è contra filius ad Patrem.

Ad quartam Respondeo dicendum, quod illud dicitur prius illatione illo ca. de priori, à quo non conuertitur eius, quod est esse consequentiæ; & quæ se mutuo inferunt, esse simul; cum quo stat, vt vnum possit esse prius natura alio, aliud posterius: nam ibi Aristoteles excepit causam & causatum.

Ad quintam Respōdeo dicendum, quod sicut duo possunt esse sibi inuicem causę secundum diuersas rationes; ità vnum potest esse prius & posterius altero, secundum diuersam rationem, quod non est incōueniēs; inconueniens autem esset, si esset prius, & posterius secundum eandem rationem, aliquid ergo vt finis est prius efficiente, quo tamen posterius est vt effectus ipsius.

Art. 6. Vtrum omnis causa sit nobilior suo effectu.

Communis sententia est causā nobiliorem esse suo effectu, contra tamen sunt hæ rationes.

Prima. causa potest producere effectum sibi perfectè similem, vt calidum vt octo aliud calidū vt octo, ignis ignem, &c. ergo tunc causa non erit nobilior effectu; quia secus non sibi produceret perfectè simile.

Secunda

Secunda ratio. Pater est causa filij, sed nõ raro patres generant filios præstantiores, & nobiliores: ergo non omnis causa est nobilior suo effectu.

Tertia ratio. viuentia, & sensitiua sunt nobiliora non viuentibus; sed cœlũ, quod non viuit, producit multa viuentia: ergo aliqua causa producit effectum se nobiliorem; non igitur omnis causa est nobilior suo effectu.

Quarta ratio, effectus materiæ, & formæ est compositum; sed omne compositum, vt supra decisũ est, est perfectius, & nobilius materia, & forma de se acceptis; non igitur omnis causa nobilior est suo effectu. Cõtrarium suadent hæ rationes.

Prima diuinius est dare esse; quam accipere, vnde est illud Christi Domini allegatum à D. Paulo. Beatius est dare quàm accipere, sed causa dat esse effectui, effectus illud accipit: ergo causa est nobilior effectu.

Secũdo. nobilius est habere aliud à se dependens, quàm ipsum dependere ab alio; vnde nobilior est Dominus seruo, sed causa nõ depẽdet ab effectu, effectus verò dependet à causa: ergo causa est nobilior effectu.

Pro solutione.

Notandum, quod dupliciter considerari potest causa. primo in sensu formali quatenus causa, & in ratione causandi. quomodo cõparatur ad effectũ, etiã formaliter acceptum prout dependet, & procedit à causa; secundo considerari potest absolutè secundum suam entitatem, & natiuã perfectionẽ & comparari cũ effectu, ẽt considerando illum secundum suã entitatem; & perfectionem, quam habet; si hoc secundo modo cõsideretur causa, nõ omnis causa est nobilior suo effectu, etiam loquẽdo de causa secũda principali effectus; nam de minus principali, & instrumentali non potest esse dubium; patet hoc in materia, & forma, quæ cũ sint causæ cõpositi, sunt tamen cõposito ignobiliores, & imperfectiores; quod etiam de efficiente; & fine dici potest, quoniam loquẽdo de efficientibus vniuocis, hæc generãt sibi simile in specie, quæ cùm non recipiat magis, & minus æquè nobilis saltem specie erit effectus, atque causa; quod si inter indiuidua specierum vniuocarum vnum indiuiduum sit substantialiter alio perfectius, nihil prohibebit vnam causam producere effectum se nobiliorem, quod in genere humano & animalium fortè vsu venit; & quã quã vt ait Poeta. fortes creentur fortibus; nec imbellem producunt aquilæ columbã; tamen nõ rarò fit vt filius & fortitudine, & ingenio, & valetudine, & omni alia bona qualitate superet patrem; quod idem dici potest proportionaliter de equo genito, & de alijs; & hæc solum procedunt de causa & effectu non acceptis in sensu formali, & de causa principali præcise nõ accepta con suis concausis. Verum si consideremus causam formaliter in ratione causandi, & comparetur ad effectum, item formaliter in ratione accipiendi esse, fieri non potest, vt effect⁹ sit nobilior sua causa, quia sẽper ignobilius est accipere esse, quam dare. Quare

Dicendum omnem causam formaliter, & in ratione causæ esse nobiliorẽ suo effectu. patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur; quia totũ esse, quod est in effectu, vt sic, debet promanare à causis: ergo & tota perfectio; sed nobilior est, & illustrior perfectio, vt non accepta, quàm vt accepta. ergo causa, vt causa est effectu nobilior.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam, & secundam patet ex dictis, cum procedant solum secundum priorem sensum, secundum quem diximus euenire posse, vt effectus sit nobilior sua causa, non tamen omnibus concurrentibus ad causandum; quia omnem perfectionem, quam habet effectus vt sic, habet à causis.

Ad tertiam patebit inferius. Ad quartam Respondeo dicendum, quod compositum præcisè in ratione causati est ignobilius materia, & forma, sub ratione causantis; est tamen nobilius in ratione entis, & absolutè sumptũ, nec non in ratione finis; quod non est contra conclusionem.

Obijcies. effectus etiam vt ens, & absolutè consideratus, illam entitatem, quam dicit, accepit à causa: ergo præerat in causa: ergo impossibile est, quod effectus etiam absolute consideratus secundum suam entitatem sit vnquam nobilior sua causa.

Respondeo dicendũ, quod licet esse effectus præesse debeat in causa; tamẽ fieri potest, vt effectus sit nobilior propter concausas; vel alia extrinseca concurrentia ad generationem effectus; nam in generatione viuentium, & animalium, quia effici potest, vt semen propter aliquam accidentalẽ cõditionem generationis, vel extrinsecam

cœli

cœli &c. melius fit, & melius pręparatum; poterit ex eo generari aliquid perfectius, quàm fit generans; vnde ad obiectionem dicendum est illud esse præfuisse quidem in virtute causæ, sed non adequatè; cum præter causam generantem, cui assignatur effectus, concurrant alia, quæ iuuare potuerunt talem generationem; quare si comparetur effectus ad omnia, quæ ad ipsius constitutionem concurrerunt, non poterit vllo modo esse perfectior, vt dictum est, poterit tamen simpliciter si comparetur ad causam principalem, & cui assignatur effectus, de qua procedunt, quæ dicta sunt.

Art. 7. Vtrum causæ extrinsecæ sint nobiliores intrinsecis, & finis causa efficiente.

COmmunis sententia est affirmatiua, contra tamen primam partem sunt hę rationes. Prima intrinsecum, vt sic, est nobilius extrinseco: ergo causæ intrinsecæ erũt nobiliores extrinsecis.

Secunda. Illud est nobilius, quod immediatius attingit effectũ; sed causæ intrinsecæ immediatius attingũt compositum; cum immediatè per causas intrinsecas fiat cõpositum, per extrinsecas solum fiat medijs intrinsecis; ergo causæ intrinsecæ sunt nobiliores extrinsecis.

Contra secundam partem sunt hæ rationes. Prima finis non causat vt existens, sed vt apprehensus; efficiens causat, vt existens; sed causare vt existens nobilius est, quàm causare vt non existens; cum existere sit magna perfectio entis: ergo non est nobilior finis efficiente; sed contra magis efficiens fine.

Secunda. finis causat, vt aliquid producendum à causa efficiente, non è contra: ergo causa efficiens est nobilior fine.

In contrarium.

At primo pro prima parte. causæ intrinsecæ non causant nisi componendo; sed sic causare est quid ignobilius, quàm causare effectiuè, vel finaliter: ergo efficiens, & finis, quæ sunt causæ extrinsecæ sunt nobiliores; minor patet, quia modus ille causandi est entis in completi; cum quælibet ex causis intrinsecis solum habeat rationem partis, ac proinde nulla det totum esse effectui, & det in suo genere modo satis imperfecto, cum ipsa ingredi debeat in effectum: ergo.

Secunda ratio. illud genus causæ est nobilius, sub quo continentur res, et causæ nobiliores; sed sub efficiente, & fine continetur primum efficiẽs, quod est D. Opt. Max. & vltimus finis, qui est idem Deus: ergo efficiens, & finis sunt nobiliores; vnde Deus potest supplere concursum efficientis efficienter, at concursum materiæ, & formæ cum supplet, non supplet materialiter, & formaliter, sed solum effectiuè.

Pro secunda parte.

Prima ratio esse potest à communi auctoritate, qua finis dicitur prima causa, & causa causarum; quod videtur esse Arist. hic & 5. Met. c. 2 & vbicumque causas inter se comparat.

Secunda ratio. finis est primum principium omnis operationis, cum efficiens non excitetur ad agendum, nisi moueatur à fine; præterea finis est vltimum, perfectum, & bonum, quod per operationem intenditur; sed quod est primum principium, & mouens, nec non vltimus terminus, & optimum est nobilius ijs, quæ ab ipso mouentur, & propter ipsum operãtur. ergo finis est nobilior efficiente. Pro solutione.

Notandum, quod hic etiam quæstio est de causis acceptis in sensu formali; nam in sensu materiali non potest procedere quæstio; quoniam sæpe accidit vt in idem concurrant causæ extrinsecæ, & intrinsecæ, nã eadem forma ignis A, quæ respectu ignis producendi, B. est efficiens, & causa extrinseca, respectu ignis A. est causa formalis, & intrinseca, cum illud in esse ignis cõstituat; pari modo forma sæpe concurrit cum fine, cum agat agens, vt formam in subiecto efficiat; accepta ergo quæstione in sensu formali considerandum est, quod illæ inter causas dici possunt nobiliores, quæ vel prius causant, & prærequiruntur ad alias, quo pacto causæ extrinsecæ sunt nobiliores intrinsecis; quia prærequiruntur, & prius agunt, saltem natura, quàm intrinsecæ componant; vel quæ causant modo immobiliori, quo etiam pacto causæ extrinsecæ sunt nobiliores intrinsecis, quoniam causare possunt sine vlla sui mutatione, quod non possunt intrinsecæ: vlterius considе-

siderandum est, quod illud, quod magis attingit effectum stantibus alijs est causa nobilior, qua de causa efficiens dici potest nobilius fine; quoniam magis effectum attingit, cum verè Physicè, & non Metaphoricè vt finis in illum influat esse; quare causæ quidem extrinsecæ videntur nobiliores intrinsecis, cum & priores illis sint, & modo magis perfecto attingant effectum; inter ipsas tamen causas extrinsecas, finem videlicet, & efficiens, non potest facile decidi quid sit nobilius; sed videntur se habere sicut excedens, & excessum; finis enim superat efficiens in hoc, quod est primum mouens, & quod est vltimum, ad quod respicitur; efficiens superat finem, quod vt sic realiter existit, & quod magis attingit effectum, cum in illud verè & realiter esse influat, quare.

Dicendum causas extrinsecas esse nobiliores in ratione causandi intrinsecis, finē esse nobiliorem secundum quid efficiente, efficiens secundum quid fine, conclusio patet ex dictis &c.

Confirmatur prima pars, quoniam causæ intrinsecæ, vt sic, pendent ab extrinsecis, non verò extrinsecæ, vt sic, pendent ab intrinsecis: ergo extrinsecæ sunt nobiliores. Secunda pars confirmatur, illa debent esse inuicem nobiliora, & ignobiliora, quæ inuicem dependent secundum scilicet diuersas habitudines, quas habent ad inuicem: sed finis, & efficiens inuicem dependent: ergo debent esse inuicē nobiliora, & ignobiliora: minor probatur, quia efficiens mouetur à fine, finis reducitur ad esse per efficiens.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam contra primam partem respondeo dicendum, quod intrinsecum quādo cœtera sunt paria est nobilius extrinseco, in ratione autem causæ spectatis causis intrinsecis, & extrinsecis, cœtera non sunt patria, cum ea, quæ faciunt ad perfectionē, & nobilitatem causæ magis conueniant causis extrinsecis, quam intrinsecis: quare negatur consequentia.

Ad secundam respondeo dicendū, quod in eodem ordine ea, quæ immedicus attingunt effectum sunt nobiliora, si habeant cætera paria, in diuerso verò ordine hoc non valet; quamquam non minus immediatè effectum attingunt causæ extrinsecæ, præsertim si sermo sit de efficiente, quàm intrinsecæ: nam cum efficiens immediatè sæpe ponat effectum in esse, non apparet, quomodo dici possit simpliciter causas intrinsecas immediatius causare; adde quod causare immediatius ingrediendo effectum, vt partem ipsius non est nobilius, quàm causare mediatè per aliquid, quod effectum ingrediatur; immò hoc secūdū est perfectius, sicut pfectius, & nobilius est, ea, quæ aliquā ignobilitatē dicūt, præstare per seruū, quā per se ipsum: reliquæ rationes faciunt respectiue pro conclusione, vt apparebit illas applicanti singulis eius partibus.

Art. 8. Vtrum in eodem genere causæ duæ possint esse sibi inuicem causæ.

Communis sententia est non posse tradita ab Arist. 2. Phy. Tex. 35. & 5. Met. c. 2. priori enim loco hæc habet, sunt autem quædam, & ad inuicem causæ, vt laborato causa est bonæ habitudinis, & hæc laborandi; sed non eodem modo, sed hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus. Aristotilem sequuntur recentiores communiter hic, & 5. Meta. Conib. Suarez, Rubius, & antiqui Peripatetici interpretes: aliqui tamen dicunt distinguendam conclusionē, vel naturaliter, vel supernaturaliter, seu per diuinam potentiam, & naturaliter quidem putant fieri non posse, vt duæ causæ in eodem genere sibi sint inuicem causæ; posse tamen supernaturaliter; communiter tamen negatur tam naturaliter, quàm supernaturaliter. Attamen quòd duæ determinatæ causæ in indiuiduo, & in eodem genere possint esse sibi inuicem causæ, hæ rationes probare videntur.

Prima de fine. potest aliquis velle medicinam dulcem propter suam sanitatem, & sanitatem propter dulcedinem medicinæ; ergo duo fines sunt sibi inuicem causæ in eodem genere.

Secūda ratio, homo ordinatur ad fælicitatē, vt ad suum finē, fælicitas ordinatur ad hominē, etiā vt suū finem; cū fœlicitas sit propter hominē: ergo in eodē genere causæ finalis, duo possunt esse sibi inuicē causa.

Tertia

Tertia ratio. exemplo Arist. supra allato, deambulatio, & motus in genere causæ efficientis est causa bonæ habitudinis corporis, rursum hæc est causa motus, & deambulationis in eodem genere causæ efficientis; ergo in eodem genere causæ duæ possunt esse sibi inuicem causæ.

Quarta ratio. manus se mutuo fouent, & calefaciunt, non nisi in genere causæ efficientis, vt patet; nam manus dextra calefacit manum sinistram; sinistra, quæ calefit à dextra, eandem dextram calefacit, vt docet experiētia, cum manus coniunguntur: ergo

Quinta ratio. stomachus calefacit piper, & item piper stomachū, & tam piper quàm stomachus efficienter: ergo in eodem genere causæ piper, & stomachus sunt sibi inuicem causæ.

Sexta ratio. virtus impressa lapidi pendet à motu lapidis, cessante enim motu corrūpitur virtus; sed idem motus lapidis fit à virtute impressa: ergo virtus impressa, & motus lapidis inuicem dependēt in eodem genere causæ efficientis: possunt ergo duæ causæ in eodem genere esse sibi inuicem causæ.

Septima quod hoc fieri possit supernaturaliter probatur; quia si hoc potest fieri naturaliter multò magis supernaturaliter; cū in hoc non appareat vlla contradictoria implicantia. ergo. Contrariam sententiam negatiuam probant hæ rationes.

Prima si duo in eodem genere causæ possent esse sibi inuicem causæ essent inuicem prius, & posterius, notius, & ignotius, quod implicat contradictionem: ergo fieri non potest, vt duo sint sibi inuicem causæ in eodem genere; antecedens probatur; quia omnis causa ex dictis est prior suo effectu: sint ergo A. & B. quæ sint sibi inuicem causæ in eodem genere, A. erit prius, & notius B. B. item erit notius, & prius A. & sic erit prius secundum idem, & non prius, notius, & ignotius, quæ sunt contradictiones.

Secunda ratio. si duo possent esse sibi inuicem causæ in eodem genere, idem posset causare se ipsum, quo nihil existimatur absurdius; quod autem idem posset causare se ipsum probatur per illam regulā quidquid est causa causæ, est causa, causati; nam si A. potest producere suā causam B. si quid quid est causa causæ est causa causati, & A. est causatum, seu effectus suæ causæ B. eri causa sui ipsius, & sic producet se ipsum.

Tertia ratio. idem posset à priori demōstrari per se ipsum, vt per quid notius; quoniam res à priori demonstratur per causam, & causa est notior effectu; vlterius inter demonstrationes verè daretur circulus contra ea, quæ decisa sunt in Anal. secundum Aristotelem, & communem Peripateticorum sententiam.

Quarta ratio. inductione probatur per singulas causas; nam in genere causæ materialis, non potest idem esse sibi ipsi subiectum, siue subiectum sui subiecti, nec componere, vt pars materialis illud ipsum, ex quo ipsum componitur, tanquam ex parte materiali; non potest præterea esse forma actualis illius, quod sibi sit forma; nam licet aliquod accidens possit informare formam, impossibile tamen est, vt idem illud accidens actuetur, & informetur à forma; nec potest tertio aliquid producere illud ipsum, à quo sit ipsū productū, nec esse cuius gratia illius, cuius ipsū sit cuius gratia.

Pro solutione.

Notandum, quod decisio huius quæstionis dependet ex naturæ causæ, & effectus, cui, videndum est, repugnet ne duas causas eiusdem ordinis, esse sibi inuicem causas; pro quo considerandum, quod cum de ratione causæ sit, vt ab ipsa dependeat effectus; vt à qua aliqua ratione accipiat esse, omnis causa præsupponitur esse, saltem natura ad suum effectum; at si causa præsupponitur esse, vt sit effectus sui effectus, & ab illo inuicem causetur, necesse est ad ipsam præsupponi effectum, ac proinde impossibile est duo esse sibi inuicem causas, quin vnum altero sit prius, & posterius, & causa sit ante effectum, & non sit ante effectum, quæ ostendunt neque perdiuinam potentiam fieri posse, vt duæ causæ numero determinatæ eiusdem generis, & ordinis sint sibi inuicē causæ in eodem genere, & ordine, atquè secundum idem; quare quod dixerunt aliqui, quod posset Deus assumere duos angelos A. & B. vt suum instrumentum, per quod inuicem crearentur, ita vt A. crearet B. & B. iterum crearet A. videtur impossibile; quia apertè dicit contradictionem secundū idē; quoniam idem secundum suum esse reale esset prius, & non prius: nec valet effugium quod A. vt producit B. sit prius B. & B. prius A. vt A. producit, ac proinde secundum diuersam

tersam rationem, secundum scilicet rationem causæ A. sit prius B. vt effectu, & B. secundum rationem causæ sit prius A. vt effectu; hæc inquam non valent; quia contradictio est secũdum idem reale, & si valeret responsio saluarentur omnes cõtradictiones, & probari posset idem posse esse causam sui ipsius; nam dici posset idem vt causam esse prius, & præexistere sibi, vt effectui; rursum vt effectum esse posteriorem se ipso vt causa; nam hi duo ordines prioris, & posterioris in eadem re accepta secundũ esse rea le realiter existens, sunt fictitij, & per imaginationẽ, nec vllo modo excusare possunt cõtradictionẽ; verũ quidẽ est, quod quasi in genere causæ materialis sine vllo miraculo duo possunt esse causæ ad vnũ tertiũ, & cõsequenter quasi ad se ipsa, vt duæ partes, quę concurrunt ad efficiendum vnum totũ, quarum neutra causaret sine altera; vnde quasi dat alteri esse actu partẽ; seu potius est cõditio, vt altera sit actu pars: non dissimili ferè modo forma est in causa, vt existat materia complete, & ipsa per materiam existit; itaque hæc cum vel non sit propria causalitas, vel non propria ex vtraque parte in eodem genere.

Dicendum in nullo genere causandi eodẽ duas numero causas determinatas posse esse sibi inuicẽ causas; patet ex dictis; & rationibus secũdæ sẽtentiæ. Cõfirmatur; quia dependentia realis, quam dicit effectus ad causam, vt ad quid natura prius afficit totũ illud, quod est eff. . . , ità vt non sufficiat distinctio rationis ad tollendum, ne sequantur ex contraria positione assignatæ repugnantiæ; & licet finis causet in intentione, siue vt existens obiectiue in mẽte, tamẽ dato, quod sit secundum vnam rationẽ amatus per se, impossibile est, quod secundum eandem rationẽ sit amatus propter aliud; quia amaretur propter se, & non amaretur propter se, cum autẽ finis vt sit, sit id, cuius gratia cætera volumus, & ipsum per se, fieri nõ potest, vt sub eadem ratione velimus ipsum propter illa, quæ volumus propter finem; quia vt sic ipsũ per se nõ vellemus, quod repugnat; possumus quidẽ quod secundũ vnã rationem per se volumus, & amamus secũdum aliquã aliam rationẽ, & bonitatẽ velle propter aliud, siue etiam possumus velle aliquid gratia alicuius, vt finis cuius gratia, & illud ipsum velle alterius gratia eidem, vt fini cui; tamen illud, quod volebamus, non potest esse cuius gratia respectu illius, propter quod, & cuius gratia volebamus, & sic possumus velle alicui, & illi procurare magistratum propter ipsius virtutem, & bonitatẽ, & item idem tractare possumus propter dignitatẽ Patris, sicut possumus velle accipere medicinam propter sanitatem, & propter dulcedinem; tamen non possumus velle sanitatẽ, propter dulcedinẽ, & dulcedinem propter illam ipsam sanitatem; nec dicas, quod si non esset dulcedo medicinæ nollemus sanitatem, & si non esset sanitas, nollemus dulcedinem medicinæ; nam hoc solum probat illa duo esse causas partiales, & neutram per se totalem, & efficacem; vt compleant amabilitatem ad inuicem, quæ deinde efficaciter mouet voluntatem: cæterum, & dulcedo, & sanitas per se expetitur, executio autem, & sumptio medicinæ neq; totaliter est, vt à causa finali, à sanitate, neq; totaliter à dulcedine; sed ab vtraque vt à causa partiali, à neutra vt à causa totali. Dices experientiam esse in contrariũ. Respondeo; quod aliud est in actu signato, & animi gratia illos actus exercere; aliud in actu exercito, & iuxta naturã rei: primo modo nõ negarim duas causas finales posse esse sibi inuicem causas, & sanitatem expeti posse propter dulcedinẽ medicinę, & dulcedinẽ medicinæ propter sanitatem: secundo modo nego dulcedinem expeti posse propter sanitatem, & eandem sanitatem propter dulcedinẽ simul, & semel, & eodẽ processu causandi, quod esset necessariũ, si deberent esse sibi inuicem causa; nam quod nunc expetam sanitatẽ propter dulcedinẽ, alias expetam dulcedinẽ propter sanitatẽ, non repugnat; quia cum expeto sanitatem propter dulcedinem medicinæ, sanitas nullo modo est causa, sed effectus solum; alias si expetam medicinam propter sanitatem, medicina non est causa, sed effectus; vt ergo sint sibi inuicem causæ debẽt simul concurrere, & vt causæ, & vt effectus, quod nunquã accidit, & ꝑ hęc patet ad primã rationẽ.

Ad secundam. Respondeo dicendũ, quod si sermo sit de beatitudine obiectiua hominis, quæ est Deus, homo ad illã ordinatur, vt ad suũ finem; sed talis Beatitudo nõ ordinatur ad hominem; si vero sermo sit de Beatitudine formali, quę est executio, & cõprehẽsio Dei ꝑ visionẽ, & eiusdẽ fruitio ꝑ amo

rem, hæc ordinatur ad hominem, vt ad finẽ cui, & cuius gratia; homo tamen non ordinatur ad ipsam, sed operationes, & labores hominis; aliud autem est aliquid hominis ordinari ad beatitudinem finalem, vt ad cuius gratia; aliud ipsum hominem; primum est verum, secundum est falsum: quare ad formam argumenti distincto antecedente negatur consequentia.

Ad tertiam respondeo dicendum cum Aristotele supra, quod sanitas est causa deambulationis in genere causæ finalis, deambulatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis, nam sanitas, quæ mouet vt finis, vt sic, non habetur, ac proinde non potest esse causa efficiens; nec dicas quod possumus deambulare ad tuendam sanitatem, quàm habemus, in quo casu sanitas erit effectus deambulationis in genere causæ efficientis, & eiusdẽ deãbulationis causa in eodẽ genere; nã sanitas nõ est effectus deãbulationis secundum id, quod iam habetur, sed secundum id, quod erit post deambulationem; post deambulationem autem sanitas potest esse effectus deambulationis, vel quia de nouo fiat, & sic erit diuersa sanitas, & solũ dicetur eadem per æquiualentiam, vel quia remoueatur corrumpens, & tunc sanitas nõ est propriè effectus deambulationis; quia in eam deambulatio non habet causalitatem, cum verè in ipsam non influat.

Ad quartam respondeo dicendum, quod vna manus calefacit aliam primo prohibẽdo cõtrarium extrinsecum calorem manus corrumpens: secundo calefacit, quia spiritus per arterias ad manus concurrentes, cũ manus coniunguntur, non ità transpirant, & euanescunt; vnde immorantes calefaciũt reliquas partes manus frigidiores, ex quo sentitur magis calor; quare vna manus non calefacit alterã per se, nisi sit magis calida, per accidens autem vtraque manus alterã calefacit; quod non est contra conclusionẽ. Dices hæc non valere in confricatione, qua manus se confricantes calescunt, sed vnã esse causam caloris alterius. Respondeo dicendum, quod vna manus per suum motũ; qui non dependet ab altera manu, neque à calore illius calefacit alteram manum, & è contra: quod non est duas determinatas causas efficientes, vt hic esse sibi inuicem causas; quoniam secundum idem; secundum quod vna causa agit in aliam, non dependet ab alia, ac proinde non sunt sibi inuicem causæ, vt causæ; nam etiam si manus dextra nõ calefieret per motum sinistræ, adhuc tamen per suum motum calefaceret sinistrã; in quo nullo modo pẽdet à dextra, vt ab efficiẽte.

Ad quintam respondeo dicendum, quod stomachus calefacit piper per calorẽ actualem, piper vero calefacit stomachũ per calorem virtualem, quid autem sit hic calor virtualis experientia magis sciri potest quã doctrina; nam certum est experientia piper habere virtutem quamdam mordentẽ, & vellicantem stomachum, per quam excitatur in stomacho calor; cum tamen illa virtus non sit formaliter calor, cũ non sentiatur per tactum externum, neque calefaciat omnia corpora piperi contigua; quod autẽ in alijs etiam rebus dentur huiusmodi virtutes, certiùs est, quàm vt negari possit; nam quædam sunt, quæ adurunt carnem; cum tamen calorem actualem habeant satis temperatum, nec similiter vrant ligna, lanam, linum, & alia huiusmodi; quæ tamen vrerent si calor ille esset actualis.

Ad sextam respondeo dicendum, quod supposito quod detur virtus impressa, & quod corrũpatur statim atq; quomodocũq; cessat motus, tamen virtus impressa, & motus non sunt sibi inuicem causæ in eodẽ genere secundum idem; quia motus factus à virtute impressa non influit in virtutem impressam effectiuè, quæ erat, & à qua ipse factus est, sed ad summum finaliter, quatenus est id, propter quod est virtus impressa, & quo cessante illa cessare debet, ne sit frustra; quod non est contra conclusionem, quæ non est de duabus determinatis causis in diuerso genere, in eodẽ autẽ genere efficientis si motus factus à virtute impressa causat virtutem impressam, non illam eandem causat, sed nouam, à qua alius fit motus, nẽpe subsequens. Dices duo ligna, vt accidit in fulcris tectorum se mutuo sustentant secundum eandem prorsus rationem: ergo verè duæ causæ in eodem genere possunt esse sibi inuicem causæ; consequentia probatur, nam v. g. lignum A. Secundum eandem rationem sustentat lignum B. secundum quam sustentatur à ligno B. Respondeo dicendum, quod in quocumque tandẽ genere sit illa sustentatio, quod lignum A. per suam densitatem, & duritiem sustentat lignum B. quatenus impedit ne lignum B. succedat in locum suum, secundũ

quam

quam duritiem non pendet à ligno B. & è conuerso lignum B. sustentat lignum A. per suam densitatem & duritiem, secundũ quam non pendet à ligno A. vnde non sequitur, quod duæ causæ secundum idem sint sibi inuicem causæ, cum vna causa secundũ id, quod causat non causetur ab altera Dices saltem permanentia ligni A. in tali situ est conditio sine qua non sustentationis ligni B. & item permanentia ligni B. in tali situ est conditio sine qua non sustentationis ligni A. ac proinde vtraque sustentatio pẽdet ab alia, vt à conditione sine qua non, cum autem conditio causæ sequatur naturã causæ; quia conditio causæ cum requiratur ex parte causæ, & causa sit prior effectu, etiã conditio causæ debet esse prior effectu, sequuntur eadem absurda, quæ inferebantur in causis; vnde vna sustentatio vel non poterit esse conditio præréquisita ad sustentationem alterius, quod est apertè falsum, & contra experientiam, vel non benè illata est ex mutua causalitate duarum causarum in eodẽ genere prioritas, & posterioritas. Respondeo dicendum, quod verè permanẽtia vnius ligni in suo situ est conditio sine qua non ad sustentationem alterius; sed tamen considerandum est, quod sustentatio, quatenus dicit exclusionem situalem simultanea esse debet in vtroque ligno; quoniam ligna sustentant hoc pacto tradendo se ipsa, in quo nõ debet esse prius & posterius nisi secundum inadæquatos conceptus, sicut & accidit in partibus alicuius totius, quæ simul conspirantes efficiunt totũ.

Obijcies potest Deus assumere lumen v. g. B. productum ab A. ad conseruandũ idem lumen A. & quod dictum est de lumine, dici potest de quacumque alia re; sed conseruatio est quædam continuata productio: ergo verè idem potest producere illud, à quo sit productum.

Respondeo dicendum, quod supposito casu illa conseruatio non est productio primi illius esse, per quod erat A, quando produxit B, ac proinde nõ propriè dicitur produci A. à B. secundum illud ipsum, secundũ quod producit B, nam etiamsi sit idem esse continuatum, tamen quia non fuit productum à B. pro illo signo, quo producebat B. non sequuntur illa absurda, nec propriè A. dicetur productum à B. secundum quod fuit causa B. vnde idem secundum quod causat, non esset causatum, quod supponit nostra conclusio.

Dices ponamus, quod aliquis faciẽs actũ scientiæ producat habitum scientiæ circa aliquam conclusionem; tum aliquanto perseueret in illo actu, ad illum actum concurret habitus: ergo naturaliter euenire põtest, vt duo numero determinata agentia sint sibi inuicem causæ in eodem genere.

Respondeo, qđ ẽtsi daretur casus, sequi non potest quod infertur; quoniam actus secundum quod causat habitũm non dependet ab habitu, nec ab eo fit, sed à sola potentia: quod si conseruaretur postea ab habitu vnã cum potentia, conseruaretur quidem secundum idem esse, sed non vt causatiuum habitus, cum pro signo, quo conseruatur, non causat habitum, & pro signo, quo causauit habitum, non fuerit ab habitu, vnde non sequitur, quod infertur.

Dices aliquorũ Thelogorum sentẽtia est vnionem Hypostaticam dari potuisse Christo Domino propter iustitiam, & opera redemptionis, iuxta illud Psal. 44. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus. quæ rursus opera habuissent valorem ab vnione Hypostatica, ac proinde vnio hypostatica causa fuisset illorum operum, & opera illa causa vnionis.

Respondeo dicendum, quod posita illa sẽtentia vnio fuisset ab operibus redemptionis in genere causæ finalis, & meritoriæ; Opera redemptionis fuissent dignificata ab vnione in genere quasi causæ formalis, ac proinde fuissent in diuèrso genere causæ: Quamquam in tali casu aduertendum est vtrumque prouenire ab vna voluntate benignissima Dei volentis dupliciter cohonestare humanitatem in Christo, volentis scilicet ei dignitatem vnionis hypostaticæ, & volẽtis illi eã ex honesto Titulo meritorio, ac proinde voluntas vna fuisset non duæ. simile est si pater vellet filio arma & victoriam, siue arma cum honore victoriæ, arma quidem in ius filij transirent propter victoriam, & victoria acquisita esset per arma, cum quibus processit ad pugnam; sed vtrũque esset ex vna voluntate patris volentis filio arma cum laude victoriæ. Ita Deus, potuit Christo velle & vnionem hypostaticam, & hanc ipsam velle illi propter opera redemptionis, ac proinde in primo instanti, quo diuinissima illa vnio facta est, potuit exigere pro illa à voluntate huma-

na opera redemptionis, per quæ à Beata illa voluntate acceptata, debita facta esset illi vnio, & ex meritis; Sicut si pater filiolo imponat pileum ex pacto osculi, acceptetque filius, dum illi pater imponit pileũ, pileus cẽsebitur debitus, & ex meritis filio; cũ tamẽ vna sit voluntas patris, qua dupliciter vult honorare filium & pileo, & sui osculo.

Art. 9. Vtrum finis cum quacumque determinata causa trium aliorum generum possit exercere mutuam causalitatem.

COmmunis sententia est, quod possit. In contrarium sunt hæ rationes. Prima, quod etiam hic videntur esse eadem absurda prioris, & posterioris, quodque idẽ causaret se ipsum; quia quod est causa causæ, est causa causati; quæ efficiunt, vt duo determinata in eodem genere non possint esse sibi mutuo causæ.

Secunda ratio, sequeretur circulus inter demonstrationes, quod, vt dictum est, negauit in Analyticis Aristoteles, & idem respectu alterius esset notius & ignotius; immo & notius & ignotius se ipso. quæ sunt absurda. Pro contraria sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. esse prius in intentione, & posterius in executione non est absurdum; quia est esse prius, & posterius secundum diuersas rationes; sed finis est prior alijs causis in intentione: ergo poterit secundum aliquam aliam rationem ab illis causari, & sic esse posterior in executione.

Secunda ratio. nulla causa per se agit nisi mota à fine, siue propter finem; ergo finis, vt est id cuius gratia causæ causant, est causa cæterarum; sed causæ propter finem causant, quatenus per suas causalitates intendunt obtinere finem: ergo ne frustra causent, sæpe vt minimum finem obtinebũt; ergo quoad executionem erunt causæ finis; quæ cum iterum ipsæ fiant in actu causæ à fine, erunt causæ, & effectus finis, ac proinde finis cum cœteris causis habet mutuam causalitatem. Pro solutione.

Notandum, quod finis, vt ostendemus inferius, licet causet secundum aliquid esse reale, saltem vt plurimum, tamen non causat secundum statum existentiæ realis, sed secundum statum existentiæ intentionalis, & obiectiuæ, Medicus siquidem mouetur ad procurandam sanitatem per sanitatem, quæ ipsi stat obiectiuè in intentione; eandem, verò sanitatem postea efficit, vel in se, vel in ægroto secundum statum existentiæ realis; & licet formaliter propter finem non causent nisi illæ causæ, quæ se ipsas agere possunt in finem, tamen cœteræ quoque causæ, quoniam à natura ordinatæ sunt ad certos fines, propter finem causare dicuntur; nam materia mouetur ad formam, quia ad illam ordinata est, vt ad suum finem, vel saltem quia per illam assequitur suũ vltimũ finẽ, qui est cõstituere cõpositũ, eodẽ modo forma cum materia expetit cõplexũ, vt sic valeat causare compositum; efficiens quoque nisi sit causa per accidens semper intendit finem, ac proinde semper finis vt intentus prior est cæteris causis, quas vt cuius gratia facit actu causantes; non est tamen illis prior simpliciter, sed vt causantibus, siue quoad causalitatẽ; nã efficiens antequam ipsum moueat finis ad causandum supponitur esse; item præsupponitur esse materia, & forma; quia non componunt & constituunt compositum, nisi saltem priores sint secundum naturam. Considerandum autem est, quod etiam si dictæ causæ pendeant à fine secundum causalitatem; tamen ipsarum causalitates, vt sic acceptæ, non sunt in ordine ad finem, nec causantur à fine, nã actio vt actio, non est nisi ab agente; item informatio, vt sic, non est nisi à forma; & receptio, ac sustentatio vt sic non est, nisi à materia; quare finis eatenus est causa cæterarum causarum, quoad causalitatem, quatenus illæ ad causalitatem non procederent, nisi esset finis, quod est esse causam causalitatis cæterarum materialiter acceptæ, non in sensu formali: At quoad esse cæteræ causæ non pendent, vt dictum est à fine, propter quem causant; cum ad hoc vt ab eo moueantur, præsupponantur esse; sed iam cæteræ omnes causæ causant ipsum finẽ quoad esse actuale, & quoad causalitatem materialiter, quatenus nulla est Metaphorica motio à fine, nisi sit actio, vel informatio, vel receptio, & sustẽtatio, quæ pro vt sunt id, quo mouentur agens, forma, & materia ad finẽ

sunt

sint causalitates finis; quare concurrit in eandem rem causalitas finis cum causalitate cœterarum causarum; causant verò deinde illum ipsum finem, à quo mouebantur causæ, quoad esse; nam materia, & forma se ipsas complectentes causant compositū, quod erat ipsarum finis; agens per actionem attingendo terminum intentum in re producit suum finem, vt proinde causent id, à quo mouebantur ad causandum; atque sub hac ratione iam priores sint fine, quo erant posteriores, quod cùm sit secundum diuersas rationes, & secundum varium statum, nullam dicit implicantiam. Quare.

Dicendum cæteras omnes causas etiam in indiuiduo acceptas cum fine posse esse sibi inuicem causas, quatenus omnes pendēt à fine quoad suam causalitatem; finis pendet ab illis, & secundum esse reale actuale, & secundum causalitatem; patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia nisi hoc esset, nulla daretur causa per se, quod est inconueniens: ergo. probatur antecedens; nam causa per se hic dicitur illa, quæ est ordinata ad certum effectum ex nàtura rei: ergo talis effectus respectu illius operantis est finis; sed etiam est effectus; ergo est causa, & effectus; causa, & causatum, ac proinde sibi sunt inuicem causæ finis cum cæteris, modo dicto.

Ad rationes in contrarium.

Ad primà patet ex dictis hic propriè non habere locum illa inconuenientia, quoniam prioritas, & posterioritas reperitur secundum diuersas rationes, secundum quas non est inconueniens, quod dicatur idem causare se ipsum.

Ad secundam ostendimus in posterioribus philosophum non negare circulum inter causas diuersæ rationis, sed solum circulum negare inter causas eiusdem rationis acceptas secundum idem.

†

Art. 10. Vtrum in alijs generibus duo numero determinatæ causæ possint esse sibi inuicem causæ.

Iam omnes causæ cum fine comparatæ sunt, visumque est quamcumque aliam causam ex tribus alijs generibus etiā in indiuiduo acceptā habere mutuam aliquam causalitatem cum fine; restant comparandæ cæteræ inter se: pro quo.

Notandum, quod primo comparari potest efficiens cum materia, quæ est subiectū ipsius actionis, & materia cum efficiente, tā quoad esse, quàm quoad causalitatem; si ergo comparetur efficiēs cum materia quoad esse, certum est, quod efficiēs non depēdet à materia, in quam causat, nec materia ab efficiente; etenim si adhoc vt efficiens transmutet subiectum debet esse ante momentum transmutationis; & subiectum pariter existere debet, vt recipiat actionem agentis, certum est quoad esse nec subiectum dependere ab efficiente, nec efficiens à subiecto; quoad causalitatem verò licet, vt supra dictum est, causalitas agentis formaliter accepta in quantum causalitas talis sit solum in ordine ad causam, cuius dicitur causalitas; tamen quia ad causalitatem efficientis secundum esse concurrit subiectum, quando actio efficientis est in subiecto, & educitur de potentia subiecti, à quo sustentatur; idcirco efficiens verè quoad causalitatem pendet à materia; secundum rem scilicet non formaliter: iam uero quod materia etiam quoad causalitatem dependeat ab efficiente asseritur ab aliquibus non ineptè, ratio est, quia causalitas materiæ consistit in receptione formæ, & vnione substantiali cum ea, quæ est effectus efficientis; sed tamē considerandum est, quod licet effectus efficientis sit id, quod recipitur, & sustentatur à materia, non est tamen sustentatio, & receptio passiua, quæ adæquate uidetur esse ab ipsa materia, licet non sit à materia nisi concomitanter ponatur actio agentis, per quam fiat terminus receptionis, quod tamen non propriè facit, quod receptio sit effectus agentis; nam e. g. sustentatio; qua

mensa

mensa sustentat, & recipit librum non diceretur effectus ponentis librum in mensa, etiam si non sit talis receptio sine tali positione; quia positio libri in mensa ad receptionem se habet, vt quid concomitans non vt causa; nam posito quomodocumque illo termino in distante, tota receptio libri est à mensa, sine vllo influxu, & dependentia positionis libri ibi; itaque positio libri solum se habet, vt cōditionē cōcomitātē, seu applicantē terminum requisitum ad receptionē, tamen non habet causalitatem in receptione, ac proinde forte probabilius est per se, & immediatè causalitatem materiæ nec in sensu reali dependere ab agente; sicut nec dici potest, quod dependeat à termino in materia recepto; cum tamen si penderet ab efficiente, multò magis pendere deberet à termino recepto; quia in tantum dici potest, quod receptio, qua materia causat formam receptam, dependere potest ab efficiēte, in quantum dependet ab eo, quod fit ab efficiente, quæ est ipsa forma; quia ab efficiente dependere nō potest, nisi quia ab ipso fit, quod in materia recipitur; itaque causalitas materiæ ab efficiente dependere videtur, vt à concomitante, non vt à causa.

Secundo. Comparari potest efficiens cum forma, in qua comparatione certum est efficiens quoad esse non dependere à forma, cum efficiens sit ante formam; nam formam non causat, nisi quod habet esse, ac proinde ante formam præsupponitur esse efficiens, forma tamen quoad esse dependet ab efficiente; quia verè per efficiens educitur de potentia materiæ, & fit actu in subiecto; vnde ex duabus dictis causis quoad esse vna solum est causa alterius, quoad causalitatem efficiens non potest dependere à forma, vt sic; quoniam prius est actio in ratione actionis, quàm in ratione formæ, cùm in ratione actionis sit uia, in ratione formæ sit terminus, forma tamē de materiali loquendo quoad causalitatem in sensu reali dependet ab efficiente; nam cum forma non possit dicere actualem informationem nisi per esse, quod recipit ab agente, cōsequēter quoad hoc dependet ab efficiente, vnde tam quoad esse, quam quoad informationem, modo tamen dicto, forma dependet ab efficiente, enim efficiens neque quoad esse, neque quoad actionem propriè dependeat à forma.

Iam si comparentur materia & forma inter se, & hæc quidem sub ratione formæ, illa verò sub ratione materiæ, nam sub ratione finis de illis iam dictum est, materia quoad esse non dependet à forma, præsupponitur enim formæ, de cuius potentia per efficiens educi debet, in sententia tamen illorum, qui volunt materiam accipere existētiam à forma, aliud dici debet: porrò forma, de materiali loquendo, à materia, vt à causa dependet; quoniam de illius potentia educitur ipsa concurrente, & causante in suo ordine; si autem sermo sit de forma informante spirituali, hæc non potest quoad esse dependere à materia vt à causa; sed solum vt à concomitante; si enim non esset materia non produceretur talis forma, cum producatur ad requisitionem subiecti dispositi, vt fiat tale compositum naturale; Iam si considerentur duæ illæ causæ quoad causalitatem, materia dependet à forma solum, vt à determinante, quatenus ab illa determinatur ad tale esse specificum constituendū, cū plura alia posset constituere; cæterum quoad illud, quod dicit in sua causalitate realiter, & formaliter à forma nō dependet, nisi vt à termino inadæquato, in quem exercet suam causalitatem, quod non est dependere à forma, vt à causa, sed vt ab effectu, & habere aliud à se dependens; forma verò quoad suam causalitatē dependet à materia in sensu tamen materiali; quoniā siue informatio realiter nihil aliud sit, quā ipsa forma, siue sit aliquis modus distinctus, ad illam concurrere debet materia; si enim sit modus distinctus, vel forma, quæ informat, materialis est, & concurret materia propriè per influxum in suo ordine; vel nō est forma materialis, sed est spiritualis, & informatio non est quidquam distinctū ab ipsa, & tunc non cōcurrat materia, respectu formæ, vt causa, sed vt concomitans, & terminus. Quare.

Dicendū, q᷑ in tribus alijs generibus causarum efficiēte, materia, & forma, efficiens quoad esse non potest dependere à materia, in quam agit, nec materia ab efficiente, forma materialis dependet quoad esse ab efficiēte, & materia nō depēdet à forma; quoad causalitatem verò efficiens dependet à materia, materia non dependet propriè ab efficiente; forma depēdet ab efficiente, efficiēs non dependet à forma; materia non dependet à forma; nisi vt à termino, forma materialis

rialis dependet à materia; patet hæc cōclusio ex dictis, confirmatur, quia illa, quæ dicta sunt dependere quoad esse, verè suum esse recipiunt ab ijs, à quibus dependere dicta sunt; illa, quæ dicta sunt dependere secundum causalitatē, vere id, quod est illis causalitas, licet non sub hac rōne, & in sensu formali, accipiunt, vel habent cum illius causæ concursu, à qua secundum causalitatem dicta suntdependere.

Obijcies. illud, quod est materiæ causalitas dependet ab efficiente, & à forma. ergo male hoc negatum est; probatur antecedēs, quia id, per quod materia actu causat, fit in illa ab efficiente, & à forma. ergo.

Respondeo dicendū, quod quidquid fit in materia ab efficiente, se tenet ex parte formæ, & omne illud debet educi de potentia materiæ, & in materia recipi, ad quod præsupponitur virtus eductiua materiæ actu concurrens, & receptio eiusdem materiæ: eodem modo quidquid dicit forma in materia dependet à materia, vt à priori, & à causa subiectiua præsupposita, ac proinde quoad causalitatem materia neque ab efficiente, neque à forma magis dependere potest, quàm vt à concomitante, vel à termino, quod non est propriè ab illis dependere. quare ad formam argumenti negatur antecedens, si sermo fit de propria dependentia causatiua, ad probationem patet ex dictis.

Art. 11. Vtrum vna & eadem causa possit esse causa contrariorum effectuum.

Qvæstio esse potest de causa, quæ non solum sit eadem, sed eodem modo se habeat tam in se, quàm in extrinsecis; & quæstio esse potest de causa, quæ licet eadem sit, eodem tamen prorsus modo non se habeat in se, siue in extrinsecis; si quæstio sit primo modo.

Negare suadet Primum auctoritas Arist. secundo de gene. Tex. 56. vbi dicit quod idem secundum idem semper est aptū facere idem.

Secunda ratio, virtus causatiua proportionari debet rei causanti, sed ex suppositione res, quæ causat, est omnino eadē tam in se, quàm in concausis ergo & virtus causatiua; sed virtuti causatiuæ omnino eidem debet respondere idem effectus. ergo impossibile est, quod causa neque in se, neque in extrinsecis variata, causet contraria.

Si quæstio sit secundo modo pro parte negatiua est hæc ratio. Extrinseca non variās virtutem causæ: ergo neque variabunt effectum; probatur consequentia, quia talis & talis effectus debet esse à tali, & tali virtute causæ, quæ si non est variata, neque variabitur effectus, ac proinde eadem causa non potest esse causa contrariorum.

Pro parte affirmatiua, quod causa tam eadem in se, quàm in extrinsecis possit esse causa contrariorum sit

Prima ratio, causæ liberæ, & ad vtrumlibet tales dicuntur; quia possunt in contrarium, quod etiam docet experientia; quia possumus idem eodem tempore tam nolle, quam velle, & tam velle, quàm nolle. ergo.

Secunda ratio, idem mixtum sub eodem cœlo siue in eodem loco, & eodem tempore reparat sibi frigus, & calorem, si aliquid in illo de eis deperierit, quod postuletur ab ipsius natura, & temperamento. ergo idem & in se, & in extrinsecis, potest esse causa contrariorum. Pro eadem parte affirmatiua quod sit idem causa contrariorū, cum variatur extrinseca, multò magis certum est experientia, nam Sol liquat ceram, & indurat lutum &c.

Pro solutione ergo.

Notandum, quod euenire potest duplici ex capite, quod aliqua causa sit contrariorum; nam vel hoc accidere potest per accidens, vel per se; per accidens fit multis modis, vel quod causa impediatur à suo proprio effectu, quo modo virtus formatiua fœtus non impedita facit crura recta, eadē impedita facit cruta obliqua; vel quod diuerso modo inueniat dispositum subiectū, quo pacto ignis per calorem extrahendo ptes subtiliores, & molliores glaciei, ceræ, metalli de potentia ad actum, metalla, glaciem, & ceram liquat; vel quod cum diuersis causis agat, qua ratione calor cum tali causa proxima producit raritatem, vel amaritudinem &c. cum alia producit densitatē, uel dulcedinem, quod apparet in cœli calore concurriente ad amaritudinem absinthij, & dulcedinē saccari; vlterius idem est causa contrariorum per accidens non prohibendo

hibendo contrarium, quomodo sol recedẽdo causat frigus, & gubernator per suam absentiam naufragium nauis: secundò extrahendo dicitur contrarium causare in re in quã agit, & sic calor externus euocando internum frigefacit subiectum: Tertiò disponendo ad formam contrariam, quo pacto dici potest ignis congelare aquam, quia in illam facit raritatem, quæ est dispositio ad congelationem; quoniam in aquam rarefactam facilius penetrat frigus, illamque facit concrescere; his modis causæ per accidens causant contrarium. Per se accidit secundò, quod aliquid sit causa contrariorum; quia scilicet de sua natura est indifferens ad plura, quæ indifferentia duplex est actiua, & passiua; passiua, vt materiæ, quæ potest recipere calorem, & frigus, & cæteras formas contrarias, ad quas omnes ipsa de se est indifferens, ita vt quamcumque recipiat, si sit agens introducens; actiua indifferentia est, vt causæ liberæ, quæ ex sua vi potest se ad hoc, vel illud determinare, etiãsi contraria sint; quare per se immediatè esse causam cõtrariorum conueuit solum materiæ in suo ordine propter indifferentiam passiuam, quam dicit, & agẽti libero per indifferentiam actiuam, his accedit finis extrinsecus, quando contraria ad illum valent, obtinendum, vnde.

Dicendum materiam, finem extrinsecum, & efficiens liberum per se posse esse causam contrariorum; cæteras causas solum posse esse per accidens. prima pars conclusionis patet ex dictis, & confirmatur; nam eadem voluntas de se potest amare, & odisse, velle, & nolle idem; nam licet voluntas non soleat odisse, & amare idem obiectum sub eadem ratione; potest tamen ex se illud odisse, & amari sub diuersa; vel etiam velle, & nolle etiam si offeratur sub eadem ratione, velle autem, & nolle aliquid sunt actus cõtrarij, eodem modo eadem materia quamũ est de se & in suo ordine potest causare frigus, & calorem &c.

Secunda pars conclusionis etiam patet ex dictis, & confirmatur: quia quicumque effectus contrarij ab alijs causis producti non possunt præcisè reduci in ipsam causam quatenus talem; nam si idem calor calefacit, & frigefacit, calefacit per se, frigefacit per accidens extrahendo congenitum calorem, vel rarefaciẽdo, ad quod sequitur facilis introductio frigoris; si eadem forma reparat sibi per emanationem contrarias qualitates id præstat quatenus conspirant ad constituendum vnum temperamentum sibi proportionatum; si eadem pars, vt cor, mouetur diuersis motibus, id facit in ordine ad eandem vitam, ad quam conseruandam concurrunt & per diuersa, sicut, & virtus nutritiua cum attrahit vtile, & expellit noxium; Sed de his suo loco.

Ad rationes in contrarium.

Ad auctoritatem philosophi dicendum, quod procedit de causis naturalibus prout contradistinguntur à liberis (loquitur enim ibi Philosophus de latione cœlorum) quæ dum manent eædem in se, & in concausis, & alijs requisitis semper sunt aptæ facere idẽ, cum quo stat, quod causæ liberæ per se possint in opposita.

Ad secundam, respondeo dicẽdum, quod virtus causatiua debet quidem proportionari rei causanti, sed si res causans ab intrinsecosit indifferens virtus causatiua respicit vt suum terminum adæquatum plura & opposita; si indifferens non sit virtus causatiua in actu secundo debet proportionari rei causanti acceptæ concomitanter ad alias causas, vel ad alia limitantia, siue impedientia virtutẽ causatiuã, cũ quibus habet diuersam rationẽ causæ; nã sol cũ tali subiecto & causa habet diuersã rõnẽ causæ, ac habeat cũ alio subiecto, vnde sol & homo generãt hoĩem, sol & equus generãt equũ, sol & frumẽtũ generant frumentum, & sic de reliquis; quare ad formã argumenti explicata maiore iuxta modo dicta dicẽdum est ad minorem, quod si virtus causatiua rei ex sua natura non indifferentis eadem sit in concausis &c. quò non producet contraria, quod non est contra conclusionem, vt patet.

Ad primam pro parte negatiua in secundo sensu quæstionis respondeo dicendum, quod virtus causatiua licet à concausis &c. variari non possit in ratione entitatis, variatur tñ in ratione virtutis causatiuæ; quia idẽ calor quoad entitatem cum virtute seminali frumenti est virtus causatiua frumenti; idem calor cum virtute seminali milij est virtus causatiua milij, & sic de reliquis. Rationes pro parte affirmatiua sunt pro nostra conclusione, vt manifestum est.

Obijcies primo. Idem magnes mouet ad aquilonẽ, & ad austrum, & attrahit, ac propellit ferrum, quæ sunt contraria. ergo idem

effi-

efficiens ex causis, quæ liberæ non sunt, ex nullo alio, sed ex se est causa cõtrariorum.

Respondeo dicendum, quod magnes illa præstat secũdum diuersas partes, vel in ferrum iam tactum à magnete secundũ diuersas partes, quod videtur ostendere magnetẽ illa præstare secundũ diuersas virtutes, quas in se continet, & quas communicat ferro; quamquam ea, quæ docet experiẽtia de hoc lapide non possunt facile reduci ad vniuersales leges cęterarum causarum, vnde etiam si à superiori enunciato excipiendus esset hic lapis, tamẽ adhuc illud vniuersaliter verum esset in alijs rebus.

Obijcies secundo materia non causat contraria nisi in ordine ad diuersum efficiens: ergo de se nõ habet, quod sit causa cõtrariorũ. Respõdeo dicendũ, quod prius est in materia, quod passiuẽ sit capax contrariorum, quàm comparetur ad contraria, & diuersa agentia: nam idcirco contraria agẽtia possunt in materiã agere; quia materia est subiectum omnium agentium naturaliũ; vnde quando materia causat contraria, hoc non debet reuocari in extrinsecum agẽs; verum quidẽ est, quod materia nõ potest causare contraria, nisi dentur agentia, quæ contraria producant; sed hoc nihil obstat; secus neque, quæ sunt eiusdem rationis dici poterit causare materia; quia materia nihil causat nisi transmutetur ab agente; quare in forma ad argumentum negari potest antecedens, vel certẽ hoc pacto distingui: materia non causat contraria nisi in ordine ad diuersum efficiens, tamquam rationem causandi, vel ingrediens rationem causandi materiæ falsum est antecedens; tamquã ad concomitans, & causam alterius generis connexam verum est antecedens, sed negatur consequentia.

QVAESTIO SECVNDA
De efficiente.

DE causis in particulari acturi incipimus ab efficiente, quę omnium ferè est prima, actuali, & reali influxu in effectũ. de hoc multa consideranda sunt, vt patebit ex dicendis.

Art. 1. Utrum causæ secundæ tam principales, quam instrumentales aliquid efficiant.

PRima sententia est nonnullorum, qui dixerunt causas secundas nihil efficere, sed omnia efficere Deum ad præsentiam causarum secundarum, ac proinde causas secundas esse sola signa actionum; hoc vt probabile tradit Gabriel in 4 dist. 1. quæst. 1. art. 3. tribuitur Petro de Aliaco, quod & senserunt alij apud Auerroem 9. Met. com. 7 & 12. Met. com. 18 & apud D. Tho. prima parte q. 105. a. 5 & 3 contra gen. c. 69 Auisebron in lib. fontis vitæ voluit dari quidem aliquas causas secundas, quę verè agant, sed non corporeas, verum spirituales, proxime cum Auicebronte sentit Auicen. qui causis corporeis videtur solum concedere productionẽ accidentium, nam primo sufficientiæ & quarto met. docet sic dispositum esse vniuersum, vt à prima causa immediatè procedat vna sola substantia spiritualis cæterarũ perfectissima, ab hac secunda, à secunda tertia, & sic deinceps vsq; ad infimam, infimã vero inducere omnes formas substantiales in materiam dispositam à causis corporeis, ac proinde ab infima omnes substantias corruptibiles generari.

Contraria sentẽtia, quod causæ secundæ verè agant, & efficiant non solum accidentia, sed etiam substantias est omnino certa, fideique consentanea, nec videtur negari posse sine manifesto errore, & est communis Scholasticorum Thologorum in 2. dist. 18. est etiam Arist. & Peripateticorum, ac recentiorum communis. Pro prima opinione hæ rationes suadere videntur, &

Prima ex scriptura. prima ad Corinth. c. 12. qui operatur omnia in omnibus, sermo est de Deo; nõ ergo causæ secundæ quicquã faciunt, huic testimonio accedit secundum ex secunda ad Corinth. c. tertio. Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est; per quod testimonium ostenditur ipsum Deum esse, qui omnia efficiat.

Secũda ratio ex primo testimonio, Deus operatur omnia: ergo frustra ponitur causas secundas etiam operari, patet consequẽtia, quia illud, quod efficere deberent,

efficitur à Deo: vel igitur bis fit, quod est ineptum, vel Deus non operatur, quod est hæreticum: vel non operantur causæ secundæ; quod est intentum.

Tertia ratio; Intelligentiæ, quæ sunt creaturarum nobilissimæ, nō se inuicem efficiūt: ergo neque res corporeæ, quæ sunt illis longe imperfectiores, patet consequentia, quia non debet concedi illis, quod rebus longè perfectioribus, & maioris actiuitatis denegatur.

Quarta ratio, omnes res sunt creaturæ Dei. ergo à Deo creantur, sed quod à Deo creatur non fit à causa secunda: ergo nihil fit per causas secundas, de antecedente nullus dubitat, consequentia est clara; quia res creatæ creaturæ non sunt, nisi quia à Deo creatæ sunt; assumptum etiam est manifestum; quoniam causa secunda non habet uim sufficientem ad creandum.

Quinta ratio, res immediatè, & solum producuntur ab illo, à quo solum conseruātur; sed res corporeæ à solo Deo conseruantur: ergo ab illo solum producuntur; probatur maior; quia conseruatio non est actio re distincta à productione; sed vna continuata actio.

Sexta ratio pro errore Auicembrentis, & Auicennæ multa producuntur in rerum natura, quibus assignari non potest causa corporea; ergo ea produci debent à causa spirituali; patet consequentia; quia ab aliquo produci debent, non corporeo, quod non est: ergo spirituale. Contraria sententia affirmatiua probatur & ratio

Prima sit ab auctoritate philosophi, qui vbique id supponit toto primo. & secundo Physicorū, in metaph. sępissime primo de generatione Tex. 52. vbi vult proprium esse formæ agere, sicut materię pati, & alibi sæpè inculcat unum quodque esse ut operetur.

Secunda ratio efficacissima deducitur ab experientia, experimur .n. in nobis ipsis nos intelligere, uelle; mouere quæ uolum*, nutriri per alimentū, & alia huiusmodi præstare, quæ dicere non fieri à nobis, siue à facultatibus in nobis insitis à natura est adeo incredibile, ut non sit ullus ex plebeiam rudis, qui id non putet absurdum.

Tertia ratio, uel nos aliquid agimus, uel nihil; si nihil, cur in Republica sunt præmia pro benè factis, pœnæ pro malis? si aliquid. ergo causis secundis non potest denegari efficientia. Adde quod si nos nihil agimus; neque etiam à nobis possumus velle agere; nā ad talem volitionē requiritur aliqua actio; erit ergo solus Deus, qui efficiat in nobis omne velle, & operari: ergo iniustus esset Deus castigando in prauis ea, quæ ipse fecisset, & in probis afficiendo præmio, quæ non fecissent, quæ sunt blasphemiæ.

Quarta ratio. Deus communicauit causis secundis suam similitudinem quantum ad esse; ergo & quantum ad operationem; sicut ergo creaturis communicauit verum esse, ita & verum operari.

Pro solutione.

Notandum, quod in proposito non male adhiberi potest illud octaui phys. Tex. 22. vbi ait philosophus. dicere igitur omnia quiescere, & huius rationem quærere dimittentes sensum, infirmitas quædam est intellectus; dicere enim causas secundas nihil agere, cum apertissimam experientiam habeamus in contrarium, & ad hoc persuaderi sophisticis quibusdam rationibus magna est intellectus imbecillitas; nam quis non videat ignem comburere, aquam madefacere, niuem infrigidare, & alia huiusmodi; nec dicas, quod conburat Deus ad præsentiam ignis, si enim Deus conburit, quare aliqua igni præsentia comburit, alia non, vel non ità facile vrit? neque enim dici potest, quod aliqua ipsi magis resistant, aliqua minus; si quidem ipsamet resistentia ostendit causas secundas agere, cur enim aliqua resistant, nisi quia non admittunt actionem contrarij? vel vi sua, & efficacitate contrarium corrumpunt. Præterea, cur debet fieri actio in propinquum per breuissimam lineam? cur in reflexione potentior sit actio? hæc enim omnia apertissimè ostendunt per se causas secūdas agere; adde his cur essent in rebus corporeis tot virtutes, tot potentiæ, tot instrumenta adaptata ad certos effectus, si omnia debet agere Deus, vel spiritualis aliqua substantia? neque enim hæc omnia poni possūt frustra, immo neque pro solis effectis accidentarijs, & dispositionibus, primum quidē, quia in nutritione videmus generari carnē, quæ non est accidens; & ignis non solū generat calorem, sed ex ligno facit aliū ignē, vt proinde non minus ineptum sit, & contra quotidianam experientiam dicere causas secundas efficere solas dispositiones accidētarias, quā tollere illis omnē efficiētiā, & causalita-

salitatem. Dictis accedit, quod si causæ secũdæ non agunt tollitur totus ordo vniuersi, qui in hoc præcipuè consistit, vt alia alijs subiecta sint, atque ab ijs moueantur, vnde sapienter dictum est primo Meteo: c. 2. oportet hunc mundum inferiorem supernis latio nibus esse contiguũ. Præterea tollitur ordo causæ, & causati, per quẽ omnia creata constituuntur, nec Deus satis suam potentiã, & sapientiã in rebus corporeis expressisset, non potentiã, quia non potuisset rebus corporeis virtutẽ actiuã cõmunicare, nõ sapiẽtia, quia nesciuisset res corporeas ita connectere, vt vna ab alia deriuaretur, ĩ quo etiã deficit bonitas, quæ magis cernitur, quo bonum, quod communicat, maius est, est autem maius rebus non solum dare esse, sed etiam virtutem communicandi illud, quia hoc vt bonũ communius, ità & diuinius, adde his, quod si negatur rebus Physicis efficientia, tolletur tota Physica scientia; quoniam hæc procedit vel à priori per causas, vel à posteriori per effectus; sed si res physicæ non agunt, nulla restat causa, nullus effectus, à quo possit Physica procedere; rationes ergo, & ipsa experientia ostendunt contrariam sententiam prorsus ineptam esse, & absurdam, quæ cum ità sint.

Dicendum causas secundas tam principales, quam instrumentales verè aliquid efficere, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur ex scriptura, & à fine; nam si omnia sunt, vt operentur, seu omnia operari appetunt, vt maximum ipsorum bonum, ne in rebus hic appetitus fit frustra, & suo priuetur fine, omnibus causis secundis debet concedi, quod operẽtur, nec incõmoda tollet, qui dicat operari Deum ad præsentiam causarum secundarum; nam per hoc non habent causæ secundæ, quod requirunt; sicut cum aliquis vellet canere, non ipsi satis est, si alius cantet pro ipso: ex scriptura item hæc veritas euidenter monstratur; nam Genesis primo habemus, germinet terra herbẽ virentẽ, & faciẽtẽ fructũ, & rursum producat terra animam viuentem, & Marci 4. terra fructificat herbam, deinde spicã, deinde frumentum; Lucæ 21. Videte ficulneas, & omnes arbores cum producunt iam ex se fructus, scitis quia prope est æstas.

Ad rationes in contrarium.

Ad primã respõdeo dicẽdũ, quod primũ testimoniũ Apostoli nõ est accipiendũ quasi velit secundas causas nihil agere; sed quod velit non agere sine concursu, & auxilio Dei; nam ità agunt causæ secundæ, vt tamen cum ipsis debeat concurrere Deus tamquã causa prima, cui cæteræ causæ sunt essentialiter subordinatæ in essendo, & in agendo, vt ostendemus infra, per quod verum est, quod Deus omnia in omnibus operetur, sicut verũ esset, quod scriberet omnia magister, qui teneret, & dirigeret manum pueri in scribendo. Secundũ autẽ testimoniũ est de cogitationibus, quibus nos præparamus ad gratiam, & ad alia dona supernaturalia, ad quæ certum est nos non esse sufficientes ex nobis, cũ naturam, & nostras vires superent: ex quo tamen probari non potest, quod causæ secundæ non sint sufficientes in suo ordine ad suos naturales effectus producendos.

Ad secundam, respõdeo dicendum, quod aliud est aliquid bis fieri, aliud fieri à pluribus causis inuicem subordinatis; res, quę fiũt, fiunt à Deo, & è causis secundis, à Deo vt à causa prima adiuuante, & concurrente cum secundis, à secundis vt à causis proportionatis in ordine naturæ, & causarum secundarum; quare ad formam argumenti negatur consequentia, Ad probationem respondeo, quod illud quidem efficitur à Deo, sed non totaliter, nec sine causis secũdis, sed ab vtrisque, à Deo, vt à primo agente; cui cætera oĩa essentialiter sunt subordinata, à causis secundis, vt à causis proximis connaturalibus.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod si res spirituales in specie non sunt multiplicabiles, vt tenent aliqui, intelligentiæ non possunt alias sibi similes producere; quia nullæ aliæ ipsis similes in specie sunt producibiles; cum tamen agens vniuocum velit producere sibi simile; præterea intelligẽtię sunt solum producibiles per creationem, nulla autẽ creatura creare potest, saltem, vt causa principalis, ac proinde nulla intelligentia aliam potest producere. Porro intelligentiæ loco huiusmodi operationum habent aliam longè perfectiorem, quæ est Dei cognitio; adde his, quod excepta creatione, omnes alię productiones substantiales fiunt in subiecto cum corruptione alterius; vtriusque autem incapaces sunt intelligentiæ, quæ proinde omnes simul à Deo creatæ sunt.

Ad quartam respondeo dicendum, quod res omnes dicuntur creaturæ Dei, quia à Deo sunt principaliter; & quia fiunt ex suppositione

tione principiorum à Deo creatorũ, vt materiæ primæ, &c. Adde quod res creatæ propriè participant esse ab esse diuino, vt quod vna quæq; res in suo genere imitatur quãtũ potest, tanquam res participata, & dependens ab esse independenti, & per essentiam, & fonte totius esse; quare etiam si res creatæ non fierent à Deo, sed solum ab alijs rebus creatis, adhuc aliquo modo essent creaturæ; quia essentialiter dependerent à Deo saltem mediatè vt à primo fonte totius esse, nunc autem & immediate dependent, & ab alijs rebus creatis non fiunt sine Deo.

Ad quintam respondeo dicendum, quod par non debet habere conseruationẽ in suũ par; quia nulla est ratio, cur vnum potius conseruet, aliud conseruetur; vndè res naturales quando sunt, vna non debet directè conseruare aliam, nisi vna forte sit quid alterius, & imperfectius, quomodo videmus à causis æquiuocis multa conseruari, vt radiũ à sole, lumen à luminoso; inter causas verò vniuocas vna per se non debet conseruare aliam propter rationem dictã, & quia hoc esset contra successiuam generationem entium naturalium; nam si à causa vniuoca deberet conseruari effectus, necesse esset, vt simul cum causa periret effectus, ac per generationem successiuam Mundus non conseruaretur; quare est ratio, cur vna res producat aliam; quia quando vna est alia non est; non est autem ratio, cur vna debeat conseruare aliã, sed potius est ratio in contrariũ: à Deo autẽ omnia cõseruari debẽt; quia omnia sunt entia per participatiõẽ, quæ ne abeant in nihilum indigent diuina manutenentia.

Ad vltimam rationem quid dicendum sit patebit inferius, cum ostendemus à quo fiant illa, quæ generantur ex putri, & in distans; & cùm docuerimus quomodo instrumentum in absentia causæ, cuius instrumentum dicitur, operetur.

Obijcies. omne quod non est per se deriuatur ab illo, quod est per se; sed formæ rerum corporearum non sunt per se existẽtes; ergo deriuantur à formis per se existẽtibus, qualis est Deus & intelligentiæ. Respondeo dicendum, quod illud, quod non est per se derivatur vt à primo agente ab eo, quod est per se; sed hoc potest esse dupliciter, primum quidem, vt omne quod non est per se, idest à se ipso, deriuari debeat immediatè ab eo, quod est à se, siue ab ente per essentiã, & à nullo alio, quod iam habuerit esse ab illo, quod est à se, & hoc pacto negatur maior propositio: Secundum vt omne quod nõ est per se, siue à se deriuari debeat ab eo, quod est à se, siue immediatè simpliciter, siue cum concursu, & causalitate causæ secundæ, & sic conceditur propositio, & negatur consequẽtia accepta in alio sensu, quàm nũc explicato; quoniã ab eo, quod est per se sunt causæ secũdæ, quarũ effectus non ità ab illis sunt, quin sint à causa prima, ac proinde quia totum eius reuocetur ad id, quod est per se.

Obijcies secundo. omne agẽs requirit subiectum se inferius; sed nullum datur inferius subiectum creatura corporea: ergo creatura corporea non potest agere. Respõdeo dicendum, quod pro actione creaturæ corporeæ sufficit materia prima, quæ est inferior omni re composita propter actum, quem composita includunt.

Obijcies tertio. substantia corporalis est in vltima distantia à primo agente; ergo sicut primum agens ita est agens, vt nullo modo sit patiens; ita substantia corporea ita erit patiens vt nullo modo sit agens: ergo. Respondeo dicendum, quod in vltima distantia à primo agente solum est materia prima, quæ est pura potentia, sicut primum agens est purus actus, ac proinde ipsa non est actiua. At substantiæ corporeæ cũ constẽt actu, & potentia, ratione actus non possunt dici in vltima distantia à primo agente, ac proinde ratione sui actus erunt actiuæ.

Art. 2. Vtrum efficiens sit id, vnde primum principium mutationis, aut status; siue vtrum sit primum principiũ, à quo procedit mutatio, aut status effectiuè, vel per influxum.

ARistoteles vix vllibi assignasse videtur definitionem, quæ omnibus efficientibus conueniret, illorumque naturã perfectè explicaret; vnde recẽtiores varias definitiones efficientis excogitarunt; aliqui illud definiunt, quod sit causa, à qua aliquid efficitur; alij efficiens ex Aristotele sic describũt. Est primum principium per se, à quo procedit actio, vel motus, vel effectus. communiter accipitur illa definitio, quæ habetur. 5. Met. t. 3. & 2. Phys. t. 29. & 30. efficiens est vnde primum principiũ mutationis, & status, contra quẽ definitionẽ sunt hæ rationes.

Prima, non est bona definitio, quæ latius patet definito; huiusmodi est assignata: ergo non est bona; minor probatur; quia etiam tempus, & locus dici possunt, vnde est principiũ mutationis, nam si quis moueatur ex loco A. in B. locus A. est vnde primum principium mutationis; & motus illius, si fiat calefactio per horam, primus quadrans est, vnde primum principium mutationis; præterea probatur eadem minor; conuenit definitio materiæ, & formæ; materia enim ex dictis supra est principium primum motus, & quietis eius, in quo est passiuum, forma actiuũ: finis etiam est primum principium motus, & quietis, quoniã finis est primũ mouens, vnde & dicitur prima causarum.

Secunda ratio, dicta definitio non conuenit omni efficienti; ergo non est bona; patet consequentia, quia minus latè patet suo definito; probatur antecedens; quia sola prima causa, nempe Deus, est primum principiũ motus; vel certe non conuenit instrumentis efficientis, quæ proculdubio non possunt esse primum principium motus, cum supponant pro primo principio causam principalem, cuius sunt instrumenta.

Tertia ratio, in omni definitione debet poni aliquid loco generis; sed in assignata nihil est; nam particula vnde impropriè ponitur loco generis, & cum sit particula respectiua supponit aliquid, qđ respiciat. ergo

Pro solutione.

Notandum, quod cum multiplex sit efficiens, difficulter potest certa definitione comprehendi; nam primo efficiẽs distingui potest ab agente, vt efficiens sit illud, quod transmutat aliud, in quantum aliud, ac proinde agat in extrinsecum, agens agat in se ipsum, siue in suum subiectum; nam actio, vt cõtradistinguitur à factione, vel effectione, sumitur pro actione immanente; vlterius diuiditur efficiens in efficiens per se, & per accidens, per se ex D. Tho. prima secundæ q. 85. art. 5. est illud, quod virtute suæ propriæ naturæ, seu formæ producit effectum; per accidens verò est illud, qđ per se & suaj te natura non est requisitum, sed per accidens coniungitur cum causa per se, seu con effectu per se; efficiens per se aliud est vniuersale, & hoc duplex, secundum prædicationem, sic artifex dicitur causa artificiati, & secundum extensionem ad plures effectus, vt prima causa, quæ concurrit ad omnes effectus; particulare efficiens est, quod causat certum effectũ in certa specie, vel genere, quod quadrupliciter subdiuidi solet in perficiens, adiuuans, consilians, & disponens; rursum efficiens per se diuiditur in vniuocum, & æquiuocum, vniuocum, quod producit sibi simile in specie, æquiuocum, quod producit diuersæ rationis, & speciei; subdiuiditur vlterius efficiens, in liberum & naturale; naturale, quod operatur ex determinatione ad vnum; liberum, quod operatur ex indifferẽtia; naturale diuidi adhuc potest in principale, & instrumentale; principale est, quod per propriam virtutem, quam non excedit effectus, in effectum influit, instrumentale, quod eleuatur ad effectum, quem nõ potest sola propria virtute attingere; plures aliæ sunt diuisiones, quas prosequuntur recentiores, vt illæ. causa efficiens alia est positiua, vt calefaciens & gubernator regens nauim; alia negatiua, vt absentia gubernatoris respectu subuersionis nauis; alia est physica, alia moralis, physica, quę influit in effectum per proprium influxum physicum ponendo ipsum in esse; moralis, cui imputatur effectus, vt dicta absentia gubernatoris, cui vt causæ imputatur nauis naufragium, cum tamen proximè naufragium sit à ventis, & commotione maris; est etiam causa moralis, quæ obiectiuè mouet causam physicam suo imperio, auctoritate, precibus: his, & pluribus modis cùm dicatur efficiens, difficile est assignare vnam definitionem, quæ ipsum adæquatè comprehendat; tamen si pau. a addantur Aristotelicæ definitioni ea probari poterit, nec exactior erit requirenda in re tam vasta, & prope æquiuoca; itaque considerandum est, quod si in definitione efficientis aliquid loco generis est ponendum, nihil aptius poni potest, quam principium, vel causa, siquidem supra causam definiuimus principium, & sub causa vt vnum membrum ipsius proximè est efficiens, loco differentiæ nihil aptius poni potest, quam aliquid, quod ostendat quam dependentiam habeat effectus ab efficiente, vt à suo principio, siue quomodo efficiẽs vt principium esse influat in effectũ, hæc autẽ dependentia explicari videtur, si dicamus causa efficiens est principium, à quo effectiuè, vel per influxum procedit mutatio, aut status, nam particu la procedit, infert depẽdentiam propriam solius efficientis, vnde conuenit soli efficienti addita illa effectiuè,

vel

vel per influxum; nam finis non est principium effectiue mutationis, vel per influxum producendo, sed obiectiue allieiendo, materia est principium formam sustentando, & componendo, siue etiam mutationem passiuè causando, forma est principium informando, & componendo: vnde solum efficiēs est principium effectiuè producendo, à quo proinde procedit mutatio, aut status, particula, mutatio, exprimit effectum in fieri, vnde mutatio latè accipitur pro omni motu, & re in fieri, status exprimit effectum in facto esse; quia cum est in facto esse res per omne suum complementum de ea dici potest status; si autem duo illa verba apertius explicare velimus dicere possumus; efficiēs est principium, à quo effectus, & in fieri effectiuè procedit, & in facto esse eadem efficientia ponitur, sed tamē quia definitiones, quo breuiores, eo meliores, & concinniores videntur, ideo.

Dicendum bene definiri efficiens principium, a quo effectiuè, vel per influxum procedit mutatio, aut status, patet ex modo dictis, & confirmatur, quia assignata definitio non conuenit nisi efficienti, vt ostendunt illæ particulæ, à quo effectiuè, vel per influxum procedit, & illud pro re subiecta satis explicant; ergo est bona definitio; quod autē non conueniat nisi efficienti præterquamquod iā patet, vlterius sic breuiter demōstratur, quia nulla alia causa dicit propriè habitudinem principij à quo, sed vel propter quod, vel ex quo &c. nec ab vlla alia causa effectiuè procedit effectus: ergo dicta definitio conuenit soli efficienti; quod autem & illud benè explicet probatur, quia nullum est efficiens, à quo effectus effectiuè non procedat vel principaliter, vel totaliter, vel partialiter, vel instrumentaliter, vel physicè, vel moraliter; quamquam ad explicandam causam moralē melius erit definitioni addere has particulas, vel est ratio cur ab altero, vel per alterum procedat.

Dices non bene positam esse particulam illam effectiuè, vel per influxum, quod terminus effectiuè, æquè ignotus videatur esse ac terminus efficiens, quem explicare debet. Respondeo, quod effectiuè licet de se solitariè sumptum forte non sit notius, quàm efficiens, tamen in coniunctione cum alijs vocibus optimè explicat, quod volumus; definitio autem debet constare ex notis, immò ex notioribus definito non in sensu diuiso, sed in sensu composito; ideſt definitio non debet constare ex particulis, quæ singulæ de se seorsim sumptæ sint notiores definito; sed quæ notiores sint in definitione; nam neque ens de se sumptum est notius substantia, sed tamen notius est, vt est cum alijs illis particulis, substantia est ens, quod per se stare postulat; & substare accidentibus, in definitione, autem effectiue est quid notius, quàm sit efficiens vt præponitur definitioni, & ex dictis patet ad primā rationem contra traditā definitionē: neque enim à tempore, siue loco procedit effectiue mutatio, siue status.

Ad secundam ex dictis etiam patet; primum, ibi non esse sumendum vno modo, sed latè vt comprehendit siue primam causam, siue cœteras, ideſt vt significat, siue primum principium simpliciter, siue primum in certo ordine, & gradu. Ad tertiā patet ex dictis.

Art. 3. Vtrum causalitas efficientis consistat in actione.

Licet in causa efficiente prius sit principium effectiuum, seu quo efficiens causat, quam causalitas, qua ponitur in actu causans, tamē de causalitate prius agemus, quoniam de principio effectiuo paulo plura sūt dicenda, quæ cum alijs, quæ dicentur, sunt connexa. De causalitate efficientis non est vna sententia.

Nam in sententia negatiua, quod non sit actio sunt varij modi dicendi. Fonseca. 5. Met. c. 2. q 5. sectione 3. vult causalitatem efficientis esse influxum, seu esse eandem causā efficientem, pro vt actu concurrit ad effectū. Soncinus 5 Met. q. 4 Iauel. q. similiter 4. & Heruæus quod lib. 2 q. prima, & quod lib. 4. quæ. 8. negant causalitatem efficientis esse actionem, & volunt nihil aliud esse, quam ipsum agere; alij causalitatem efficientis cōsistere dicunt in modo quodam intrinseco ipsi agenti. Contraria sententia affirmatiua quod consistat in actione est S. Thom 5. Met. cap. 2. Alb. 2. Phys. tract 2. c. 6 & recentiorū Conim. 2. phy. q. 7. art. 2. Suarez tomo primo disp. 18. sect. 10. num. 5. Rubij 2. phys. tract 4. de causa efficiente. Pro sententia negante sunt hæ rationes.

Prima. Actio nihil est aliud, quam effectus

ctus pro vt fit; sed causalitas antecedit effectum sub quacunque ratione accipiatur, ergo causalitas efficientis non potest consistere in actione. maior probatur apud Conimbricéses ex D. Damasceno, & Nazianz. in Sermone de S. Sancto, qui dicit actioné magis agi, quã agere; minor probatur, quia per causalitatem sicut constituitur causa actu causas, ita constituitur influens in effectum, ac proinde causalitas præcedit omné rationem effectus, sicut & præcedit causa ipsa; ipsa verò actio; & vtaliquo modo effectus, & vt id quod à causa oritur, non potest antecedere omne illud, quod à causa procedit: non ergo potest esse causalitas.

Secunda ratio. Causa est actu causans per aliquid sibi intrinsecum; sed est actu causans per causalitatem: ergo causalitas est aliquid intrinsecum; maior probatur; quia causa dicitur actu causans ab actu causandi, & est id, quo influit actu in effectũ, quæ non possunt esse causæ nisi intrinseca.

Tertia ratio. Efficiens actu causat dum influit in effectũ: ergo eius actualis causalitas est agere, vel influere in effectum. Pro contraria sententia affirmante quod actio sit causalitas efficientis esse potest ratio.

Prima quia qui dicunt causalitatem efficientis esse agere, siue efficere dicunt idem per idem, nec rem explicant; præterea recidunt in opinionem, quam reprobant: non enim ab alia re denominatur quis formaliter efficere, seu agere, nisi ab actione, vnde formaliter perinde est dicere causalitatem agentis esse agere, ac dicere esse actionem.

Secunda ratio. Causare in efficiente nihil est aliud, quam efficere, seu agere: ergo, & causalitas nihil aliud erit, quam actio: patet cõsequentia; quia ità se habet actio ad causalitatem, sicut se habet agere ad causare; sed in efficiente idem est agere, & causare: ergo, & idem erit actio, & causalitas.

Tertia ratio. Illud est causalitas causæ agentis, quod illam constituit, & denominat actu agentem; sed hoc est actio: ergo actio est causalitas: maior patet; minor probatur; quia agens, siue efficiens denominatiue dicitur ab actione, siue effectione quod in proposito idem est: & actione præcisè posita, & eadem ablata intelligitur esse agens, & non esse agens. Ergo.

Quarta ratio. Deus verè agit ad extra, & verè denominatur agens; sed Deus non potest agere per aliquid de nouo: quod si in ipso; quia mutaretur; ergo agit, & denominatur agens ab actione, quæ extra ipsum est: ergo actio est causalitas causæ agentis.

Pro solutione.

Notandum, quod causalitas efficientis non potest esse entitas, vel essentia ipsius; quia cum semper eam habeat, semper esset actu causa, quod est manifestè falsum; nam dum ignis non comburit, non est actu causa; eodem modo aqua, vel quæcunque alia causa dum non agit, actu causans non est, cum tamen suam intrinsecam entitatem habeat; præterea causalitas efficientis non potest esse potentia, seu virtus causandi ob eandem rationem; sæpe enim causa habet potentiam, & virtutem causandi, & nihil causat, vt docet experientia; neque etiam causalitas potest esse effectus; quoniam effectus recipit esse per causam ipsam causantem; vnde ptę intelligitur causalitas in causa ad effectum; multo minus causalitas potest esse relatio causæ ad effectum, quæ præsupponit in suo esse, & causam, & effectum; restat ergo, quod vel sit actio, vel aliud quid nondum dictum distinctum ab actione. Considerandum igitur est, quod illud, per quod causa actu exit in effectum debet esse ipsius causalitas; quoniam causam actu esse causam, siue causam actu causare est actu ponere in esse effectum; ponit autem efficiens in esse effectũ per suam virtutem causatiuam; sed quia hęc non exit ab efficiente in effectum, sed solũ attingit effectum quasi extrinsecè, & remotè, id autem, per quod proximè, & formaliter attingit, actio est, ideo, actio pro vt dicit actuale exercitium virtutis actiuæ, est causalitas efficientis; vnde si exercitium virtutis actiuæ in agente posset esse aliquid distinctum ab actione, verè esset causalitas efficientis; sed quia nihil distinctum esse potest, vt apparet in Deo, ideo, causalitas non potest esse aliud ab actione; est ergo actio causalitas pro vt dicit tale exercitium; vnde non omnino male dixerunt auctores primæ sententiæ; nam actio quomodocumque considerata, non est causalitas efficientis, considerata enim ex parte effectus est id, quo effectus accipit esse, vnde non potest esse causalitas causæ, quæ formaliter est illud, quo causa actu dat esse, at considerata ex parte agentis, & vt includit exercitium vir-

virtutis actiuæ, in quo tale exercitium est, dici debet causalitas efficientis. Quare.

Dicendum causalitatem efficientis consistere in actione modo explicato. patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur si aliquid mediat inter actionem, & causam, quod propterea dici debeat causalitas efficientis, vel illud est præuium ad actionem, vel concomitans, vel subsequens; non primum; quia omne præuium ad actionem pertinet ad virtutem causatiuã causæ, vel ad conditiones necessarias ad agendum; non secundum; quia quicquid cõsequitur ad actionem vel est terminus eius vel aliquid posterius termino, non autem causalitas agentis; non tertium; quia nihil concomitanter se habet ad actionem, quod non sit ad illam per accidens; Dices esse exercitium potentiæ actiuæ, sed contra; quia tale exercitium præter ipsam potentiam nihil aliud dicit, quam actionem, ac proinde actio erit causalitas.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod actio non est propriè effectus; sed est id, quo efficitur effectus; si tamen subtilius rem rimari volumus, actio dupliciter distingui potest, & vt se tenet ex parte efficientis, quo modo actio nullam rationem habet dependentis, & effectus; sed est prorsus id, quo agens vt per suum actum secundum influit in effectum, ac proinde est efficientis causalitas: & vt se tenet ex parte effectus, & est id, quo effectus fit, sub qua ratione actio quodammodo subire videtur rationem effectus, & non est causalitas, & sub hac acceptione de actione primi illi citati auctores locuti esse videntur.

Ad secundam Respondeo dicendũ, quod loquendo de efficiente, quod verè est id, quod agit in externũ subiectum, causalitas eius non potest esse quid ipsi intrinsecum, prout contradistinguitur à principio causandi; quoniã præter principium causatiuũ nihil aliud intrinsecum habet, per quod dicatur actu causare; vnde causalitas necessariò debet esse quid extrinsecum; itaque si causalitas efficientis debet distingui ab eius principio causante, hæc non potest esse nisi actio; quia præter principium causatiuum, seu virtutem causandi, nihil est, per quod dicatur efficiens actu causare, nisi actio.

Dices efficiens sufficienter dici actu causare per exercitium ipsius potentiæ causatiuæ, seu per ipsam potentiam causatiuã, vt connotat in actu exercitio actionem. Respondeo hoc quidem dici posse, verum nihil dici diuersum ab eo, quod dictum est, cum asseruimus causalitatem efficientis esse actionẽ, vt dicit exercitium virtutis actiuæ; nam illud positiuum, quo efficiens actu dicitur causans, cũ prius non causaret, non est nisi ipsa actio; quod si velimus causalitatem consistere in ipsa sola virtute actiua cum tali connotatione, & actionem esse quasi terminum, hoc quidem dici posset, nisi illa connotatio te includeret ipsam actionem; nam noua connotatio non aduenit causæ nisi cum actione, cũ præcisa actione intrinsecè solum illud habeat quod habebat prius, nec videtur res hæc magis enucleanda; contingit enim sæpe, vt hoc pacto veritas amittatur; certum enim esse debet causalitatem efficientis in efficiente præter virtutem actiuam nihil positiuum esse posse, quod euidenter ostendit quarta ratio facta pro secunda sententia; vnde vel esse debet actio modo explicato; vel digladiandum est de conceptionis formalitate potius, quàm rei, in quo parum vtilitatis, nihil verò boni, cũ iam de eo quod est in re constet.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod influere; & agere nihil aliud dicunt in abstracto, quam influxum, & actionem, ac proinde si in concreto causalitas efficientis est agere, vel influere in abstracto, erit actio, vel influxus, quod idem est; neque enim imaginari debemus influxum esse quid tertium ab actione distinctũ, quod ab efficiente exeat, & in passo faciat actionem, vt videbimus alibi.

Art. 4. Vtrum in causis secundis effectiuis principium agendi sint solæ formæ accidentales.

QVando quidem constat de causalitate efficientis, videndum iam est de principio actiuo; dubium est primo in causis principalibus, quod nam sit principium, per quod agunt; nam quod hoc non sit materia clarum est, cum hæc non sit actiua, sed passiua;

sua; restat ergo difficultas de forma substantiali, & de formis accidentalibus; & quidem quod per formas accidentales res naturales agant certissimum est experientia; cum ignis per calorem calefaciat; aqua per frigus infrigidet, &c. dubium est vtrum etiam agat per formas substantiales, ac proinde vtrum substantiæ sint immediatè actiuæ. Sunt duæ sententiæ, prima quorundam apud Sonc. 7. Met. q.7. qui volunt, formam substantialem rei generantis nullum actiuum influxum habere in rem generandam, sed omnem influxum esse ab accidentibus.

Contraria sententia communis est causas secundas etiam per suas formas substantiales agere, & non solum per accidentales, est sine dubio Aristotelis, cum id habeat manifeste pluribus locis, quæ infra adducentur, & consequenter peripatetica sententia est: immo & Theologorum communis, cum in ea concurrat vtraque schola S. Thomæ, & Scoti, licet discrepent in assignanda causa productionis substantiæ, vt patebit articulo sequenti. Tenent eandem nostri Suarez. To. 2. metaphy. dis. 18. sect. 2. & 3. & alij. Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima sufficit accidens per se solum ad generandam substantiam; ergo ad illam generandam non concurrit forma substantialis agentis; patet consequentia; quia natura non multiplicat ea, quæ non sunt necessaria; vnde si accidés de se solo sufficit ad procreandã substãtiã, nõ est dicẽdũ, quod natura dederit eadẽ virtutẽ formæ substãtiali; antecedẽs probatur; quia ab illo introducitur forma substãtialis in materiã, à quo sufficiẽter materia disponitur ac præparatur ad formã substãtialẽ; sed materia disponitur ab accidẽte: ergo ab eodẽ producitur forma substãtialis; maior videtur D. Thom 3. cõtra gentes, & in 4. dist. 49. vbi docet, quod vltima dispositio est semper ab eo, à quo est forma substantialis; minor patet experientia, & iam constabit sequenti ratione.

Secunda ratio, in reflexione radiorum in speculo, vel alia tali re, fomes, vel carta sufficienter disponitur, vt patet experiẽtia ad formã ignis à calore reflexionis; quod idẽ euenit in attritione facta per motum, & per collisionem calybis ad silicem; ergo ignis, qui ibi producitur, generatur vel à calore radiorum, vel à calore producto per motũ & attritionem; patet consequẽtia per illud dictum illud introducit formam, quod vltimo præparat materiam; & quia assignari nõ potest, à quo alio tũc ignis ille producatu; ergo substãtia producitur ab accidẽte, ac proinde, ne multiplicemus principia productiua sine necessitate, substantia de se nihil efficit.

Tertia ratio, ex loco citato Sanc. illud, quod in quocumque subiecto ponatur, inducit aliquam formam, producit illam virtute propria; sed in quocumque subiecto ponatur calor cum alijs dispositionibus requisitis, scilicet raritatis siccitatis, &c. producit ignem; ergo ignem producit virtute propria; maior probatur, quia vis illa ignis productiua non potest esse à subiecto cũ eã, habeat calor in quocũque subiecto ponatur; minor probari potest multipliciter experientia & ijs, quæ dicta sunt in prima, & secunda ratione; quod si accidens virtute propria producit substanriam; nulla est ratio, cur substantiæ aliã efficientiã attribuamus.

Quarta ratio, est ex philosopho, qui de sensu, & sensili ait, quod ignis non agit in quantum ignis, sed in quantum calidus; ergo forma substantialis ignis non est principium agendi. Confirmatur ex com. 1 2 Met con. 18. dicẽre, quod virtutes, quæ sunt in omnibus seminibus, quæ faciunt animata, non sunt animatæ actu, sed potentia; & quod faciunt animata actu per calorem, qui est in eis. Pro contraria sententia sunt hæ rationes.

Prima vna ex præcipuis affectionibus rerum est agere: ergo in ipsa substantia rerum causam habebit, sicut & ceteræ rerum proprietates; sed pro causa non potest habere materiam, quæ est passiua: ergo habet foram substantialem, ac proinde principiũ agendi in causis secundis non sunt sola accidentia.

Secunda ratio, actio sequitur esse; ergo idem erit primarium principium essendi, & agendi; sed forma substãtialis est primarium & principale principium essendi, vt supra definitum est; ergo etiam erit primarium principium agendi.

Tertia ratio, nulla actio pro principali principio habere potest aliquid imperfectius suo termino formali producto per actionẽ: ergo actio substantialis pro principali principio non potest habere accidens; patet consequentia; quia accidẽs est imperfectius substantia; terminus autem formalis actionis substãtialis est forma substãtialis; antecedẽs

probatur; quia nullum agens potest agere supra suas vires; si autem primarium principium, & principale actionis esset imperfectius termino producto per ipsam actionem, ageret supra vires; quia efficeret aliquid se perfectius, quod proinde excederet vires ipsius; quia vires agendi debent sequi perfectionem essendi.

Quarta ratio ex Philosopho, qui saepe assignat ulm efficiētiam, & effectiuam formae substantiali; nam primo de ortu, & interitu tex 43. & 50. & sequētibus, ait materiae esse pati, formae vero agere, & lib 2. t. 53. & 54. reprehendit illos, qui omnem actionem ad solas qualitates reducebant, & 2 phys. t 71. docet aliquando incidere in eandē rem causam formalem, finalem, & efficientem & 2. de anima t. 36 & 37. animam esse causam efficientem, & vnde motus.

Pro solutione.

Notandum, quod virtus agendi, & efficientia, cū sit maxima perfectio rerum, qua imitantur primam causam omnium entium productiuam, vel debet sequi ipsam perfectionem essendi, vel gratis causis secundis à prima causa attributa est, ita vt vnaquęque causa id efficiat, quod placuit primae causae, hoc secundum videtur incohueniens; nam non aliter credi debet dispositum esse vniuersum à Deo, qui est summa sapientia, quā disponi deberet spectata singulorū entium propria natura, ac proinde tantum debent posse efficere causae secundae cum naturaliter operantur, quantum patitur ipsarū propria naturalis perfectio; cum ergo perfectio substantiae, vt est in confesso apud omnes, superet accidētatiam perfectionem accidentium, non potest habere pro sua principali causa accidens; vel ergo carebit principali causa sui ordinis, vel haec erit substātia; cum autem substantia naturalis sit composita ex materia, & forma, & materia sit principium passiuum, sola forma erit principium actiuum; vnde dici non potest in causis secundis principalibus principiū agēdi esse formas duntaxat accidentales; sed vlterius ad producendam substantiam pro primario productiuo assignari debet forma substantialis; quod illud etiam persuadet; quia si de causis particularibus sermo sit, hae operantur, vt sibi simile producant in specie, vt cum non possint in se esse perpetuae, vt potē corruptibiles, saltē perpetuae sint in suis effectis, vnde debent agere per aliquod principium, cui assimiletur terminus productionis; at terminus est forma substantialis: ergo & per formam substantialem agere debent, nec satis est, si dicamus, illud quidem esse finem generationum naturalium, caeterum obtineri ab agentibus per accidentia, quae sunt ipsorum virtutes; nam considerandum est, quod nunquam natura in totum attribuit minus principali munus illud, quod sit proportionatum magis principali, & possit ipsius perfectionem augere, faceret enim in ordinate sicut in moralibus praecipua officia, & quae dominis possunt esse gloriae, non penitus demandantur seruis; cum ergo agere dicat magnam perfectionem non est credibile solis accidentibus eam à natura esse tributam. Quare

Dicendum videtur probabilius esse causas secundas non agere per sola accidentia; sed in productionibus substantialibus agere etiam per proprias formas substantiales, quando adest substantiale agens; patet ex modo dictis, & rationibus secundae sententiae. Confirmatur ex loco illo secundi de generatione Tex 54. vbi Arist. reprehendens eos, qui efficiētia formis substātialibus ademerunt haec habet, huc accedit, quod facultates, per quas res gignatur, variè instrumentarias corporibus attribuunt, atque interea causam, quę ad formam pertinet auferunt, & Textu sequenti ait. amplius verò simile faciunt, vt si quis serrae, & vnicuique instrumētorum attribuat causam eorum, quae generantur.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod nisi velimus accidens esse aequè perfectum, ac substantiam, vel certe agere supra suas vires, concedi non potest, quod sufficiat de se ad producēdam substantiam, quod adducitur, quod illud inducit formam, quod praeparat materiam, si sermo sit de principio quod concedi potest; nam illud suppositum, quod sufficienter praeparat materiam ad formam substantialem, dicitur etiam formam induere; si vero sermo sit de principio quo non videtur illud pronunciatum verum, nisi cum hac limitatione, quod introducat formam substantialem solum dispositiuè, & instrumentaliter, seu in virtute alterius. Quare in forma ad argumentum negatur antecedens, ad probationem antece-

antecedentis distinguenda est maior iuxta modo dicta.

Ad secundam constabit postea, à quo debeant produci illi ignes, vt à causa principali, interim respondetur, quod solum sint à calore, vel motu, siue attritione instrumentaliter.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod si accidẽs producat formã instrumentaliter non valet illa maior; quia idem calor in multis subiectis potest esse instrumentum ignis ad producendum ignem; vnde nunquam dici potest, quod producat ignem propria virtute.

Ad quartam respondeo dicendum, quod testimonium illud philosophi procedit de actione immediata, & de alteratione; alterat enim, & immediate agit ignis, non in quantum ignis, sed in quantum calidus; & si sermo sit de generatione substãtiali nõ negat philosophus, quod ignis generet ignem in quantum ignis. vt patet ex dictis, & maxime ex tex. 55 lib. 2. de generatione.

Art 5 Vtrum in causis secundis effectiuis principium producendi substantiam sint solae formae substantiales.

Decisum est substantiam de se esse actiuam, & per suam formam substantialem attingere formam, quae generatur. dubium est, an ità attingat, vt non concurrant accidentia, quae praeparant materiam, an potius verè etiam accidentia concurrãt cum ipsa substantia ad substantialem productionem, prima sententia est Scoti in 1. dist. 37. quaest. prima, & in 4. dist. 12 quaest. 3. Ocham in 2. quaest. 23. Du. ibidem dist. prima quaest. 4. & in 4. quaest. 2, Basolij, Baconis, & aliorum, Quia volũt productionem substantiae non effici nisi à substantia, ac proinde accidens neque propriaui, neque vt instrumentum substantiae attingere productionem substantiae.

Opposita sententia, quae vult accidentia in virtute substantiae attingere productionem substantiae, est D. Tho prima parte qu. 45. art. 8 ad secundum, & tertium, & quaest. 77. art. 1. & tertia parte quaest. 77. art 3. Alb. Mag in 2. dist. 12. art. 12. Caret lucis citat is Aegidij parte 2 examerum c. 11. Paludani in 4 dist. 12 quaest. 4. Zim. in theorem. propositione 122. Henrici quolibeto 14 quaest. 1. Ricardi, Ispalensis, & aliorũ, maxime qui sunt de schola S. Thomae.

Pro prima sententia sunt hae rationes. Prima. nihil potest agere supra suas vires, est principium de se manifestum; sed si accidens produceret substantiam ageret supra suas uires, certum est quoniam perfectius quid, & altioris gradus est substantia accidente; ergo accidens non potest attingere productiorem substantiae. Dices quod accidens attingit substantiam nõ propria vi; sed in virtute substantiae, ac proinde quod non agit supra suas vires; supra autem suas vires ageret si propria virtute efficeret substantiam; sed contra est; quia accidens producere substantiam in virtute substantiae vel est accidens accipere à substantia virtutem aliquam actiuam distinctam à se, per quã agit, & praeter quàm quod hoc gratis dicitur, recurrit difficultas; nam illa virtus non potest esse, nisi accidens, de quo iterum procedet argumentum; vel est accidens operari, vt quid substãtię, sed tunc vrgebit argumentũ, quod accidẽs agat supra suas vires; nam accidens esse quid substantiae est accidens esse accidens; quia accidens est entis ens, nimirum substantiae, sed accidens vt accidens est quid ignobilius substantia: ergo productionem substantiae non attinget, quin agat supra suas vires.

Secũda ratio. in generatione vniuoca forma rei genitae similis est formae generantis; sed forma rei genitę cum sit substantia, non potest esse similis accidẽti: ergo erit similis formae generantis: si ergo generatio est ab vniuoco, debet esse à forma substantiali generantis.

Tertia ratio. vel generatio formae substãtialis fit ab vno accidente tantum, puta in generatione ignis, vel forma ignis fit à solo calore, & hoc non, cum dicant auctores cõtrariae sententiae ab illo produci formam à quo praeparatur materia; materia autem nõ praeparatur à solo calore, sed etiam à siccitate, & alijs requisitis ad temperamentum ignis; vel fit ab omnibus, & hoc non; quia eadem actio nõ fit à pluribus diuersis principijs, & quadam illorum non sunt actiua. ergo.

Quarta ratio. nihil impedit, quin substantia sit immediatū principium suæ actionis, quia substantiam producit; ergo verè erit, ac proinde frustra huiusmodi productio tribuetur accidentibus; antecedēs probatur; quia talis productio non est supra dignitatem substantiæ, cùm tribuatur accidentibus; nec infra, cùm tribuatur Deo, & sit productio substantialis: ergo nihil impedit, quin substantia sit immediatum principium productionis substantiæ; vnde non est necesse ad hoc accersere instrumenta accidentalia. Pro contraria sententia.

Prima ratio firmissima est deducta ab experientia, à qua Physicum recedere in rebus physicis, non est parui inconuenientis; experientia autem apparet in multis; nam in terræ visceribus & aquis beneficio caloris externi, & aliarum qualitatum generantur metalla, generantur gemmæ, vniones, & sæpe viuentia, vt anguillæ ex putri vligine, ex Aristo. 6 de historia animalium c. 16. ranunculi, & alia huiusmodi animalcula; beneficio ignis elementaris excluduntur pulli, vnde fertur de potatore quodam syracusis, quod tam diu potabat, ouis sub storea in terra pósitis, donec ex ouis pulli excluderentur; ex medulla spinæ hominis, ex Plinio lib. 10 c. 66. generatur anguis, iu quibus generationibus cum assignari non possit aliud proprium productiuum præter accidentia, dicendum videtur accidentia si non propria virtute, certè virtūte substantiæ attingere productionem substantiæ.

Secunda ratio, multa in natura generantur per semina, vt omnia ferè viuentia; sed in seminibus non est forma viuentis: ergo generatio viuentis erit à virtute formatiua accidentali inclusa in semine: ergo accidens vt instrumentum substantiæ attingit productionem substantiæ.

Tertia ratio, potentiæ animæ cum sint accidentia, nec habeant vitam attingunt vt instrumenta animæ opera, quæ videntur ipsis multò perfectiora; ergo & reliqua accidentaria poterunt in virtute substantiæ attingere productionem substantiæ.

Confirmatur ex instrumentis rerum supernaturaliū, quę vt instrumēta Dei attingūt res spirituales, cum ipsa sint naturalia; ergo etiam accidens licet imperfectius substantia vt instrumentum substātiæ eius productionem attinget.

Pro solutione.

Notandum, quod præsentis difficultatis difficilis est decisio, hinc vrgentibus pro parte negatiua validis rationibus, illinc pugnante pro affirmatiua experientia. Considerandum igitur est, quod ordo rerum sublunarium poscebat, vt cum non possent ipsæ semper esse vt corruptibiles, possent suo incommodo prospicere producendo sibi similes; difficile autem erat, vt semper essent, donec sibi similes producerent, qua de causa D. O. illis prouidit, vt haberent aliquid vicarium sui, per quod præstarent, quod sæpe per se non possunt, huiusmodi autem sunt semina, nec nō accidentariæ, & actiuæ qualitates; nam omnia ferè legumina, & olera, vt singulis annis videmus, per sua semina reparantur; per semen animal generat animal, per suū calorē relictum ignis extinctus generat ignem; adde his cum sublunarem Mundum oporteret gubernari ab æthereo, hoc autem fieri non posset nisi per transmissas qualitates per lumen calorem &c. hæ debebant posse supplere præsentiā suarum causarum, ne sublunaris Mundus destitueretur tanto bono, atque ad eo præsidio necessario destitutus periret. Ad hæc ergo omnia cum necesse sit accidens vt instrumentum substantiæ attingere productionem substantiæ.

Dicendum est causas secundas per solas formas substantiales non attingere productionem substantiæ, sed etiam per accidentales, vt per sua instrumenta; patet conclusio ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur ex fine vniuersi, cōtra quem est denegare formis accidētalibus hanc virtutem; nam propter multas generationes necesse fuit vel accidens, vt virtutem substātiæ attingere productionē substantiæ, vel omnes illas generationes fieri immediatè à Deo; hoc autē secūdū videtur inconueniēs; quia nō satis prouidisset Deus causis secūdis, & suaui dispositioni vniuersi, quæ exigit vt generationes naturales habeant causas naturales, per quas fiant.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam, quæ magnam habet difficultatem respondeo dicendum, quod accidens duas habet actiones, vnam, per quam producit accidens, & ad hanc, non indiget propriè auxilio substantiæ. Vnde illam præstare

stare non dicitur in virtute substantiæ, alteram habet, qua attingit substantiam, & ad hanc indiget auxilio substantiæ, & eam solum exercet in virtute substantiæ; agere porro in virtute substantiæ est agere cum ipsa substantia, vel aliquo supplente causalitatem substantiæ; nam considerandum est, quod cum ignis generat ignem ex ligno, calor disponit lignum ad formam ignis, tum in instanti, quo lignum est dispositum, & debet generari forma ignis, concurrit cum ipso igne ad illam generationẽ vt instrumẽtũ, ità vt per se solum non possit illã formam generare, sicut nec cœtera instrumẽta posũt per se efficere id, ad qđ sunt instrumenta, nisi à principali agente ad id eleuentur; potest autem adiutus à forma ignis, cum qua agit; at cum deest principale agens, supplet locum eius primum agens, quod non est inconueniens; sed est naturale; rà supplet illum concursum secundũ exigẽtiam causarum secundarum, vnde illæ generationes non dicũtur miraculosæ, neque supernaturales, sed naturales; quia fiunt secũdum exigentiam causarum naturaliũ; quare sicut in cœteris entium generationibus naturaliter concurrit prima causa, ità & in istis; sed in istis, vbi non est causa secunda naturalis supplet ipsa concursum illius coagendo cum instrumento per maiorem concursum, quam ageret, si ad esset causa secunda principalis. ad argumentum ergo in forma negatur minor, & probatur responsio, quæ ibi refertur; ad refutationem dicẽdum, quod accidẽs agere in virtute substãtiæ duo dicit, vnum, quod principalis actiuitas sit à substantia, vel aliquo supplente causalitatem illius, secundum, quod accidens sit virtus substantiæ; nec accidens esse virtutem substantiæ præcisè est accidens esse accidens; nam licet omne accidens sit substantiæ, substantia tamen habet aliqua accidentia, vt proprias virtutes, per quas agat; alia habet vt dispositiones, per quas patitur: alia, per quas bene se habet in se &c. vnde accidens agere in virtute substantiæ est accidens esse tale accidens de sua natura ordinatum, vt potentiam, & facultatem substantiæ generatiuam ad concurrendum cum substantia ad generationes, easque præstandas in absentia substantiæ prima causa supplente defectum substantiæ, quæ non adest; nam non placet, quod accidentia producant substantiam sine concursu substantiæ, qui concursus non est aliqua qualitas intentionalis à substantia demissa in accidens, vt volunt quidam, quia talis virtus non esset nisi accidens, & non satis explicari potest, quæ virtus sit, & quomodo à substantia in accidens profluat, sed est accidens cum sua substantia, vt instrumentum cum causa principali constituere vnum adæquatum principium effectiuũ, non placet inquam, quod solum accidens producat substantiam; quia tunc euitari non videtur, quod imperfectius producat se perfectius, & agat supra suas vires; nec per hoc, quod dicatur, quod agit vt virtus substantiæ, tollitur difficultas, cũ hæc, nisi aliud addatur, sit mera denominatio.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod loquendo de causa principali, & non instrumentali conceditur totum, nam generationes dicuntur ab vnico ratione formæ substantialis, à qua vt à principali, & primario principio procedunt; cum quo tamen stat, vt ad illas concurrant accidentia, vt instrumenta.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod ad productionem substantiæ non concurrunt effectiuè oĩa accidentia quoquomodo requisita; sed illa tantum, quæ sunt virtus substantiæ, & potentiæ actiuæ, cœtera verò concurrunt solum ex parte materiæ illam debitè præparãdo; nec ex hoc sequitur, quod eadem actio sit à pluribus principijs; quoniam causa principalis, & ipsius instrumenta integrant vnum solum totale principiũ, à quo est actio; in cõueniens autem est, quod eadem actio sit à pluribus principijs, & nõ subordinatis; nam eadem tractio nauis est à duobus, vel pluribus trahentibus, qui faciũt vnum totale principiũ talis tractionis.

Ad quartam respondeo dicendum, quod à priori difficile constare potest, vtrum substantia sit de se immediatè actiua; à posteriori tamen variæ ipsius potentiæ actiuæ, etiam in ordine ad generationem substantialem, vt potentia generatiua, nutritiua, &c. ostendunt, quod substantia creata non est immediatè actiua, actione saltem transeunte; vnde ex signis, quæ habemus à posteriori colligi videtur illam doctrinã, quam habet Caiet. prima parte quest. 54. a.3. posse habere bonũ sensum, videlicet tripliciter posse rem aliquam esse principium produ-

productiuum actionis proximum scilicet, & non principale, principale, & non proximum, proximum, & principale simul, primum dicit infimum gradum actionis, qui conuenit instrumentis, secundum dicit gradum mediū, qui conuenit causis secundis principalibus, Tertium dicit supremum gradum, qui conuenit primo agenti; & sanè considerandum est, quod esse proximum, & principale principium agendi sine concursu alterius, à quo ad actionem excitetur, vel certè determinetur, dicit summam perfectionem, & esse principium agēdi per voluntatem, quod est solius Dei; vnde nullum ex alijs agētibus potest esse tale principium, sed omne indiget aliquo instrumento, & multo magis causæ secundæ physicæ, ac proinde dicendum est, quod agere immediatè in proposito, vt colligebat quarta ratio superat dignitatem substantiæ creatæ, & multo magis physicæ; quo autem sensu, & quomodo aliquando substantia sit immediatè actiua, dicetur postea.

Obijcies. quod accidens attingat productionem substantiæ, vel habet ex sua natura, vel aliunde, non primum; quia natura accidentis est inferioris gradus, quæ proinde si attingat productionem substantiæ aget supra suas vires; neque secundum; quia non apparet vnde illud habeat, nisi velimus recurrere ad voluntatem Dei, quod est sine fundamento; ergo accidens non concurrit ad productionem substantiæ.

Respondeo dicendum, quod certa genera accidentium, vt dictum est, illud habent ex sua natura, sicut ex sua natura habent. quod sint potentiæ generatiuæ, nutritiuæ, &c. & licet accidens comparatum ad substantiā sit inferioris gradus, ità tamen est inferioris gradus, vt aliquod accidens verè sit virtus substantiæ, ac proinde quod attingat productionem substantiæ non sit supra suas vires; esset quidem supra suas vires si attingeret per se vt agens principale, quare ad argumentum in forma conceditur primum, & nihil est, quod opponitur; quia non agit supra suas vires instrumentum attingendo illud, ad quod est instrumentum.

Obijcies secundo. sufficiunt accidentia solis, & aliorum producere substantiam in his inferioribus, vt patet de metallis, ergo male dictum est ad productionem substantiæ cū accidentibus concurrere substantiā.

Respondeo dicendum, vt iam dictum est, metalla non produci in visceribus terræ per solum calorem à cœlo, & astris demissum, quia productio superat ipsius vires; nec dicere sufficit, quod agat in virtute astrorum, & solis, nisi hoc explicetur, vt explicauimus; quia secus nihil addit hoc supra ipsum accidens, nisi denominationem extrinsecam, nec etiam dici potest, vt dicunt aliqui, quod generationes metallorum verè fiant, & non solum denominatiuè à sole, & astris, quod tanta sit virtus solis, & astrorū, vt etiamsi præsentia non sint, per se tamen agere possint in visceribus terræ, nam hoc omnino falsum esse videtur, quod, & ex eo probari potest, quod S. Paulus S. Dauid, & communiter Patres probant præsentiam Dei vbique ex operatione, D. enim Paulus in actis c. 17. ait. non enim longè est ab vno quoque nostrum, cuius sui dicti hanc reddit rationem; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, quæ ratio nulla est, si sit vera doctrina illorū, Dauid etiam Psalmo 138 ait, quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam; si ascendero in cælum illic es, si descēdere in infernum ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua; quæ consequutio nulla erit, contra veritatem catholicam, si valeat illa doctrina; dici enim poterit, quod ad vitam nostram, & cæteras actiones concurrat Deus, etiam si extremo cœlo contineatur, vel circa cardines cœli ambulet, vt dixerunt illi; quare metalla, vt dictum est, fiunt à virtute ab astris ad viscera terræ trāsmissa, supplente Deo causalitatem causæ secundæ principalis, quæ tamen generationes attribuuntur astris; quoniam illi iure meritò ascribitur generatio, cuius instrumentis perficitur; quia in eo casu causa prima determinatur ad agendum à causa secunda, per ipsius instrumenta, cuius causalitatem supplet secundum exigentiam naturæ; vnde actio non debet ascribi causæ primæ, sicut nec generatio hominis attribuitur Deo; Illud hic re diligētius perspecta addere placet poposcisse suauem vniuersi gubernationem, vt per accidentia, cum deest substantia, generationes substantiales fierent; etiam si non dicamus in illis primam causam exhibere maiorem aliquem concursum, quàm exhibeat ordinariè ad huiusmodi productionem;

ctionem; nam primo forma substantialis non videtur superare perfectionem influxus, quē tot causæ, plura scilicet accidentia materia prima, & causa prima exhibent in illa productione; vnde collectiuè huiusmodi concursus, etiamsi desit influxus formæ substantialis, censeri potest sufficiens ad producendam formam substantialem; nec tamen dicuntur accidentia agere supra suas vires; Quia in tali comitatu non possunt dici agere supra suas vires, cum partialiter tantum concurrant; nec dicas etiam accidens cum producit accidens ad talem productionem concurrere causam primam, & materiam etiam in suo ordine, ac proinde accidens cum concurrit ad productionem substantiæ agere supra suas vires, cum concurrat ad actionem maiorem ea qua concurrit ad accidens. Nam quando concurrit ad productionem substantiæ, primo quidem concurrit vt instrumentum, id est quatenus institutum est, vt virtus substantiæ ad agendum pro substantia: secundo verò concurrit cum cœteris accidentibus actiuis, quæ efficiunt sufficiens substantiæ producendæ temperamentum: Tertio in tali casu productio substantiæ est potius resultātia quædam, quàm directa actio; nam facto temperamento in materia necesse est in ea resultare formam, ad quam resultantiam etiam tum habere videntur accidentia temperamentum constituentia. Dices cum tot sint, quæ concurrunt ad vnam actionem, quid necesse est etiam cum adest substantia cum accidentibus ipsam concurrere?

Respondeo ex natura rei primo esse, vt productio substantiæ fit à substantia, in defectu autē huius, vt fit ab eius instrumentis, quæ loco ipsius agūt secūdo non debuisse ab Auctore naturæ denegari substantiæ illam perfectionem, quæ maxima est in ente, actiuitatem scilicet, & potestatem operandi, & tribui solis accidentibus, maximè cum accidentia sint propter substantiam, & agere etiam immediatè, idest per se ipsam, si aliud non obstet, non superet perfectionem substantiæ.

Art. 6. Vtrum substantiæ de se immediatè attingant productionem alicuius accidentis.

Decisum est, quod substantiæ physicæ cum agunt in extrinsecum, sunt principium actionum principale, sed nō immediatum; dubium nunc est vtrum vnquā contingat substantiam agere sine in extrinsecum, siue in intrinsecum sine aliquo instrumento accidentario affirmare suadent hæ rationes. Prima esse principium agēdi principale, & proximū excedit, vt dictum est, perfectionem substantiæ creatæ, & conuenit soli primo agenti, qui agit per voluntatem, & cuius est infinita perfectio: ergo nūquā substātia Physica est immediatè actiua.

Secunda ratio. si posset esse immediatè actiua, frustra illi data essent accidentia, per quę ageret; at hoc nemo dicet; ergo non est immediatè actiua.

Tertia ratio. virtus agendi in creatis est de prędicamento qualitatis; sed si substantia esset immediatè actiua esset etiam de prædicamento substantiæ: ergo non est immediatè actiua.

Quarta ratio. habemus ab experientia substātiam omnes suas actiones administrare interuentu alicuius instrumenti accidentarij. ergo dicendum non est, quod vnquam substantia sit immediatè actiua; probatur antecedens; nam de generationibus substātialibus iam dictum est, quod ad ipsas concurrunt accidentia; sed hoc multo clarius est de alterationibus, & alijs accidentarijs productionibus, ad quas vel omnino non concurrit substantia, vel certè parum: multo ergo minus eas poterit substantia per se immediatè efficere. Pro contraria sententia sunt hæ rationes.

Prima. Non videtur satis fundata illa doctrina de perfectione, quam arguit immediata actio in substantia; nam accidentia immediatè agunt, vt apparet de calore in aqua; neq; enim, cum aqua calefacta calefacit, calefactio potest pēdere à forma aquę, vel ab alia ipsius virtute, cum aquæ calor sit contrarius: erit ergo à solo calore; si ergo accidens potest immediatè agere, & agere immediatè non excedit perfectionem accidentis;

dentis; multo minus excedet perfectionem substantiæ. quæ maior est.

Secunda ratio, intellectiones, volitiones, & huiusmodi aliæ actiones per multos immediatè sunt ab anima, à qua per ipsos non distinguitur voluntas, & intellectus; ergo negari non potest; quod substantia creata, & Physica sit immediatè actiua.

Tertia ratio, aqua, ferrum, & alia huiusmodi, si remoueantur à naturali frigiditate, sibi eam reparant: ergo sunt immediatè actiua, patet consequentia, quia productio frigiditatis non est sine aliqua actione; antecedens patet experientia in aqua calefacta non solum hiemali tempore, sed etiam æstiuo, eadem experientia constat in ferro, & marmore calefacto, quod per se fit frigidum.

Pro solutione.

Notandum, quod ex duplici capite procedere possumus ad decidendam propositam difficultatē, vnum est à priori per rationes, alterum à posteriori per experientiam; à priori vix vllam certam rationem habemus, qua certo concludere possimus implicare in aliqua actione substantiam Physicam esse immediatè actiuam, nō solū ea immediatione, qua ponitur influxum procedere ab ipsa met substantia; sed etiam ea immediatione, qua excluditur concomitantia instrumenti; nam licet dicamus esse principiū immediatum, & principale actionis, cum actio est ad extrinsecum, vel agens non est ad illum omnino naturaliter determinatum, superare vim, & perfectionem causarum secundarum; tamen hoc non valet cum actio est ad intrinsecum, & ad illam substantia est omnino determinata vt ad complementum sui esse; vnde à posteriori in proposito per experientiam magis procedendum est ad decisionem controuersiæ, & videndum est, quid dici debeat de his, quæ secundo loco sunt allata in tertia ratione pro sententia affirmatiua, de aqua scilicet, quando se reducit ad pristinam frigiditatē, ex quo habebitur decisio quæstionis. Aliqui volunt aquam reduci ad suam pristinam frigiditatem media frigiditate quadam virtuali, quæ data sit aquæ, & cæteris corporibus naturalibus, vt possint se restituere ad suum statum naturalem, si quando ab eo dimoueantur: sed huiusmodi frigiditas virtualis videtur merè ficta gratis, cùm nullum sit principium, per quod colligi possit, & de se nulli sensui exposita sit; nam sensus in aqua non ostendit nobis nisi frigiditatem actualem; dicere autem quod detur huiusmodi frigiditas; quia videmus aquam se reducere ad pristinam frigiditatem, est petere principium: deinde de ista frigiditate virtuali fieri potest eadem quæstio à quonam reparetur si fortè amittatur (nam si datur frigiditas virtualis, dabitur virtualis caliditas, per quam corrumpi possit) Numquid fortè respondebitur, quod reparetur ab alia frigiditate virtuali? sed hoc modo daretur processus in infinitum; vel ergo sistendum est in ipsa substantia aquæ, quæ sit immediatè productiua alicuius accidentis, ac proinde frigiditatis illius, vel procedendum in infinitū; Alij vt Burleus, & Bucca ferreus 1. de gener. tex. 55 & lib. 2 tex 23 dicunt aquam reuocari ad primam frigiditatem ab aere, vel ab alio ambiente; sed contra est experientia, quod in æstate sub aere calido, & in vase calido nihilominus aqua, & vas reducūtur ad suam natiuam frigiditatem, quæ reductio, vt patet, non potest esse ab ambiente. Paulus Venetus, & Suessanus apud Bucaferreum volunt aquam condensare se ipsam, & ad condensationem sequi frigiditatem; sed contra est, quia ex 5. phys. tex. 15. condensatio sequitur frigiditatem, & rarefactio calorem. Auerroes 2. de anima com. 115. vult aquam infrigidari per euaporationem vaporum calidorum: contra tamen est, quod omnes partes aquæ sunt factæ calidæ, & tamen omnes ad pristinam frigiditatem reducuntur. Foroliuiensis putat aquam reduci ad primam frigiditatem à pluribus partibus aquæ, quæ remanserunt valde frigidæ, sed incredibile est in aqua maximè feruenti plurimas esse partes valde frigidas; cum, & ratio calefactionis id non ferat, & sensus, & experientia contrarium penitus conuincat; vera igitur videtur sententia cōmunis, quam tradit Auicena lib. primo suff c. 5. capte in 2. dis. 6. art. 3. Ægidius, Soto. Fonseca, & alij, Aquam per suam formam reparare sibi frigiditatem, quod idem dicendum de ferro candente, & alijs huiusmodi rebus, vt proinde necesse sit substantiam esse immediatum principium illius actionis, quæ à Philosophis communiter dicitur emanatio,

2. Phys.

quæ

quæ est naturalis sequela, & consecutio, per quam ex substantia procedunt ea, quæ sunt quasi ipsius complementum; nam in alijs actionibus substātia aliqua ex parte videtur indigere accidente, siue vt determinetur ad hanc potius actionem, quàm illā; siue vt coniungatur cum extrinseco requisito ad actionem; quæ duæ rationes maximè valent in potentijs animæ organicis; siue quia in certis actionibus superet perfectionem entis creati, quod propter potentialitatem, quam dicit, non potest se solo actu esse, esset enim actu & potentia, & per se esset sua obiecta, ac proinde esset actus purus habens scilicet primi gradus entis primam perfectionē, quod valet in potentijs animæ inorganicis, & in potentijs Angelorum, vt pluribus suis locis manifestabitur; siue alia talis ratio petita à natura entis creati postulet hanc compositionem ex virtutibus actiuis accidentalibus; ex quocumque tandem capite illud proueniat ad quæsitum tamen

Dicendum substantiam aliquando de se, & sine vllo instrumento attingere productionem accidentis; patet ex modo dictis. Confirmatur. accidentia respiciunt substantiam, vt causam finalem, & materialem, cū sint in substantia, & propter substantiam: ergo & illam respicient in genere causæ efficientis. patet consequentia; quia finis, & efficiens sunt connexa; præterea accidentia dicuntur de substantia saltem in communi accepta in secundo modo dicendi per se; ab ea ergo promanare debent.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod esse principium agendi per emanationem principale, & proximum non arguit illam perfectionem; quoniam id, quod fit est complementum substantiæ, & ad illud substantia est satis de se determinata.

Ad secundam patet ex dictis non esse illi data accidentia frustra; quoniam substantia non est immediatè actiua cuiuscūque actionis, & accidentia agunt in absentia substantia pro substantia.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod non quidquid est in prædicamento qualitatis est accidens Physicum cùm satis sit si sit de prædicamento accidētale, & Metaphysicum; quamquam dubium esse potest, vtrum substantia, vt agit per emanationem, sit pro priè in prædicamento actionis, & principium, per quod agit, vt sic, sit in prædicamēto qualitatis: quoniam secūdum aliquos nec emanatio illa propriè est actio, sed potius quædam resultantia, quam actio; nec principium, per quod agit, vt sic, est propriè virtus actiua.

Ad quartam quid dicendum sit patet ex dictis, experiētiam nimirū esse in cōtrariū.

Art. 7. Vtrum plures causæ efficientes diuisim possint producere eosdem numero effectus.

AFfirmat Scotus in 2. dist. 20. q. 2. & cum eo aliqui recentiores, negat autem D. Tho. quolib. 5. art. 8. Capr. in 2. dist. 20. q. 1. Aueroes 7. Met. com. 31. Soncinas 5. Meta. q. 6. Marsilius 1. de gen. q. 8. Ferrariensis 2. Phys. q. 4.

Pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. causa vniuoca potest in totam speciem: ergo idem effectus potest esse à pluribus efficientibus; probatur consequētia; quia si vna quæque causa vniuoca potest in totam speciem, cum plures sint causæ vniuocæ, vnaquæque poterit in omnes effectus eiusdem speciei: ergo si accipiatur vnus certus effectus puta ignis A poterit produci ab omnibus ignibus existentibus, dum ipse non est; quod autem causa uniuoca possit in totam speciem probatur sic; quia non est maior ratio, cur magis possit producere unum effectum, quam alium, quod sic vlterius probatur; quia si applicetur ignis A. ligno, illud cōburet; sed non minus combureret ignis B. uel alius, si applicetur; ergo eadem combustio est in potentia naturali plurium agentium; atque adeo plura agentia possunt in eosdem effectus naturaliter.

Secunda ratio, in isto statu nascerentur ijdē prædestinati, qui nati fuissent in statu innocentiæ; sed in statu innocentiæ nati fuissent ex alijs parentibus: ergo ijdē effectus naturaliter sūt à diuersis causis. patet cōsequētia; quia pro statu innocentiæ ijdem homines à Deo prædestinati futuri erant filij aliorum parentum ab his, quorum sunt in statu naturæ corruptæ; maior etiam clara est, quia sicut non possunt non esse futuri, qui sunt

futuri, ità non possunt, non acquirere, beatitudinem, qui prædestinati sunt ad illam; sed non possunt acquirere beatitudinē nisi prius nascantur: ergo nascentur omnes prædestinati; minor probatur; quia in statu innocentiæ nullus nasciturus erat ex patre præscito; quia in eo statu omnes erant prædestinati; præterea nullus poterat oriri ex adulterio, vel fornicatione; quia nulla futura erat in eo statu fornicatio, nullum adulterium: ergo omnes nascituri erant ex legitimis parentibus, atque adeo qui modo sunt ex adulterio, vel alio præscito, tunc erant futuri ex alio parente prædestinato.

Tertia ratio, possunt diuersa agentia numero conseruare eundem numero effectū: ergo & producere; patet consequentia; quia conseruatio est quædam continuata productio; antecedens probatur; quia si apponatur aliquod luminosum eiusdem omnino rationis in eo momēto, in quo amouetur aliud idem lumen conseruabitur à secundo luminoso, quod fuerat productum à primo; nam nulla est ratio, cur debeat corrumpi, & argumentum est à simili; idem enim calor, qui erat in aere, & conseruatur à forma aeris postquam aer mutatus est in ignem conseruatur à forma ignis: ergo & idem lumen conseruabitur à secundo luminoso; si ergo idem effectus conseruari potest à duabus diuersis causis disiunctim, poterit & produci. In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima à communi opinione, quæ in re sensata plurimum valet; omnes enim existimant diuersos esse effectus, qui sunt à causis diuersis, vel etiam ab eadem in diuerso tempore.

Secunda ratio, causa per se, quæ contradistinguitur à causa per accidens, est illa, à qua per se pendet effectus, seu cum qua habet necessariam connexionem, & dependentiam; vel ergo nulla est causa per se, quod est absurdum; vel certi effectus possunt esse solum à certis causis: non ergo plures causæ possunt in eosdem effectus.

Tertia ratio, vna species visibilis non potest esse nisi ab vno determinato obiecto: ergo & quicumque alius effectus non poterit esse nisi ab vna determinata causa; patet consequentia à paritate rationis; cur enim vnus determinatus calor possit esse à pluribus ignibus, & vna determinata species visibilis non possit esse à pluribus obiectis, puta species albi à pluribus albis?

Quarta ratio, certus effectus non potest esse nisi per talem determinatam actionem, sed talis determinata actio non potest esse nisi huius determinati agētis; quia hęc actio essentialiter dicit ordinem ad hoc agens: ergo nec effectus, &c.

Pro solutione.

Notandum, quod difficilis est decisio huius quæstionis, etiam ex illo capite, quod nos non cognoscimus indiuidua secundum suam præcisam rationem indiuiduationis; nam quod calor vt quatuor, qui hodie productus est in lapide à sole, non sit calor, qui erat heri vt quatuor ex intrinseca natura, & ratione caloris non cognoscimus; solum ergo colligimus ab extrinseco, à diuersitate temporis, loci, subiecti, agentis; sed sicut in eodē tpe possunt esse plura, non apparet ratio, cur eadem non possint esse in diuerso tempore, si attendatur tantum ipsum tempus extrinsecum; secundò, cum vna causa habeat nonnunquam æqualem virtutem quoad intentionem cum alia causa, nulla videtur assignari posse ratio, cur non habeat etiam æqualem quoad extensionem, ità vt si vna potest producere tales effectus, nō possit & altera. Adde quod ignis B. potest intendere calorem productum ab igne A. cur ergo si intendit secundum quatuor gradus posteriores, puta quintum, sextum, septimum, & octauum, non poterit producere secundum quatuor gradus priores? nam non minus quatuor gradus priores debent habere connexionem cum certis alijs quatuor gradibus, vt cum illis constituatur vnus totalis calor, quam habeant connexionem cum determinata, causa; sed tota latitudo caloris est à duabus causis secundum diuersos gradus; cur & non possit esse secundum eosdem? nam si primus ignis A. postquā produxit primos quatuor gradus caloris durasset, & fuissent cætera requisita produxisset etiam alios quatuor gradus, qui facerent vnam totalem qualitatem, vt certum est: ergo & si ignis B. primò applicatus fuisset passo, sicut produxit quatuor posteriores gradus caloris, produxisset & alios priores; quæ ostendunt eundem effectum posse esse à pluribus causis diuisim. Ex alia tamen parte videtur ingenita in omnium mentibus hæc opinio, quod diuersæ causæ diuersos effe-

effectus producant, vt proinde difficile sit decernere quid in hoc verum sit, & tenēdū; & primo certum mihi videtur non esse ex intrinseca natura huius causæ, quod producat hunc effectum potius, quam alium in eadem specie; nam hoc non potest esse ex principijs specificis; quia hæc sunt in alijs causis eiusdem rationis; neque etiam potest esse ex principijs indiuidualibus; quia cum semper in causa, vt supponimus, eadem sint, semper produceret eundem effectum; & contra etiam est de calore; qui idem numero est à diuersis causis; saltem secundum diuersos gradus, cum tamen non minus inconueniens sit, quod fieri possit vna numero qualitas per diuersos gradus, & quod diuersi gradus caloris possint esse in eodem numero subiecto, quam quod fiant à diuersis causis; nam si dicatur; quod quatuor posteriores gradus caloris, vt stemus in supra allato exemplo, qui producuntur ab igne B. intendente calorem productum ab A. fuissent etiam producti ab igne A. si durasset in actione; si inquam illud dicatur habemus, quod idem effectus possit esse à diuersis causis diuisim; si dicamus quod ignis A. produxisset alios quatuor gradus diuersos contra est; quia non minus videtur inconueniēs vnam numero qualitatem coalescere posse ex diuersis gradibus, vt dictum est, quàm eundem effectum diuisim esse à pluribus, & diuersis causis: cum ergo ex natura ipsa causarum, & effectuum habere non possimus decisionem controuersiæ, videndum est, an ex alio habere valeamus; dici fortè posset, quod idem effectus non possit esse à diuersis causis, quod prima causa diuersis causis, determinauerit diuersos effectus; sed hoc habet difficultatem non quia recurratur ad Deū, quasi philosophus Athens esse debeat, & inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta non conspiciantur; sed quia vel prima causa determinat gratis, vel iuxta exigentiam causarum; si dicatur primum, gratis dicitur; vnde enim manifestauit nobis Deus hanc suam voluntatem? si dicatur secundum, at hoc ipsum quæritur, quæ sit ratio cur causæ sibi determinent certos effectus, & effectus causas; cū vis actiua æqualis sit in multis; nam vt sæpius dictum est, hoc prouenire non potest à tempore extrinseco, in quo potest esse non magis vnus effectus, quàm alius; neque à loco, ob eandem causam; neque ab vlla alia extrinseca re; cū non sit maior ratio de vna re extrinseca, quàm de alia; neque etiam pro ratione afferri potest actio; primum quia ab eadem causa proueniunt plures actiones; sicut ergo ab igne A. prouenit actio, qua fit calor C. cur etiam prouenire non potest actio, qua fit calor D? & sicut calefactio, qua fit calor in aqua potest secundum partes esse à diuersis ignibus, cur non potest esse secundum easdem? & demum si accipiatur actio in sensu reali, eadem est difficultas de ipsa, quę est de effectu; forte ratio cur à diuersis causis esse debeant diuersi effectus est distinctio rerum vt vitetur confusio, & finis causarum, qui est agere, vt semper assimilent sibi de nouo aliquid, & finis vniuersi, qui cum obtineatur rebus sibi succedentibus, bonum ipsius est, quod ea, quæ erant in potentia, successiuè transeant ad actum, quas ob causas necesse est, vt diuersæ causæ habeant diuersos effectus: nam si vna quæque causa efficiat promiscuè, & indifferenter quemcumque effectum, sæpe accidet, vt idem effectus bis simul fiat in diuersis locis, vel etiam in eodem; si enim quicumque ignis potest facere quemcumque calorem, & quodcu[illegible]que subiectum aptum est illum recipere, demus quod hic in ligno ab igne fiat certus calor dictus A. cur idem calor non fiat in alio subiecto etiam hic? & cur etiam non fiat Romæ, & in Hispania in alijs subiectis? ex quo fiet magna entium perturbatio, & confusio, à quo maximè abhorret natura; idem enim erit in pluribus locis; corruptum re producetur, imò & producetur quod est, quod repugnat quam maximè; quia productio cum sit transitus à non esse ad esse, contra ipsius naturam est, quod producatur, quod est; nā quod est non potest transire à non esse ad esse; nec dici potest, quod transit à non esse ad esse hoc, vel illo loco, nā ea esset potius mutatio localis, quam vera productio; præterea hoc verè esset contra bonum vniuersi, quod perficitur quā maximè successiua entium, quę nondum fuerunt, generatione: tolleretur etiam finis peculiaris causarum, qui est assimilare sibi certa effecta, & suo loco illa in mundo relinquere; vnde generatio viuentis non esset origo viuentis à viuente ad sibi assimilandum prod[illegible]ctum; quia productum non magis diceretur referre vnum, quam aliud. quare

Dicendum naturaliter fieri non posse, vt idem effectus sit à duabus causis totalibus diuisim; dico naturaliter; quia supernaturaliter non video, cur id negari debeat, cum in hoc non sit vlla absoluta contradictio, patet hæc conclusio ex dictis; & confirmatur; quia prima causa, cui incumbit procurare bonum vniuersi, & efficere, ne vniuersum suo fine fraudetur, & tollantur ea, quæ sunt contra inclinationem totius vniuersi, & quæ ipsum perturbant, diuersis causis determinauit diuersos effectus, quòd determinauerit, ne quæratur vnde habeamus; habemus ex rationibus modo dictis desũptis à fine; quo supposito cũ causa secunda nõ possit agere, nisi vt subsit determinationi, & cooperationi primæ; causæ secundæ, vt sic, & vt causæ completæ, & proximè aptæ ad agendum non possunt diuisim producere eosdem effectus.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod causa vniuoca, si remotè consideretur, potest in totam speciẽ, semper tamen excipiẽdo saltem vage causam, à qua ipsa producta est, & se ipsam, ne idẽ sit prius, & posterius, &c. si verò consideretur vt completa & proximè apta ad agendum non potest nisi in eos effectus, quos ipsi primũ agens determinauit propter causas iam dictas; ad probationẽ antecedentis patet ex dictis esse maiorẽ rationẽ, cur hoc agẽs producat certũ effectũ, quam quod illud producat aliud agẽs; quia hoc, & illud agẽs nõ est proximũ & cõpletũ agẽs, sine cõcursu primi agẽtis, à quo illis determinati sunt diuersi effectus. Quare proxima causa cur diuersa agentia diuisim non possint in eundem effectum est determinatio primæ causæ; remota, sed principalis est bonum vniuersi; negatur igitur quod si eidẽ ligno applicatus fuisset alius ignis, quod fuisset eadem combustio, nisi in hoc sensu quod fuisset combustio eiusdem ligni, accipiendo tamen combustionem pro generatione ignis fuisset diuersa combustio; quia fuisset diuersus ignis productus; nec est vllum inconueniens, quod vnum & idẽ corrũpi possit per diuersas productiones; primo quia corruptio est per accidẽs, quàm proinde natura per se primo non intendit, vt dici debeat ipsam ad illam faciendã exigere determinatam causam; secundo quia patet experientia corrumpi viuentia diuersis generibus corruptionis; nam homo occiditur, & gladio, & morbo, & præfocatione &c. Quare argumentari non valet à corruptione ad productionẽ, quod sicut corruptio nõ habet certã causam, sed potest fieri à pluribus, ità possit fieri à pluribus eadem productio.

Ad secundã respõdeo dicẽdũ, quod aliud est loqui de effectibus, qui possunt esse à causis secundis in hoc ordine vniuersi, qui nunc est; aliud loqui de illis, qui potuissent esse in alio ordine; nam non implicat, quod qui nunc debent esse à certis causis in hoc ordine, in alio ordine futuri fuissent ab alijs causis; implicat autem, quod in hoc ordine possint esse ab alijs causis; quia hoc secundum infert in vniuerso confusionem, non primum; hoc secundum est contra bonum vniuersi, quod diuersis semper effectibus obtinetur, non primum: quare ex eo, quod futurum fuisset in statu innocentiæ nihil concludi potest contra conclusionem; quamquam pro statu innocentiæ nulli à Deo efficaciter prædestinati sunt; sed quicumque sunt prædestinati; pro isto statu prædestinati sunt ex meritis Christi; vnde nõ est necesse, esse prædestinatos pro isto statu, qui fuissent prædestinati pro statu innocentiæ.

Ad tertiã respondeo dicendũ, quod nouũ luminosũ naturaliter producet nouũ lumẽ, solisque si apponatur statim secundũ luminosum insensibiliter fiet corruptio primi luminis, & productio secundi; nec valet simile illud de calore aeris conseruato in igne; nam illa conseruatio non videtur influxus actualis ignis in calorem, cum calor semel productus non soleat illo modo conseruari; præterea dubium est etiam hic vtrum sit idem calor, cum multi putent in generatione dari resolutionem vsque ad materiam primam; & tertio, etiam si idem sit, cum tamen in igne iam sit, vt dispositio ignis est peculiaris ratio, cur dici possit cõseruari ab igne; ratio autem quare secundũ luminosum debeat habere nouum lumen iam dicta est, vnde negatur, quod non sit ratio, cur primum lumen debeat corrumpi.

Ad rationes secundæ partis quatenus videntur facere contra secundam partem nostræ conclusionis. Ad primam dicendũ, quod hoc non obstat, quin supernaturaliter possint duæ, vel plures causæ diuisim producere eosdem effectus.

Ad secundam respondeo dicẽdum, quod causa comparata ad vnum numero effectum (nam

(nā cōparata ad effectū in specie est alia ratio) dicitur causa per se; nō quia absolute ille effectus debeat esse ab illa causa, quasi cū eo habeat essentialem connexionē; sed quia esse debet secundum ordinem naturæ, seu secundum ordinem, qui modo est in natura.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod si sermo sit de speciebus in esse entitatiuo eadē ratio de illis est, & de cæteris effectibus; si verò sermo sit in esse repræsētatiuo ratio, cur vna species non possit ab alio esse obiecto, est, quia instituta est ad repræsentandum vnum numero determinatum obiectū, quæ distinctio vt intelligatur. Aduerēdū est, qđ eiusdē obiecti possunt esse plures species repræsentatiuæ, vt patet quotidiana experientia; nā diuersa specie repræsētatur hodie hic paries, ab ea, qua repræsentabatur heri; quia etiam diuersum est lumen, & tamen in esse repræsentatiuo hodierna, & externa species sunt vnum, & idem; unde de speciebus in esse entitatiuo est eadem ratio, ac de cæteris effectibus, saltem quoad determinationem à prima causa, vt hodie producatur diuersa species ab ea, quæ producta est heri, & quod magis producatur hæc, quam illa, quę potest esse ab eodem obiecto.

Ad quartam respondeo dicendū, quod certus effectus non potest esse nisi à certa determinata actione realiter, formaliter tamen & connotatiuè potest esse, si sermo sit absolutè, & per diuinam omnipotentiam; non potest autem naturaliter propter dicta. porro hæc actio non dicit essentialem ordinem ad hoc agens nisi formaliter, vt actio, & connotatiuè, cum res, quæ est actio talem ordinē non dicat, vt proinde nihil prohibeat, quin possit esse ab alio agente, si Deus ità iubeat.

Obijcies. nisi vnus quisque effectus determinet sibi certā causā ex sua intrinseca ratione, & causa effectū, effectus, qui sunt, vel qui corrupti sunt, erunt in potentia naturali, vt iterum producantur; ac proinde poterunt reproduci, quod est absurdum.

Respondeo dicendum, quod esse in potentia naturali causæ aliquid, vt producatur aliqua dicit ex parte causæ, aliqua ex parte effectus, aliqua ex parte extrinsecorum, ex parte extrinsecorum dicit, quod sit approximatio inter agens, & passum &c. & ex parte effectus dicit vt conditionem necessariam quod non sit; quia productio est transitus à non esse ad esse; quod non fuerit; quia idem bis esse est contra bonum vniuersi, quod perficitur multiplicatione entium; ex parte causæ dicit, quod habeat ad illum effectum paratum diuinum concursum naturalē, idest iuxta ordinem, quem Deus posuit in causis secundis iuxta exigentiam naturæ; quare etiam si causa remotè considerata sit in potentia ad omnes effectus vniuocos; non est tamen in potentia, idest proxime apta, ad illos causandos, quia desunt requisita ex parte sui, & ex parte effectuum.

Obijcies 2. si applicetur ignis ad comburendum certum lignum vel à Petro, vel à Paulo eundem effectum producit; cur enim debet producere diuersum ignem, si applicetur ab vno potius, quam ab alio? ergo & diuersi ignes si diuisim applicentur ad idem lignum eundem ignem producent.

Respondeo dicendum, quod diuersa est ratio de applicatione, & de productione; ad hoc enim vt applicetur causa ad agēdū certū effectū, non est necesse, vt sit determinata vna causa ità, vt id non possit alia; quia applicans est causa per accidens; at distinctio causarum, & effectuum, & mutua ipsarum dependētia ad vniuersum constituendum requirit, vt causæ per se determinatæ sint. Quare si applicentur ad idē lignum diuersi ignes producentur diuersi effectus, si applicetur idem ignis, siue applicetur ab vno, siue ab alio, vnum poterit ac eundem effectum producere.

Obijcies tertio, hic ignis determinatus nō potest producere ignem in specie. ergo determinatus est ad producendum ignem in indiuiduo. ergo determinatus est ex sua natura ad producendum hic & nunc hunc determinatum ignem; ac proinde vna quæque causa per se habet certos determinatos effectus, cum quibus habet connexionem ex sua intrinseca natura.

Respōdeo dicendū, quod quæcūque causa comparata ad effectū producēdū respicit indiuiduum, & particulare, sed indiuiduum indeterminatum, & vagum; nam quæcumque causa siue libera, siue non libera, siue prima, siue etiam secunda, si debet ponere à parte rei effectum, necesse est, vt illud ponat particularem, quia productio determinatur ad particulare, sed non est necesse quod ponat hunc potius, quam illum, sicut omnes determinati sumus ad videndum per aliquem oculum, sed non sumus determinati ad

ti ad

id ad videndum potius per dexterum, quam per finistrum, sed vel per hūc, vel illum, eodem modo omnis causa ex intrinseca natura causæ habet, quod causando debet causare determinatum effectum; non habet tamē, quod causet potius hunc, quàm illum, si nihil aliud addatur.

Art. 5. Vtrum plures causæ totales coniunctim possint producere eundem numero effectum.

SVnt duæ sententiæ vna affirmatiua, altera negatiua, quæ adhuc est duplex, altera, quæ negat simpliciter, altera, quæ negat solum naturaliter; simpliciter, negare videtur Scot in 3. dist. 1. q. 2. & in 2. d. 20. q. 2. idē cum eo sentiunt aliqui Thomistę apud Suar. disp. 26. sectione 4.

Secunda sententia affirmatiua est Ocham quolib. primo quæstione prima licet cōtrarium dixisse videatur in quarto. idem sentit Adam in primo dist. 2 q. vn. & alibi.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima. si duæ causæ totales coniunctim producerent eundem numero effectum, ab vtraque causa idem effectus essentialiter, & non essentialiter penderet; sed hoc implicat: ergo. maior probatur. effectum essentialiter pendere à causa est totum ab illa esse, & secundum omnem suam rationem: si ergo ab vtraque causa idem numero effectus totus esset, ab alterutra seorsim, & totus esset, & totus nō esset, quod est absurdū.

Secunda ratio, vna causa totalis producit totum effectum totali, & adæquata actione: ergo nihil habet alia causa totalis, quod producat; ergo nihil producit.

Tertia ratio, ad vnum effectum est vnus concursus diuinus; sed nulla causa agere potest sine concursu dicto: ergo si sint duæ causæ totales vna tantum aget, cui scilicet Deus exhibebit suum concursum.

Quarta ratio, non possunt esse duæ causæ totales eiusdem effectus nisi per duas totales actiones; sed vnius effectus non potest esse nisi vna actio productiua. ergo eiusdem effectus non possunt esse duæ causæ totales; probatur maior, quia vna quæq; causa est in actu secundo causans per suam actionem, vt supra determinatum est: ergo duæ distinctæ causæ erunt per duas distinctas actiones; sed ad eundem effectum non possunt esse duę totales actiones; quia actio identificatur cum effectu: ergo. Contrariam sententiam probant hæ rationes.

Prima. si applicentur duę causæ totales ad idem passum vtraq; habet virtutem actiuam: ergo vel vtraque aget, vel neutra; secundum dici non potest; quia ibi sunt omnia requisita ad actionem tam ex parte agētis, quam ex parte passi; ergo erit primum; Dices alterutram tantum acturam; sed contra est, quod non est maior ratio de vna, quàm de altera, & si vna non ageret esset otiosa, & sequeretur etiam, quod causa constituta in actu primo cùm omnibus requisitis nihil ageret; quæ sunt absurda.

Secunda ratio, possunt duo Angeli applicare suam virtutem motiuam ad mouendū idem mobile; ergo vterque mouebit. Dices vnum non applicaturum, si sciat, quod applicet alter; sed contra, quia possunt suam virtutem applicare, dum nescit alter de altero. Dices celerius mouendum mobile; cōtra determinet Deus, quod eadem solum velocitate moueatur, tunc idem effectus erit à duabus causis totalibus; sed si hoc determinet Deus, quid mutatum erit in duobus Angelis? certe nihil. ergo illud esse poterat naturaliter.

Tertia ratio, communis sententia Theologorum est, quod si duo sacerdotes, vel plures proferant verba consecrationis, vel baptismi ità, vt vterque eodem prorsus tempore ea finiat, vterque totaliter consecrat, vel baptizat: ergo eodem modo si duæ causæ totales applicentur ad eundem effectum eodem tempore illum totaliter ambæ producent.

Pro solutione.

Notandum, quod hic quæstio est de pluribus causis totalibus eiusdem omnino ordinis, idest, non est quæstio vtrum ad eundem effectum concurrant causa prima, & secunda, quarum vtraque dici potest causa totalis, quia vtraque in suo ordine totum effectum producit; neque vtrum ad eundē effectum concurrat aliqua causa vniuersalis, vt cælum, vel sol, & propria particularis; sed quæstio est de duabus causis particularibus, quarum vtraque sufficit ad totum effectum producendum, & verè totum producit

ducit per sufficientem virtutem in genere secundæ; nam si aliter produceret, concurreret solum vel vt causa partialis, vel vt instrumentalis, de quo non est præsens difficultas; difficultas igitur est quando vtraque habet sufficiētem virtutem in genere causæ secundæ ad totum effectum producendū; in quo casu considerandum est, quod illud, quod producere debent, vel suscipit intensionem, vel non; si suscipit intensionem; fiet maior intensio, & sic si concurrant duæ causæ totales ad producendum vnam qualitatem concurrent solum partialiter, & facient solum vnam causam totalem; quia licet vtraq; habeat sufficientem virtutem ad causandam vnam qualitatem, neutra tamen habet virtutem ad illam tàm velociter causandam, vnde citius illam causantes concurrent, vt causæ partiales; postquam autē illam causarunt, non possunt concurrere vt causæ totales; quia nihil amplius habent, quod faciant; & idem dicēdum erit de duabus causis respectu eiusdem motus; nam cū motus possit esse velocior, & velocior in infinitum, quantumcumque potentes sint causæ concurrent partialiter; quia coniunctim velocius mouebunt, quam mouissent disiunctim, & seorsim; at si effectus non suscipiat magis & minus considerandum est, quod vix naturaliter accidere potest vt possint applicari duæ causæ totales ad idē passum secundum eandem omnino partē; nam si applicentur secundum diuersas partes singulæ facient effectum in certa tātum parte, & sic singula habebit suum propriū effectū; euenire tamen posset, quod, verbi gratia, ad idem punctū fomitis, fieret æqualis reflexio luminis æquè intensi, & sufficientis comburere fomitē, in quo casu quæri pōt, à quo fieret ille ignis, ab altero ne tantum, an ab vtroque si ab vtroque idem effectus erit à duplici causa, si ab vno, contra est; quia non est ratio, cur alterum non agat; non videtur autem fieri ab vtroque partialiter; quia vtrumque sufficit per se seorsim; dici potest quod citiùs fieret combustio fomitis, ac proinde idem esset in hoc, quod dictum est euenire, quando effectus est diuisibilis, & suscipit magis, & minus, sed quoad productionem formæ substantialis ignis, est difficultas, præsertim si hæc non fiat à Deo, sed à lumine; probabilius tamen videtur, quod tunc forma ignis fiat ab vtraque reflexione concurrente partialiter; nam si vnquam naturaliter possent concurrere duæ causæ totales vt totales ad eundem effectum, id accideret, quādo duo luminosa æqualis virtutis sunt æqualiter applicata certo passo in diuerso situ; nam tunc cur non producāt eādem formam luminis, cum ad lumen vtraque causa habeat sufficientem virtutem? & tamen docet experientia, quod vel producantur duæ distinctæ formæ luminis, vt dicunt perspectiui, vel vna magis intensa; ex quo signo à posteriori colligi posse videtur, quod natura non admittit, quod idem effectus totaliter fit à duabus causis totalibus. Quare.

Dicendum non posse naturaliter eundem effectum totaliter produci à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, posse tamen supernaturaliter; prima pars cōclusionis probatur illa experientia de lumine, & quia nō satis distinctæ essent causæ, & effectus, nec satis consultum mutuæ dependentiæ, & subordinationi, quæ debet esse in rebus naturalibus, si vna res totaliter dependeret à duabus causis totalibus; præter quam quod natura videtur potius cessare ab actione, quam frustra agere; in eo autem casu si vtraque causa ageret, vna frustra ageret, nec dicas, quod si non ageret, esset frustra eius virtus actiua, nam non est frustra virtus actiua, quæ semper non operatur; secus enim omnes ferè virtutes actiuæ naturales essent frustra; sed frustra est virtus actiua, quæ nunquam potest operari. Confirmatur ex Arist. 5. Met. c. 2. vbi ait, accidit multas quoque eiusdem, non secundum accidens, causas esse, vt statuæ ars statuaria, & ipsum æs, tum addit, non tamen eodem modo, quibus ostēdit non posse esse duas causam eiusdem rei in eodem prorsus ordine.

Secunda pars conclusionis probatur illa ratione communi, non implicat contradictionem duas causas totales efficere eundē numero effectum. ergo possunt efficere per diuinam Operam, quæ enim contradictio est, si vnus effectus totalis sit à duabus causis? neque enim essentialiter pendebit, & non pendebit; sed ab vtraque causa totus pendebit, à neutra non pendebit, & tamen Deo denegari non debent nisi, quæ apertam implicant contradictionem, vel saltem apertè contradictionem dicunt consecutiuè; verissimum enim est illud

Apost. de Deo, quod potest facere supra id, quod cogitare possumus, & per hæc patet ad primam rationem primæ sententiæ, quæ videtur absolute probare non posse esse neque per diuinam omnipotentiam duas causas totales eiusdem numero effectus.

Secunda ratio stando in sola natura bene procedit; quia natura cum abhorreat superfluitatem; si effectus fiat vna totali actione in ordine causæ secundæ ab vna causa, non patitur fieri ab alia causa; non valet tamen si sermo sit de eo, quod potest esse supernaturaliter. Dices implicare, quod vnus effectus fiat duplici totali actione, cum secundum valde communem sententiam effectus sit idem re cum actione. Respondeo, quod si sermo sit de actione in sensu reali implicat certè, quod vnus numero fiat effectus duplici actione; at si sermo sit in sensu formali non implicat; nam non maior est difficultas, quod effectus vnus fiat per duas actiones formaliter, quàm quod fiat à duabus causis; fieri enim effectum per duplicem actionem est vi, & virtute duarum causarum poni in esse; & sicut certum est omnem effectum fieri duplici actione formaliter pro vt fit à causa prima, & secunda, & tamen esse vnum effectum, & vnam actionem realiter; itá non maior debet esse difficultas de actione, quando fit à duabus causis totalibus. Dices tunc effectum non fieri duplici actione totali, nec verè esse duas actiones, sed vnam: sed contra est; quia si per actionem totalem accipiatur actio, qua fiat totus effectus, tunc effectus fit duplici actione totali, quia iam à causa prima, quà à secunda est totus effectus in suo ordine; si verò accipiatur per actionem totalem influxus, qui excludat alium influxum in actu secundo, verè nunquam effectus fit per duplicem actionem totalem; si verò dicatur, quod sunt influxus diuersorum ordinum, hoc quidem verum est; sed hoc solum probat non debere fieri effectum vnum naturaliter à duabus causis totalibus; non probat tamen non posse fieri supernaturaliter; & ex his patet quid dicendum sit ad tertiam & quartam rationem, pro vt facere possunt difficultatem contra conclusionem.

Ad rationes secundæ sententiæ. Ad primam respondeo, quod naturaliter vix vnquam possunt applicari duæ causæ totales ad eundem effectum, quin agant vel secundum diuersas partes, vel coalescant in vnã causam totalem, quæ citiùs, & fortiùs agat; si tamen ponamus casum tunc dicendum erit alteram non agere, quæ tardius scilicet applicabitur; quod si eodem prorsus momento temporis applicentur, illa solum aget, quam determinabit causa prima, ad quam spectat determinatio indeterminatorum, vt dictum est supra.

Ad secundam Respondeo dicendum, quod mobile in illo casu mouebitur velociori motu, tam si vnus Angelus sciat de altero, quam si nesciat, nam quod sciat, vel nesciat alterum mouere est impertinens; ad instantiam dicendum, quod si Deus determinet mobile moueri ab vtroque Angelo eodem prorsus motu, iam nõ est quæstio de eo; quod fieri debet naturaliter; sed quæstio procedit supernaturaliter. ad illud, quod quæritur, quid sit mutatum in Angelis, si Deus hoc velit, dico, quod in Angelis secundum se nihil est mutatum, in Angelis tamen vt sunt causæ motus, facta est illa mutatio, quæ fit in re aliqua quando assumitur à Deo, ad aliquid præstandum; sicut enim propter omnimodum subordinationem res illa sine vlla noua entitate fit virtus actiua talis, vel talis effectus, prout vult voluntas diuina; itá & Angeli in tali casu redduntur causæ totales eiusdem prorsus effectus per suas virtutes motiuas; quia Deus vult.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod duo Sacerdotes consecrant, & baptizant vt instrumenta Dei; quod autem aliquis ordinet plura instrumenta, etiam coniunctim ad eundem effectum, non est inconueniens; inconueniens autem est in ordine naturali duas causas eiusdem ordinis, & totales cõiunctim causare eundem effectum, sicut incõueniens est, quod in eodem regno plures sint reges. non quod sint plures ministri pro eodem munere.

Obijcies. à duplici voluntate efficaci est vna actio extrinseca; ergo vnus effectus est à duplici causa totali. patet consequentia; antecedẽs probatur, sit aliquis, qui efficaciter velit ire Romam, & propter visenda limina Apostolorum, & propter conficiendum negotium, iter Romam est à duplici illa voluntate, vt à duplici causa totali eiusdem ordinis; quia vtraque voluntas est efficax; ergo.

Respon-

Respondeo dicendum, quod non est absurdum, eundem effectum esse à duplici causa totali dirigente vel mouente per imperium; sed quod absurdum esset, si fieret à duplici causa totali elicitiuè, vt absurdū esset, si motus ille esset à duplici potentia motiua adæquatè, & totaliter causando motum; adde quod illa volūtas propriè mouet, quæ est immediata effectui, alia mouisset quidē, sed non mouet, si proxima effectui sit altera; quod si eodem actu intenderetur duplex ille finis vna esset causa mouens totalis, duplex partialis.

Obijcies. natura magis abhorret effectum monstrosum, quam superfluum; sed natura patitur effectum monstrosum, quotiescumq; concurrentia causarum illum exigit, vt docet experientia: Ergo.

Respondeo dicendum, quod natura dum concurrentia causarum exigit, non solum non abhorret effectum monstrosum, sed illud vult; quia natura intendit efficere perfectum quantum potest; maius autem quid est efficere monstrum, quam nihil; præsertim cum etiam monstra ornent vniuersū, vt dicetur infra; at efficere bis simul, & semel eundem eff. ctum abhorret natura, vt ad nihil vtile, & prorsus ineptum.

Obijcies tertio. idem effectus simul cōseruatur à pluribus causis totalibus; ergo & potest produci; patet consequentia; quia non est maior difficultas de productione quàm de conseruatione; & conseruatio est quædā continuata productio; antecedēs probatur, si sint tres ignes duo extremi conseruant medium: Ergo.

Respondeo dicendum, quod illa conseruatio primum esset secundum diuersas partes; secundo quod est conseruatio indirecta, quatenus scilicet extremi ignes remouēt extrinseca corrumpentia; valeret autem ratio si esset directa conseruatio per influxum; quare negatur antecedēs, si sermo sit de propria, & directa conseruatione.

Obijcies quarto contra secundā partē cōclusionis, si supernaturaliter duæ causæ naturales producerent eundē effectum; vel esset duo diuersi concursus; vel vnus; neutrum dici potest: ergo duæ causæ totales supernaturaliter non possunt producere eundem effectum, probatur minor; non esset vnus; quia Deus concurreret cum duabus causis totalibus, non essent duo, quia est vnus effectus,

Respondeo dicendū quòd si per concursum Dei acipiamus ipsam virtutem diuinā intransitiue quod in illo casu est vnus concursus Dei, sed duplex eminenter; nàm virtus diuina quatenus cooperatur cum vna causa totali, non cooperatur cum alia; sed perinde est ac si altera non esset, si per concursum diuinū accipiamus virtutē diuinam trāsitiue .i. pro ipsis causis secundis, vt valentibus efficere effectum per auxilium Dei sibi assistens, tunc est duplex concursus Dei in se proprie & formaliter; sed vnus penes causatum.

QVAESTIO SEXTA de instrumento.

AD perfectam efficientis cognitionem agi debet de instrumento; quoniam instrumentum ponitur sub efficiente vt quod ad hoc genus causæ reducitur: de instrumēto porrò postquam hoc demonstratum fuerit, eius natura, modusque causandi aperiendus erit.

Art. 1. Vtrum instrumentum pertineat ad causam efficientem.

COmmunis sententia est quod pertineat contra Platonem, & Philoponum secundo Phys. tex. 27. In contrarium sunt hæ rationes.

Prima dispositiones pertinēt ad causā materialē, vt videtur dictū superius, sed dispositiones sunt instrumentū: Ergo instrumentū non pertinet ad causam efficientem.

Secunda ratio. Medicina vt cuius gratia missionis ad Pharmacopolam, est instrumentum in genere causæ finalis; nam causat solum talem missionem in virtute sanitatis; si enim non esset sanitas, medicina non moueret, vt serra sine motus artificis non causaret; ergo instrumentum non pertinet ad causam efficientem, sed finalem.

Tertia ratio, semē cōcurrit ad animal cōstituendum in genere causæ materialis; sed semen est instrumentum: ergo instrumentū pertinet ad causam materialem.

Quarta rō, in motu alterationis, & generationis agēs p se effectiuè expellit formā for

ma autẽ introducta ab agente expellit aliã formã solũ formaliter ratione incõpossibilitatis, quam habet cũ illa: ergo eodem modo in motu locali agens, quod mouet instrumẽtum, per illud expellit corpus effectiuè, ipsum autem Instrumentum non nisi formaliter ratione suæ incompossibilitatis in eodẽ loco idem corpus ab eodem loco expellet: ergo instrumentum pertinebit ad genus causæ formalis, non effectiuæ.

Quinta ratio, malleus v.g. in se non habet nisi talem grauitatẽ, & rotunditatem, quarũ nulla est actiua: ergo instrumentum nullam habet actiuitatem; ac proinde ad genus causæ efficientis non pertinet. Pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima communis notio, quæ habetur de instrumento, est, quod sit illud, quod agit in virtute principalis agentis, vel cum principali agente; sed quod agit pertinet ad genus causæ efficientis; ergo.

Secũda ratio ex inductione, virtutes actiuæ, accidentales potentiæ, & alia huiusmodi dicuntur instrumenta substantiæ. ergo instrumentum pertinet ad genus causæ efficientis.

Tertia ratio, illud pertinet ad genus causæ agentis, cui attribuitur actio; sed instrumẽto attribuitur actio: ergo instrumentum pertinet ad genus causæ efficientis.

Pro solutione.

Notandum, quod instrumentum, si latè accipiatur pro omni eo, quod inseruit causæ principali ad aliquid præstandum in suo ordine, non potest reuocari ad solum genus causæ efficientis; nam considerandũ est, quod primo dispositiones in subiecto, quatenus disponunt subiectum ad formam substantialem, sunt aliquid ipsius subiecti, ac proinde idem genus causandi secundariò cum ipso habent; vnde pertinebunt, vt sic, ad genus causæ materialis; quod idem dici potest de certis partibus in animali adaptatis ad deferendum alimentum, vel excrementum; quatenus scilicet ab ipsis non est vis attrahendi, vel expellendi; sed tantum passiuè se habent ad deferendum; nam & partes sunt, in quibus vis attractiua, vel expulsiua est. &c. secundo instrumenta artificialia, quatenus per incõpossibilitatẽ, quam habent cum partibus corporum, quibus applicantur, vt in illa inducant formas artis, & in illis faciant diuersas figuras, quæ sunt formæ artificiales, pertinere videntur ad genus causæ formalis, quoniam dictas formas efficiunt non solum per impulsum, quod est principale; sed per incompossibilitatem formalem, quam habent cum partibus artificiati in eodem loco; ex eo enim, quod dentes serræ per motæ à virtute motiua artificis expellunt à proprijs locis partes ligni, in quæ loca ipsi subeunt, faciunt in ligno diuersas figuras; quod idem proportionaliter dici debet de scalpello, & alijs instrumẽtis artificialibus; quatenus ergo dictas figuras faciunt; ex eo quod per introductionem suarum partium expellunt partes artificiati à certis locis, in quibus simul esse non possunt propter incõpossibilitatem penetrationis, procul dubio vt sic reduci possunt ad genus causæ formalis; nam illud, quod se ipso immediatè tollit aliud, tollit per modum formæ, vt accidit in aqua cum calefit; calor enim productus in aqua se ipso tollit ab aqua frigus; quare si latè sumatur instrumentum & pro omni eo, quod cum sit quid alterius, vel pro alio causans concurrit ad aliquem effectum, siue naturalem, siue artificialem, instrumentum nõ potest ad solam causam efficientem reuocari, sed ad omnia genera causarum pertinebit efficientem, materialem, formalem, & finalem; nam aliqua aliquando sunt id, cuius gratia, cum tamen non sint cuius gratia de se præcisè, & prĩcipaliter; sed propter aliud; vt iter serui ad Pharmacopolam est gratia medicinæ, cum tamen medicina de se non sit cuius gratia, sed solum in virtute sanitatis causet illud iter; si enim non esset sanitas nõ iret seruus ad accipiendam medicinam; latè ergo sumendo instrumentum reperiri potest in omni genere causæ; propriè tamen pertinet ad genus causæ efficientis, vt supra dictũ est; nam & communiter per instrumentum intelligimus aliquod secundarium efficiens, & instrumenta causæ materialis potius appellamus dispositiones, instrumentum, quod dicebamus reuocari ad causam formalem; quoniam propter incompossibilitatem sui cum alio causat, impropriè dicitur causa formalis, cum nullo modo forma sit, sed in causando habeat tantum remotam quandam similitudinem cum causa formali; instrumentum causæ finalis, vel dicitur effectus finis, vel finis intermedius. Quare.

Dicendum instrumentum propriè sumptũ pertinet ad causam efficientem, latius verò acce-

accepti reperiri potest in alijs etiam causis. patet conclusio ex modo dictis, & eam solũ probant rationes factæ pro vtraque sententia.

Obijcies. in instrumentis artis formæ artificiales immediatè fiunt ab ipsis, quatenus dicunt incompossibilitatem cum partibus rei artificiatæ; ergo magis propriè pertinent ad causam formalem, quàm efficientem; patet consequentia; quia ille modus causandi, vt dictum est, reuocatur ad causam formalem; præterea si talia instrumenta dici debent verè agere, vel ratione alicuius qualitatis, quã in se habeant, vel ratione motus accepti ab artifice; non primum; quia nulla qualitas illorum secundum quã ad artificiatum cõcurrunt, est actiua, durities, acies, acumen &c. actiua non sunt; non secundum, quia motus non est actiuus, vt patet, & melius constabit inferius: ergo ad solum genus causæ formalis reuocari poterunt.

Respondeo dicendum, quod instrumenta artium dicuntur agere, & concurrere effectiuè, quatenus mota ab Artifice per suum acumen penetrant, vel per impulsum causant talem motũ in partibus artificiati, ad quẽ necesse est sequi figurã ab arte intenta; vnde dicta instrumenta vtrumque modum causandi habent, illum, quem reduximus ad causam formalem, & quem dicimus pertinere ad causam efficientem, magis autem hunc secundum; quia hic magis per se cõcurrit ad artificiati formam, cũ primũ quasi videatur conditio huius secundi; nam durities, & impenetrabilitas instrumẽti cum artificiato inseruit, vt instrumentum possit facere impulsum & discontinuationem in partibus artificiati, ad quæ sequitur forma artificialis; ad illud vero, quod dicitur, quod si instrumentũ effectiuè concurrit, id debet præstare per aliquam qualitatem, quam in se habeat. Respõdeo dicendum, quod si sermo sit de instrumentis artis, hæc non est necesse agere per qualitatem, quam in se habeant, sed magis quam accipiant à principali agente, nimirũ ab artifice; hæc autem est vis actiua, & motus, per quæ instrumentum facit impulsum, & motum in partibus artificiati, & illas discontinuat, ad quam discontinuationem, & motum figuram artificialem sequi necesse est.

Art. 2. Vtrum instrumentum sit illud quod tanquam aliquid alterius concurrit ad efficiendum aliquid.

De Natura instrumenti multiplices sunt sententiæ, nam aliqui dicunt instrumentum esse illud, quod non attingit immediatè effectum, seu formam; sed aliquid illi proximum, ex quo talis forma resultat; alij volunt instrumentum esse illud, quod aliena virtute influit in effectum; alij quod influit per virtutem non sufficientem; alij quod solum agit vt motum ab alio; alij dicunt instrumentum esse illud, quod habens naturalem virtutem ad agendum eleuatur ad efficiendum effectum se nobiliorem, seu vltra mensuram propriæ perfectionis; definiunt etiam instrumentum id, quo agens vtitur, seu id, quod agens assumit ad aliquid efficiẽdũ, ad quod non potest pertingere per se; nobis videtur aptior pro omnibus instrumentis efficientis huiusmodi definitio, instrumentum est id, quod concurrit tanquam aliquid alterius, ad efficiendum aliquid.

Pro qua definitione sunt hæ rationes. Prima. dicta definitio conuenit tam instrumentis naturalibus, quàm artificialibus, & etiã moralibus, & tam coniunctis cum principali agente, quàm separatis: ergo est bona.

Secunda ratio. Dicta definitio exprimit id, in quo consistit propria ratio instrumenti: ergo est bona; nam perpetuum est in instrumentis, vt tanquam aliquid alterius concurrant ad effectum, siue talis effectus excedens sit, & superet vires instrumenti, siue nõ superet; nam in moralibus cum aliquid fit etiam viribus facientis proportionatum, & fit à causa, quæ operatur tanquam aliquid alterius, huiusmodi causa dicitur instrumentum illius, cuius nomine, siue imperio, siue intuitu operatur, vt proinde nihil magis proprium sit instrumenti, quam operari tanquã aliquid alterius, cui effectus attribui solet, tanquã causæ principali. Pro solutione.

Notandum, quod tanto melior erit definitio, quanto erit pro re definita adæquatior, & rem melius exprimens cum debita perspicuitate ad definitionem requisita. Consi-

derandum igitur est, quod si definiamus instrumentum cum primis præallegatis. Instrumentum est illud, quod non attingit immediatè effectum; definitio non potest esse omnibus instrumentis communis; nam de instrumentis naturalibus loquendo cur potentiæ animalium & viuentium non attingant immediatè id, ad quod institutæ sunt, vt instrumentum, quod si illius particulæ, immediate, sensus sit, non quod ipsum instrumentum de se effectum non attingat, sed quod debet attingere cum ipso concurrente principali agente; neque hoc verum est; nam semen oleris demortui efficit olus, ad quod non potest concurrere principale agens, cum tunc non sit, quod idem euenit in multis alijs rebus, falsa etiam erit in primo sensu definitio in instrumentis supernaturalibus; nam sacramenta; quæ sunt instrumenta, attingunt per multos productionem gratiæ immediatè, nec videtur probanda definitio aliorum, instrumentum esse, quod aliena virtute influit in effectum; nam cum calor producit ignem, quomodo influit in ignem aliena virtute, quod si dicas influere in ignem, vt est virtus alicuius ignis, verum quidem dicis; sed tunc propriè calor non dicitur producere ignem per alienam virtutem, sed per se vt est virtus alterius, quod explicatum est in nostra definitione per particulam illam, vt quid alterius; nec bona videtur definitio illa, instrumentum est, quod influit in effectum per virtutem non sufficientem; nam si sermo sit de sufficientia omnimoda, neque causa principalis secunda influit per virtutem sufficientem; quoniam ipsius virtus non est sufficiens ad effectum producendum, nisi concurrat causa prima; si sermo sit de sufficientia in suo ordine, instrumentum concurrit per virtutem sufficientem; quod si dicatur instrumentum non concurrere per virtutem sufficientem in genere causæ secundæ simpliciter, tunc nec vera quidem erit vniuersaliter definitio; nam in moralibus potest seruus habere sufficientem virtutem ad actum, quem præstat, & tamen, esse instrumentum Domini; quia illum facit loco domini; præterquam quod accomodari potest illa definitio causæ partiali; nam cum vnus cum alio trahit nauem, influit in effectum per virtutem non sufficientem; nec tamen est instrumentum; minus etiam probatur illa definitio; instrumentum est, quod habens naturalem virtutem ad agendum eleuatur ad efficiendum effectum nobiliorem se, seu vltra mensuram propriæ perfectionis; quia multa verba in ea redundare videntur, nec verum habere sensum; nam impertinens videtur ad rationem instrumenti, si in tota sua latitudine sumatur, quod id, quod dicitur instrumentum, habeat naturalem virtutem ad agendum; nec est necesse effectum instrumenti esse nobiliorem ipso, sicut dictum est; aliæ duæ definitiones, etiam ipsæ in eo peccant, quod videntur conuenire solis instrumentis coniunctis, cum quibus actu agit principale agens, nec adhuc omnibus; sed si instrumentum definiamus id, quod concurrit ad efficiendum aliquid tanquam aliquid alterius, videtur bona definitio, primo quia cum sermo sit de instrumento proprio, & in genere causæ efficientis, debet vt sic necessariò concurrere ad efficiendum aliquid; quoniam autem illud semper ab instrumento fit operante loco alterius, siue pro principali agente; idcirco semper instrumentum concurrit ad effectum, tanquam aliquid alterius; siue tanquam virtus alterius: si enim faciat siue in naturalibus, siue in moralibus illud, quod facit instrumentum, præscindendo respectum ad alterum, siue ad causam principalem, iam in tali actu non potest dici instrumentum. Quia non saluatur in eo, quod est de intrinseco conceptu instrumenti, & quod semper in omni instrumento reperitur, & sine quo instrumentum non potest sufficienter distingui à causis, quæ in causando non habent rationem instrumenti; nam quoties causa aliquid causat, & nō tanquam aliquid alterius, siue totaliter causet, siue causet partialiter, in tali actu instrumentum non est, sed vel causa totalis; vel partialis, non instrumentalis, sed principalis in suo ordine, vt proinde instrumentum non sit si pro altero non agit, siue deinde agat per virtutem sufficientem, & effectum adæquatam, siue per insufficientem, & inadæquatam; ex quo etiam est, vt

actu

actus instrumentorum tam in moralibus, quàm in naturalibus non tàm ipsis instrumentis attribuatur, quàm causis principalibus; vnde in definitione addi posset tanquam aliquid alterius, cui effectus attribuitur. Quare.

Dicendum bene definiri instrumentum esse illud, quod tanquam virtus alterius, vel tanquam aliquid alterius in ipso met actu causandi concurrit ad effectum ponendum in esse, patet conclusio ex dictis, & confirmatur inductione; nam instrumenta supernaturalia concurrunt ad causandum effectum aliquem supernaturalem, vt instrumenta Dei illa assumentis ad talem effectum: artificialia concurrunt ad efficiendum aliquid artificiale, tanquam aliquid artificis eis vtentis ad tale opus; moralia quidquid præstant, pro illo præstant, cuius censentur esse instrumenta: naturalia agunt pro suis causis principalibus, quibus proinde magis, quam instrumentis, attribuuntur effectus; quod autem instrumenta attingant aliquid supra suas vires; vel agant cum principali agente, vel moueantur à principali agente, & cœtera huiusmodi non pertinent ad rationem instrumenti, vt sic, sed ad certa genera instrumentorum; solum de ratione instrumenti est, quod ad effectum concurrat vt virtus alterius, siue tanquam aliquid alterius, nec tamen ex hoc dici poterit formas substantiales esse instrumenta suppositorum, quandoquidem illorum virtutes dici posse videntur; nam & si forma ignis est aliquid ignis; Quia tamen nec in esse constituitur ignis, nec in ratione causæ sine illa, ideo respectu ignis nullo modo forma ignis poterit dici instrumentum; nam instrumentum dici debet de aliquo cōstituto, siue quod acceptum in ratione sua iam censetur constitutum; etiam si fortè non agat, vel non possit agere, nisi per instrumentum.

Obijcies. nonnunquam effectus instrumentorum attribuuntur ipsis solis instrumentis: ergo male significatum est attribui principalibus agentibus, & instrumenta causare vt aliquid ipsorum; antecedens probatur; nam sacerdos, qui in consecrando, & baptizando est minister Dei, dicitur simpliciter baptizare, & consecrare: ergo. Respondeo dicendum, quod in illis effectibus possunt duo considerari, vnum est externa actio baptizationis, & consecrationis, alterum est remissio peccati, productio gratiæ, & transubstantiatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini; ratione primi dicitur sacerdos simpliciter baptizare, & consecrare, non ratione secundi; sicut etiam de serra dicitur, quod scindit, nec tamen dicetur, quod efficit scamnum; quare semper effectus principalis, siue completus, qui fit per instrumentum ascribitur principali agenti.

Art. 3. Vtrum sint plura genera instrumentorum.

Non videntur esse, quia nisi sermo sit de instrumentis cæterarum causarum ab efficiente, quæ non ità propriè diximus esse instrumenta, omnia instrumenta sunt vnius generis, nempe efficientis: non ergo sunt plura genera instrumentorum.

Pro solutione.

Notandum, quod non solum in artibus sunt instrumenta; sed etiam in natura; nam non minus natura per instrumenta multa operatur, quam operetur ars: cum ergo certum sit plura esse genera instrumentorum, neque de hoc dubitari possit, instrumentum in vniuersum videtur posse diuidi in coniunctum, & separatum; coniunctum, dicitur illud, quod nisi principali agenti coniunctum sit, & ab eo motum, nihil agit; separatum vero, quod etiam si non sit principale agens, & ab eo sit disiunctum, agit in virtute tamen illius; rursum instrumentum coniūctum diuiditur in illud, quod aliquo modo facit vnum cum principali agente, & in illud, quod non facit vnum; quod facit vnū cum principali agente, vel est pars integralis, vt manus, vel forma accidētalis vt calor, respectu ignis, addunt ex 7. Moralium Eundemiorum, vel materia, vt corpus respectu animæ, quod tamen exemplum ab Aristotile allatum videtur ex Platonis sententia existimantis animam esse totum hominem, & corpus illi inseruire solū vt instrumentum; cum tamen secundum veritatē corpus sit pars essentialis hominis, vt supra probatum est: Quamquam etiam in sententia Philosophi exponi potest auctoritas; quia anima per Arist. est actus corporis orga-

organici, in quo duo fiant, & quod corpus constituatur per animam, cum eaque faciat animal, & quod constituto animali anima vlterius vtatur ad opera corpore suo, ac proinde & inseruiat corpus quasi instrumentū, nam & si animal est, quod vtitur corpore; tamen satis illa frequens est locutio, qua dicimus, animam mouere corpus, &c. instrumentum coniunctum, quod non facit vnum, est quid extrinsecum, quod debet accipere motionem à principali agente, vt sigillum, malleus, serra; vlterius duplex statui potest instrumentum coniunctum, & separatum; alterum scilicet coniunctum quoad esse, alterū quoad operari; illud dicitur instrumentum coniunctum quoad esse, quod est coniunctū cum principali agente, vel per contactum, vel per inhærentiam; separatum verò, quod neque per contactum, neque per inhærentiā principali agenti coniunctum est, vt semen cum est decisum à viuente; porro instrumētum coniunctum quoad operari est illud, quod non potest operari, nisi concurrente agente principali, separatum verò, quod potest, vt calor in aqua, vel in ferro, cum calefacit, & producit ignem; alij triplex statuunt instrumentum, primum, quod nullam habet actionem præuiam actioni principalis agētis, sed solum eleuatum à principale agente attingit immediatè simul cum principali agente effectum, quale esset instrumentum si creatura assumeretur ad creandum; secundū genus instrumenti volunt esse illud, quod prius virtute propria suum effectum attingit, deinde verò etiam per realem actionem immediate attingit effectū principalis agentis, in virtute principalis agentis, huiusmodi instrumentum esse volunt calorem ignis, qui prius in ligno virtute propria, idest proportionata effectui, producit calorem; deinde eleuatus à forma ignis producit in ligno formam noui ignis. Tertium genus credunt esse, quod per actionem suam efficit aliquem effectum, qui est dispositio & via quædam ad effectum principalis agentis, qui vel naturaliter resultat posita actione, & effectu instrumenti, vel per nouam actionem principalis agentis producitur, & in hoc genere ponunt instrumenta artis; his, & pluribus alijs modis diuidi posset instrumentum, in quibus diuisionibus quædam sunt, quæ nō carent difficultate, de quibus quid dicendū sit constabit ex dicendis, sed iam ad quæsitum.

Dicendum plura esse genera instrumentorum, patet ex modo dictis, & confirmatur: quia instrumenta artis sunt penitus distincta ab instrumentis naturæ, & inter instrumenta naturæ plura adhuc genera enumerantur, cū alia verè coniuncta sint, alia verè disiuncta, & separata; alia coniunctim agant cum principali agente, alia sine illo.

Ad rationem in contrarium patet ex dictis in ipso met genere efficientis plura esse genera instrumentorum.

Art. 4. Utrum in instrumentis principium agendi sit quid intentionale deriuatum in ipsa à causis principalibus.

Dubium esse potest tam de instrumentis coniunctis, quam separatis: Prima sententia est requiri in instrumento ad hoc, vt agat, virtutem aliquam receptam à principali agente, quæ sit in ipso saltem per modū transeuntis. Secunda sententia negat esse necessariam talem virtutem præterquam in instrumentis artificialibus, quæ adhibentur per motum, & virtutem motiuam.

Prima sententia probatur his rationibus. Prima. omne instrumentum ad hoc vt agat, debet eleuari à causa principali; sed non potest assignari, quid sit eleuatio, nisi ponatur defluere in instrumentum à causa principali aliquam virtutem, saltem intentionalem, & per modum transeuntis, quæ scilicet duret dum eleuatur instrumentum: ergo talis virtus debet poni.

Secunda ratio, instrumenta supernaturalia, vt sunt sacramenta, eleuantur per talem virtutem; vnde communis est Patrum sententia aquas per Baptismum Christi Domini esse sanctificatas, & accepisse virtutem regeneratiuam: instrumenta etiam artis, vt apparet experientia, non agunt nisi actu mota à causa principali: ergo de omnibus instrumentis dicendum est; quod recipiant quandam virtutem ab agente principali, per quā agant.

Tertia ratio, proprium est instrumēti motum mouere; sed non potest motum mouere nisi accipiat aliquam motionem, & virtutem à principali agente, qua moueatur: Ergo.

Pro

Pro contraria sententia. Prima ratio, instrumenta naturalia sæpe agunt, cum nō adsunt causæ principales; sed tunc non possunt accipere vllam virtutē ab illis: ergo nec alias accipiunt.

Secunda ratio, non potest assignari quæ sit illa virtus, quam accipit instrumentum naturale à principali agente: ergo nulla est.

Tertia ratio, sufficienter instrumentum habet totum illud, quod ipsi necessarium est in suo ordine sine vlla actuali motione & virtute superaddita: ergo frustra alia virtus additur. patet antecedens in omnibus potentijs naturalibus, quàm enim motionem accipit sensus communis ab anima, vt operetur, quam virtus naturalis siue vitalis? quam calor ignis, vt alteret, atque transformet lignū, maxime quando reperitur in alio subiecto ab igne, vt in ferro?

Pro solutione.

Notandum, quod dubium non est, quod instrumenta artificialia ad hoc, vt agant, debeant accipere aliquam motionem ab artifice; etenim cum in se artem non habeant, & agere debeant ex præscripto artis, debent substare principali agenti, & ab artifice actu secundum artem dirigi, ac proinde in ipsis principium agendi necessariò est aliquid acceptum à principali agente, quod solet esse motus localis modificatus ab artifice, eo modo quo petit ars: de his ergo instrumentis dubium non est; dubium est de instrumentis naturalibus, & supernaturalibus: & quamquam de supernaturalibus agere sit Theologi, certum tamen esse debet in Physica posse Deum assumere quamcumque Physicā creaturam ad præstandum effectum, quem vult, non implicantem contradictionem sine noua virtute super addita; etenim cum omnis creatura Dei imperio sit subiecta, omnis creatura vt substat imperio Dei efficaci, est virtus actiua; quod patet, quia ex vna parte solum Deo denegandū est, quod implicat cōtradictionem; ex alia parte omnis creatura est ita subiecta Deo, vt omni ipsius voluntati efficaci necessariò pareat; non implicat autem contradictionem, quod creatura, vt substat imperio Dei efficaci, concurrat ad producendas res supra, vel supra, vel extra suum ordinem, cum primum instrumentum attingere soleat aliquid, quod est supra ipsi⁹ ordinem; secundum per imperium Dei, proportionetur ad id, ad qđ aliter non haberet proportionem; tertio in eo casu si non exequeretur Dei voluntatem, Deo resisteret, cuius voluntati nihil resistere potest, & quarto non esset Deus omnipotens, qui non posset assumere creaturam ad id, quod vult, nec posset per eam præstare, quod vellet. etenim si creatura obedire debet Deo imperanti aliquam actionem, debet creatura immediate posse esse instrumentum Dei; prius autem illud ex dictis certum est, quod etiam confirmat D. Hieronym. commentario in caput octauum Matthæi in illa verba. tunc surgens imperauit ventis, & mari, dicens. ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiunt creatorem, quas enim increpauit, & quibus imperauit sentiunt imperantem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia; sed maiestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt, hæc Hieronym. quibus ostendit creaturas paratas esse ad exequendas omnes Dei voluntates, etiam per se ipsas sine vllo addito; nam si quid addatur, per quod operentur, non ex eo, quod sentiant creatorem, obedient creaturæ, idest, non ex ineuitabili subiectione, qua subiectæ sunt Dei voluntati ad omnia, quæ ille vult; sed quia noua virtute recepta diuersæ non solum in ratione causæ, sed entis & naturæ factæ sunt; quo pacto etiam si in non tam multis, in multis tamen obediūt etiam homini; confirmare posset idem ex scripturis, sed confirmari placet ex hystoria receptissima. S. Tiburtij, de qua breuiarium die vndecima Augusti, hic enim cum iussus esset super prunas ingredi nudis pedibus, crucis signo se muniens fidenter quo ambulans in pruna, disce, inquit iudici, ex hoc solum esse Deum, quem Christiani colunt, prunæ enim mihi flores videntur, hæc ibi; si ergo de se creatura supposito solum imperio Dei efficaci, cui subest, potest quæcumque vult Deus etiam opposita, dummodo contradictionem non implicent, non videtur in instrumentis supernaturalibus addenda necessariò alia virtus, quæ sit in illis per modum qualitatis, siue permanentis, siue transeuntis; in naturalibus autem instrumentis, q[illegible] agunt in absentia causæ principalis, [illegible] minus talis virtus est necessaria, [illegible] se sint instrumēta, potētia.n. fo[illegible] mine, vt potentia generatiua, est in[illegible]tum generantis, frustra adderetur a[illegible] qua constituerentur instrumēta, ne[illegible]

ea [illegible]

ea redderet instrumentum efficacius, quàm de se sit; quia talis virtus non esset, nisi accidens eiusdem ordinis cum virtutibus, quæ sunt in instrumento. Quare.

Dicendum in alijs instrumentis, præterquam in instrumentis artium, & quæ inseruiunt ad motum localem, non deriuari communiter à causis principalibus vllam aliam virtutem in instrumenta ab ipsis, vt sic distinctam, patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur primo; quia illa virtus intentionalis ex nullo colligitur; nec satis explicari potest quid sit; secundò quia talis virtus in omnibus instrumentis reperiri non potest, dum eam exigunt, & actu causant; patet hoc in seminibus frugū, arborum, ouiparorum; nam quando ista agunt vt plurimum causa principalis non est, vt ne possit quidem influere hanc vim intentionalem; virtus autem quæ à sole prouenit, vel aliunde non potest dici virtus intentionalis; de qua quærimus.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam, respondeo dicendum, quod eleuari propriè dicitur de rebus, quæ supernaturaliter assumuntur vt instrumenta ad aliquid supernaturale; in quibus eleuatio est deputatio per voluntatem efficacem Dei ad illud supernaturale efficiendum; vnde aqua vt subsiat deputationi Dei ad abluendam animam à peccatis in baptismo, dicitur eleuari; quare eleuatio passiuè nihil est aliud, quam ipse creatura vt assumpta à Deo in tali actu, & actione ad secum concurrendum vt cum principali agente ad rem supernaturalem producendam, vt proinde non sit necessaria alia virtus, quæ multò minus necessaria est in instrumētis naturalibus, in quibus non est propriè eleuatio, sed ad summum est concursus inadæquatus ad rem superioris ordinis.

Ad secundam quid sit dicendum patet ex dictis, instrumenta quidem artis eleuari per motum localem, supernaturalia vero dici eleuata, & accepisse virtutem ex eo, quod facta sunt per efficacem voluntatem Dei virtus supernaturalis effectus.

Ad tertiam respondeo dicendum; quod proprium est instrumēti vt motum moueat, si sermo sit de artificialibus; si verò de cæteris sit sermo, hoc illis proprium est, quatenus motum dicit, non quidem virtutem aliquam receptam ab ipsis distinctam; sed quatenus dicit vel concursum principalis agentis, vel deputationem efficacem ad hoc, vt agant.

Obijcies, non potest intelligi noua voluntas efficax in Deo nisi per nouum effectum ad extra, vel per mutationem Dei, sed Deus est immutabilis; ergo mutatio ista debet esse per effectum nouum Dei ad extra; & in proposito per nouum effectum in instrumento; in instrumento ergo est aliqua noua virtus distincta ab instrumento, per quam assumitur à Deo.

Respondeo dicendum, quod sufficienter intelligitur noua voluntas Dei efficax per ipsum instrumentum in actu primo potens producere, quod prius non poterat. Dices ista potentia antea non erat in instrumento, nunc verò est; ergo aliquid de nouo in instrumento factum est, quod antea non erat. Respondeo dicendum, quod aliquid de nouo est in instrumento reale formaliter, nihil vero de nouo reale realiter. Quia eadem entitas realis modo est potentia ad effectū supernaturalem, prius autem non erat; accipi potest aliquo modo simile in lumine, quod in vna entitate habet duplicem virtutem, vt communiter conceditur, habet virtutem illuminatiuam & calefactiuam, lumen, vt etiā communiter tenetur, in cælo est solum virtus illuminatiua, in terra est etiam virtus calefactiua, & tamen est vna sola realitas. si ergo quod dedit lumini Deus à principio, daret de nouo, iam haberet aliam potentiā realem ad effectum realem, sine vlla noua realitate; ita in proposito per assumptionem Dei habet res assumpta in instrumentum, vt iam possit in illud, ad quod facta est instrumentum, cum ante assumptionem non posset. Dices si in hoc tempore Deus assumat aquam ad producendam gratiam in animā vera erit hæc propositio, idcirco aqua potest producere gratiam, & ante hoc tempus non poterat; Quia nūc in Deo est volūtas efficax, qua vult aquam producere gratiam, & prius non erat; ergo in Deo facta est mutatio.

Respondeo hoc non minus habere difficultatem siue ponatur aliqua entitas noua in aqua, siue non ponatur; Nam si ponatur, etiā verum erit dicere, idcirco in aqua est noua vis realiter ab aqua distincta; Quia Deus efficaciter vult in ea talem vim nunc esse, & prius non volebat; ergo in Deo noua voluntas, & mutatio. Dico ergo sufficienter intelligi in

ligi in Deo nouos actus liberos per sola cõnotata ad res ad extra; vt in proposito per nouam connotationem, quam dicit aqua, vt vis ad gratiam efficiendam, nam licet non intelligatur in aqua ista noua connotatio, nisi intellecto in Deo nouo actu libero; vice tamen versa sufficienter intelligitur in Deo nouus actus liber intellecta diuina voluntate, vt de nouo terminata ad aquam; sicut sufficiẽter intelligitur in volũtate creata actus nolendi audire sacrum, si adueniat tempus sacri, & id aduertens non imperet profectionem ad ecclesiam: immo in Deo cum omnia, quæ sunt, mensurentur æternitate, consequenter nullus actus de nouo est, sed omnes ab æterno, vnde vt distincti, vel inter se contrarij intelligi non possunt sine connotato ad extra, ac proinde, quoties in Deo intelligitur actus de nouo necessario ad extra intelligitur nouum connotatum, sine quo nouitas actus diuini intelligi non potest; in ipso autem Deo omnes actus intelligi debent ab æternitate cum sola prioritate indifferentiæ diuinæ voluntatis, quæ prioritas est in signo à quo, non in quo; Quia nulla fingi potest duratio, in qua non intelligantur in diuina voluntate actus liberi; cum tamen semper præcedat diuina voluntas, vt indifferens. simile est in sole, si liber esset, in producendo lucem, prius enim esset quam lumen, & tamen in eodem instanti produceret lumen, & liberè produceret, cum in priori natura posset non producere.

Art. 5. Vtrum aliquid vt sit instrumentum debeat habere aliquam naturalem aptitudinem ad id, ad quod aßumitur, et aliquam actionem præuiam ad actionem, qua attingit id, ad quod est instrumentum.

Difficultas est de instrumentis supernaturalis ordinis, seu quæ ordinantur ad effectus supernaturales; nam de naturalibus, & artificialibus loquendo certa est affirmatiua pars tam, quoad primã, quã quoad secũdã partẽ quæsiti; nam ad secãdũ, & scindẽdũ ars non assumit nisi instrumenta dura, quod multò verius est in instrumẽtis naturalibus; de instrumentis autem supernaturalibus loquendo affirmãdum; videtur his rationibus.

Prima nisi in instrumẽto requireretur aliqua naturalis aptitudo ad effctũ, assumi possẽt vt instrumẽta res quæcũque ineptæ, at hoc est inconueniens: ergo in instrumento requiritur aliqua naturalis aptitudo.

Secunda ratio, nisi requiratur aliqua naturalis aptitudo in instrumento posset Deus assumere lapidem ad visionem beatificatam; at hoc est impossibile; quia visio beatificat est actio vitalis; quæ non potest vllo modo cadere in rem, quæ non habeat vitam; quod si dicatur, quod Deus potest communicare lapidi vitam intellectiuam, hoc adhuc multò est impossibilius, quia lapidi manenti lapidi repugnat vita, cum vitæ negationem dicat necessario.

Tertia ratio, nullum instrumentum naturale, vel artificiale agit sine actione præuia; si enim calor concurrit ad generationem substantialem, prius agit accidentaliter; si artificiale concurrit cum principali agente ad actionem artis, prius habet contactum, & alia huiusmodi, quæ sunt quasi actiones præuiè. contrariam sententiam hæ rationes propugnant.

Prima ratio, si Deus non posset assumere instrumentum quantumcumque ineptum, non esset omnipotens; sed est omnipotens; ergo assumere potest instrumentum quantumcumque ineptum.

Secunda ratio, Deus assumit res materiales ad effectus spirituales, vt patet in sacramentis; sed nihil minus proportionatum ad spirituale, quam materiale, ergo Deus potest assumere aliquod instrumentum sine vlla prorsus naturali aptitudine.

Pro solutione.

Notandum, quod operationes vitæ duo habent, vnum quod sint ens; alterum quod sint vitales; quoad primum licet naturaliter dicãt ordinẽ ad certa principia productiua, vt tamen subsiãt diuinæ omnipotẽtiæ fortè respicere possent quamcumque concausam ab eo ad suam productionem deputatam, quoad secundum verò nõ respiciunt principium vitale, vt implicet contradictionẽ ipsas non esse à tali principio; nam ratio operationis vitalis, vt sic dicit esse vitam in actu secundo, quæ est illa, qua actu viuit viuẽs; vt proinde impossibile sit, qđ cõueniat nõ viuẽti

quia viueret, & non viueret, vnde non potest Deus eleuare non viuens ad operationes vitæ, vt sic; fortasse potest eleuare aliquid ad cõcurrendũ ad huiusmodi operationes, non quatenus vitales sũt, sed quatenus ens, ità vt præcisè influat vt in ens, quomodo dicunt aliqui posse Deũ ponere visionem in lapide, quatenus scilicet visio est quædam forma, & ens; per quã tamẽ visionẽ lapis nullo modo videret; itaque in operationibus vitalibus videtur esse obiectiua repugnãtia cõtradictionis, vt nõ possit Deus ad illas, vt sic assumere nisi, quod habeat aliquã naturalẽ aptitudinẽ saltẽ remotã, & radicalẽ; at in alijs rebus nõ videtur huiusmodi repugnantia, vt proinde possit Deus assumere materiale, vt est aqua, ad producendũ spirituale, vt est gratia, charitas &c. quod de facto fecit in baptismo; ad quod etiam assumere potuisset de absoluta potentia lignum, vel aliud tale subiectum; tamen considerandum est, quod aliud est Io qui de eo, qđ potest simpliciter Deus, aliud quod decenter potest, idest cũ quadã maiori conuenientia; si enim voluisset Deus assumere lignum vt per ipsius contactum expellerentur peccata, & produceret gratiã potuisset, quæ enim in hoc est condictoria repugnãtia? tamẽ hoc nõ ità fuisset conueniẽs vt ablutio baptismi, quæ in corpore habet aliquam similitudinem cũ eo, quod facit supernaturaliter in anima: quapropter instrumẽta supernaturalia debent quidem habere aliquã naturalem aptitudinem, & conuenientiam, saltem similitudinariam cum effectu, quem debet supernaturaliter producere, tamẽ hoc non est simpliciter necessarium; vtrum etiam debeant habere aliquam actionem præuiam dubium est; nam de facto instrumenta, quæ à Deo assumpta sũt ad effectus supernaturales habent aliquam præuiam actionem latè saltem sumẽdo actionem, vt contactum &c. tamen non apparet, vnde sit contradictio, si Deus assumat Angelum ad concurrendum secum ad creationem alterius Angeli, vel assumat aquam ad producendam gratiã sine cõtactu corporis, quid enim habet ille cõtactus ad productionem gratiæ, vt sine illo ab aqua, vt subsistat imperio Dei, effici non possit, vt v.g. si instituisset Deus, vt per aquã efficeretur gratia baptismi, quãdo minister dixisset aqua ista te santificet, sine vllo contactu aquæ ad baptizatũ, quare cum in hoc non appareat vlla contradictoria repugnantia.

Dicendum instrumenta supernaturalis ordinis non debere simpliciter habere aliquã naturalem aptitudinẽ adid, ad quod assumũtur; nec etiam actionem præuiã; habere verò instrumenta ordinis naturalis. patet conclusio ex modo dictis, & rationibus secundæ sẽtentiæ. Confirmatur sapi.ca.16. de igne dicitur. Quodam enim tempore mãsuetabatur ignis, ne comburerentur. Et postea. hic autẽ iterum vt nutrirentur iusti etiam suæ virtutis oblitus est. Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit ad tormentum aduersus iniustos & lenior fit ad benefaciẽdum pro his, qui in te confidunt. Ecce vt eadem res præstat contraria. subdit Tex. Sacer. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat. Dicitur transfigurata. Quia dum facit, quæ non potest per suam naturam. Quasi in nouã mutatur naturã, quia sicut Deus assumpsisse videtur ignẽ ad refrigerandum in fornace Babylonis, & prunas in Martyrio S. Tiburtij, ità assumere potuit materiam primam, vel quãtitatẽ, quæ non sunt actiuæ; nã in hoc secũdo fortè minor est repugnantia; minus enim aptus videtur ignis, & calor ad refrigerandum; quam quantitas, vel materia, vt subsistat diuinæ omnipotentiæ ad actionem, & certè in hoc nobis non apparet contradictio.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam patet ex dictis. Ad secundam patet Deum non posse assumere lapidem ad visionem beatificam, saltem, vt visio est vita in actu secundo; quia hoc repugnat contradictoriè.

Ad tertiã respondeo dicendum, quod est diuersa ratio, de instrumento naturali, & artificiali, & de supernaturali; natura enim & ars non possunt suo imperio, & vi supplere omnem, & quantamcumque improportionem, potest tamen Deus.

Obijcies. vt aliquid sit instrumentum effectus actio, & effectus debet ab eo egredi; sed si instrumentum, non sit aptum de sua natura, non potest ab eo actio egredi; ergo instrumẽtum de sua natura debet esse aptũ; maior patet, minor probatur. si ab instrumento est actio, vel quia instrumentum influit de se, ac proinde de sua natura est aptum; vel quia influit, vt subsistat eleuationi, sed eleuatio nihil in eo ponit; vnde si prius non erat aptum, & non poterat influere, nec poterit vt subsistat eleuationi.

Respon-

Respondeo dicendum, quod instrumentũ supernaturale influit in effectum, vt subflat eleuationi; quia licet nihil eleuati ponat entitatiuè in instrumento, facit tamen vt instrumentum fit virtus actiua, quod non est de se, nam quælibet creatura, vt subflat diuinæ voluntati efficaci est virtus ad præstandum id omne, quod non implicat contradictionem.

Quæstio quarta de subordinatione & dependentia causarum secundarum à primo efficiente.

QVoniam omnes causæ secundæ essentialiter sunt subordinatæ primæ, sine qua agere nō possunt, restat vt de huiusmodi subordinatione tractemus, vt ea bene perspecta perfectè natura causarum secundarum, tam principalium, quam instrumentalium cognoscatur.

Art. 1. Vtrum prima causa semper actu concurrat ad agendum cum causis secundis.

NEgat Durand. in 2. dist. 2. qu 5. & dist. 37 qu. 1. citatur pro eadem vldericus in summa lib 2. eandem sententiam, vel errorem potius sequuti sunt multi tempore D. Aug. de quibus ipse lib. 5. de Genesi ad literam cap. 20. hæc habet, sunt qui arbitrantur tantummodo mūdum ipsum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso Mundo, sicut ipse ordinauit, & iussit; Deum autem ipsum nihil operari posse.

Secunda sententia affirmatiua est communis Sanctorum Patrum, & Scholasticorum Theologorum, citatur pro ea S. Grego. lib. 6. moral. c. 8. Nissenus lib 8. suæ philosophiæ Nazianzenus or 2. de Theologia, Augustinus lib. 4. de Genesi ad literam cap. 12. lib. 5. cap. 20 & cap. 39. D. Thom. prima parte quæst. 105, artic. 5. & prima sec. quæst. 109. 3. contra gentes cap. 70. eidem veritati fauet philosophus pluribus locis 7. Phys. cap. 1. 8. Phys. c. 5. 2. Met. c. 2. & de causis, si ipsius liber est, propositione prima. pro negantibus sunt hæ rationes.

Prima causa agens ex necessitate naturæ eo ipso, quod est, agit si non impediatur; sed causæ naturales sunt huiusmodi; ergo non expectato vllo concursu Dei agent, si non impediantur.

Secunda ratio. Si Deus semper ageret cum omnibus causis secundis impediret se ipsum; consequens est absurdum, ergo & antecedēs; quod impediret se ipsum probatur; nam sit. v. g. lapis A. qui sursum proijciatur, si Deus agit semper cum causis secundis concurret, & coaget cum virtute impressa ad motum sursum, & simul concurret cum grauitate lapidis ad impediendum illum motum, & ad destructionem virtutis impressæ: ergo Deus quatenus repugnat cum grauitate motui sursum impediet se ipsum sursum mouentem.

Tertia ratio, Deus si agit cum causis secūdis, proculdubio agit per suam virtutem infinitam; sed tunc sequuntur duo inconueniētia, primum, quod semper faciat effectum infinitum; secundum, quod pro vt agit cum vna causa non possit agere cum alia illi priori repugnante; primum probatur: effectus proportionatur virtuti actiuæ, virtus actiua, qua Deus agit, est infinita: ergo semper effectus erit infinitus; probatur secundum; virtus infinita non potest impediri, virtus Dei, si ageret v. g. cum virtute impressa deferente lapidem sursum esset infinita: ergo non impediretur à grauitate.

Quarta ratio, quod potest fieri per pauciora non debet fieri per plura; sed virtus causæ secundæ est sufficiens producere effectum; ergo non est ponendus concursus Dei; minor probatur; quia calor est sufficiens producere calorem; & frigus producere frigus, & sic de cæteris.

In contrariū pro sententia affirmatiua sūt hæ rationes. Prima ab auctoritate scripturæ cuius aliqua loca abducit D. Aug. epist 146. Hieremiæ primo. prius quam te formarem in vtero; Iob. 10. Manus tuæ fecerunt me, &c. Lucæ 12. si fenū agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, actor; 12. in ipso viuim.ᵉ, mouemur, & sumus, quod affert idem Aug. 4. de genesi ad literam c 22. & lib. 5. loco citato, hæc habet, contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, deinde quia illa non solum magna, & præcipua, verum

O 2 sum

ns et illa terrena & infima operatur & dicit A. ost. Tu nudũ granũ seminas, Deus autẽ dat illi corp' sicut vult, & vnicuiq; ꝓpriũ corp'.

Secunda ratio, res omnes pendent à Deo in conseruari; quia sunt entia per participationem: ergo ab eodem Deo eadem de causa pẽdere debẽt in fieri; vlterius operatio causæ secũdæ intrinsecè, & essẽtialiter includit ens ꝑ participationẽ; ergo pẽdebit à Deo, ac proinde Deus ad illam immediatè concurret.

Tertia ratio, nisi Deus immediatè concurreret cũ actionibus causarũ secũdarũ, nõ posset earũ naturales operationes impedire, nisi obijciẽdo cõtraria, cõsequens est falsũ: ergo & antecedẽs; minor probatur, quia in fornace Babylonis ignis nõ cõbussit pueros, causa autẽ ea fuisse videtur quod noluit cõ eo concurrere Deus ad eã cõbustionẽ. Nã dicitur c. 16. sapientiæ ignis oblitus est suæ virtutis, & Lucæ 4. Iudæi trãseũtẽ Christũ Dominũ per mediũ ipsorũ non videbãt; vnde nec tenebãt vt decreuerant; non videbant autem, quia Deus ad talem visionem non concurrebat.

Pro solutione.

Notandum, quod tùm ex natura Dei, tũ ex natura entis creati habemus, quod necessariò ad omnes actiones causarũ secũdarũ debet cõcurrere prima causa: ex natura Dei; qa ipse est fons totius esse, ita vt nihil protius esse habeat quãtũcũque exile, & tenue, quod à Deo non sit, vt à primo fonte totius esse; & à tali quidẽ fonte, cuius perpetua scaturigine est quidquid est, nam hæc est natura primi entis, vt per essentiã contineat omne esse, vt proinde in ipso cuiuscumque entis esse, & essentia idem sit, vnde essentia animalis rationalis in ipso vt simpliciter ratio, & immutabilis ratio, à qua in ipso animali rationali à parte rei ratio animalis rationalis, nõ vt à se, sed vt ab illa ratione, quæ in Deo idẽ cum Deo est; nã animal rationale, quod in Petro, melius, et immutabilius est in ipso esse intelligibili, in quo si intellectus perpetuo fit, in actu, perpetuũ est, & immutabile; sed nullus intellectus perpetuo in actu est omnia; nisi intellectus, qui simpliciter est actus: in ipso ergo omni ratio semper in actu, & immutabiliter in actu. ergo & ab ipso, quod ex potẽtia transit ad actũ; sed à parte rei omnis huiusmodi ratio ex potẽtia ad actũ; quia dũ fit Petrus vere in eo fit animal rationale qđ à parte rei extra Petrum, & cœteros homines non est ergo & hæc, & omnis alia ratio creata tãquã à fonte, à primo actu; nã & hoc luce naturali notũ principiũ est, quod ex eo quod est in actu esse debeat, quod est in potentia: primum ens & ex se ipso actus purus, & omnia in actu; quia ipse primus intellectus, qui forma formarum est, solusque omnia intelligibilia, vt proinde primus intellectus in actu, omnia intelligibilia sit in actu: quæcũque ergo de nouo fiunt debent esse ab eo, quod iam est, & per eũ, qui est in actu de potentia fieri in actum, ac proinde ex natura Dei est, vt ab ipso fit quidquid ex nõ esse trãsit ad esse; & ex natura quoque entis creati est, sicut significatum est; quia omne ens creatum est ens per participationẽ, idest est ens, quod non habet esse ex se, sed ex se nihil, & ab alio ens. ergo ab ente erit, quod est à se: dum ergo est creatum ens, ab illo esse habere debet, quod à se ipso est.

Considerandum autem est, quod non magis dependere debet à Deo ens creatum, & per participationẽ dum est, quam dependere debeat dũ fit; præsertim cum plura videãtur requiri adhoc, vt fic, quod non est, quã requirãtur ad hoc, vt permaneat in esse, quod accepit esse; sed nisi cũ omni actione causarum secũdarũ cõcurrat Deus quoad fieri ens creatũ saltem quod fit de nouo non dependebit à Deo; quia sufficienter per illam actionẽ causæ secundæ & fiet, & erit; at sufficienter non fit, quia causa secunda non potest dare suo effectui melius esse, quam habeat; in se ipsa actu est ens depẽdens, & per participationẽ: ergo non dat effectui esse à Deo independens. Quare.

Dicendum primam causam semper actu concurrere cũ secundis ad agẽdũ, patet hæc veritas ex dictis, & rationibus secũdæ sentẽtiæ, cõfirmatur, quia ens creatũ ex sua intrinseca ratione itã Deo subordinatum est, vt ab ipso dicat essẽtialẽ depẽdẽtiã; nã si ab aliquo superiore ente non penderet essentialiter necessariò vel nihil esset, vel esset à se; quod autem à se habet esse, sicut semper a se est, ità semper esse debet, ac proinde æternum est; vnde ens creatum cum aliquando fit, aliquando non fit, ac proinde à se non fit, ab alio est; à nullo autẽ esse potest collectiuè nisi à Deo, sed cum nulla fit maior ratio, quod à Deo depẽdeat vnũ, & nõ alterum, necessario omnia entia creata dici debẽt dependere à Deo; nec dici potest quod satis est si quodlibet ens creatum, dependeat à Deo, vel immedia-

mediatè, vel mediantè altero, quomodo dependebit à Deo Franciscus qui nunc generatur; quoniam procedit à patre, & pater ab alio ascendendo vsque ad primum hominē, qui à Deo factus est; non inquam hoc dici potest; quia dependentia entis creati à Deo nō est dependentia per accidens, sed intrinseca, & essentialis fundata in hoc, quod tale ens est participatio increati entis, quæ ratio cum æquè reperiatur in omni ente creato, omne, immediatè debet depēdere à Deo, licet aliquod possit immediatius à Deo dependere in illo sensu, quod aliquod dependet à Deo solo, cum à Deo solo factum sit.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod causa agens ex necessitate naturæ eo ipso, quod est agit, si non impediatur, & habeat requisita ad agendum, vnum autem ex requisitis, & principale est concursus Dei sine quo non agit, vt quæ non habet omnia requisita, vt quæ nō est cōpletè in actu primo vt agat. Quare in forma ad argumētum distincta, & explicata maiore neganda est minor, si excludat concursum Dei, & consequentia.

Ad secundā respondeo dicendum quod nō impedit se ipsum, qui per duas manus agit, etiamsi per vnam obnitatur cōtra alterā, si ex eo intendit aliquem ordinatum finem; sed illud agens dicitur impedire seipsum, quod agens ex cognitione, & intendens aliquē finem, dum illū ex vna parte procurat, ex alia ponit impedimētū; nō autem hoc facit Deus nam considerandum est, quod Deus cū causis secundis vult agere ordinatè secundum exigentiā naturarū ipsarum, & cum contrarijs, vult contraria, & cum potentiori vult victoriam ipsius; cum æque potentibus vult æqualem vtrinque actionem, vel totalem cessationē ab actione, in quo Deus nō est sibi contrarius neque se impedit: nam ità accommodat suum concursum cum vna causa secunda, vt simul velit, & concurrat cum alia iuxta exigentiā ipsius, & quoniam actio, quam præstat cum vna, & altera causa semper obtinet finem, quem Deus prætendit, quod est agere vt postulat natura causarum, ideo Deus non se impedit, etiamsi ita videri possit insipientibus: quare ad argumentū negatur maior, ad probationē dicēdū cum grauitate quidē Deū repugnare virtuti impressæ, & motui sursū, sed cum finis Dei nō sit mouere sursū sed coagere cum illis iuxta exigentiam ipsarū, ideo non se impedit, impediret autē se si prætendere motum sursum, & absisteret de inde cū grauitate, sed cum prætendat cum grauitate obsistere; quia hoc petit grauitas, & cū virtute impressa mouere sursū, quia hoc petit virtus impressa, nō se impedit Deus, sed habet, quod prętendit, coagere scilicet vt dictū est, cum causis secūdis, secundū quod postulant; nam si absolutè Deus vellet mouere sursum lapidem, non obsisteret grauitas; sed vel posset eadem grauitate ad illum motum. Dices si sic Deus agit cum causis secundis simul, & semel propè infinita operabitur. Respondeo totū verū esse, neque de hoc posse dubitari nisi ab eo, qui nesciat potentias Domini, multæ sint, & nō habēt finē, sicut & magnitudinis eius non est finis; immo cum vna sit virtus, & potentia, & omnibus, & singulis abundè, & supra omnem modum sufficit, ò tu bonè omnipotens: (non minus verè quam piè dixit Aug.) qui sic curas vnum quemque nostrum, tamquam solum cures, & sic omnes tamquam singulos.

Ad tertiā respondeo dicendum, quod virtus Dei eadem est cum ipsius voluntate; agere autem per voluntatem infinitam, sed secundum quod vult finitum effectum actione finita, est agere virtute infinita secundum se, sed in actu secundo est applicata finite, ex quo nascitur, vt Deus agere possit cum pluribus causis sibi repugnantibus; quia cum singulis finitè agit; Deus igitur pro vt habet virtutem infinitam potest quemcumque effectum, vt applicat hanc suam virtutem per voluntatē efficit tantum, quantū vult voluntas, voluntas autem licet infinita sit, non dicitur tamen infinita in actu secundo respectu huius, & illius obiecti finiti; ad argumentum ergo in forma, intellecta maiore iuxta dicta negatur minor; ad probationē respōdeo effectum correspondere virtuti actiuæ applicatæ in actu secundo, non virtuti simpliciter: virtus autem actiua Dei, licet in se verè infinita sit, applicatur secundum voluntatem Dei finite; ex quo etiam patet solutio secundi posse scilicet virtutem actiuam Dei applicari pluribus, & cū vno magis quàm cum alio, ac proinde vt est applicata vni posse impedire aliud.

Ad quartam respondeo dicendū, quod virtus causæ secundę est ens per participationem, quæ tàm in esse, quam in operari dependet ab ente per essentiam, qui est Deus benedictus, quare excluso concursu Dei negatur minor;

sufficiens ergò esse pòtest virtus causæ secundæ ad causandum solum in suo ordine, vt proinde necessaria non sit alia causa secunda.

Obijcies. disparata possunt separari, sed actio Dei, & actio creaturæ sunt disparata, quia illa est libera, & per voluntatem, hæc vt plurimum necessaria: ergo separari possunt.

Respondeo dicendum, quod licet actio Dei sit libera, & creaturæ necessaria, adhuc tamen essentialiter subordinatæ sunt, sicut in artificialibus actio instrumenti est necessaria, artificis libera, & tamen actio instrumenti est subordinata actioni artificis, a qua separari non potest; quare negatur minor.

Obijcies secundò. si Deus immediatè concurrit cum causis secundis ad omnes effectus, aut agit eadem actione, qua causa secūda, aut diuersa, non eadem; quia causa secunda de se habet sufficientem virtutem ad eliciendam talem actionem; & quia a duobus agentibus perfectis, & totalibus non potest exire eadem actio, nisi in illis sit vnum, & idem principium causatiuū, quod procul dubio nō est in causa prima, & secunda; aget ergo diuersa actione, ac proinde diuersus erit terminus, cum quo actio identificatur.

Respondeo dicendum quod causa prima, & secunda agunt eadem actione causaliter; quia causant idem, vnum scilicet, & eundem numero effectum, & eadem etiam actione realiter, quia quidquid realis dicit actio causæ secundæ dependet a causa prima, non agunt autem eadem actione formaliter, & connotatiuè, quia actio Dei formaliter cōnotat Deū, actio causæ secūdæ, vt sic connotat causam secundam, optimè autem stat, vt vna res, quæ est à duobus dicat duas formalitates ratione duplicis connotationis, & connotatiuam, & tractio nauis, quæ fit a duobus cum vna sit entitatiuè, & causaliter; connotatiuè, & formaliter est duplex.

Obijcies tertiò. si prima causa cōcurrit cū secunda, sequetur quod effectus bis fiat; quia fiet a duabus causis totalibus; & vna causa erit frustra; quia vnaquæque sufficienter illum efficiet: ergo ne admittamus hæc absurda, negandum est causam primam concurrere cum secunda.

Respondeo dicendum, quod bis fit illud, quod diuersis temporibus, vel locis accipit esse, non autem, quod accipit esse a duabus causis essentialiter subordinatis; quia ità exit ab vna, vt ad hoc requiratur concursus alterius, sine quo ad esse non exiret, vnde neque sequitur primum absurdum, neque secundum si dicamus causam secundam concurrere cum prima; nam vnaqueque sufficienter efficit effectum in suo ordine, cum dependentia tamen alterius, quæ includitur in tali ordine; vnde neutra frustra est, sed vtraque necessaria; nam licet Deus de se solo possit efficere effectum, non potest tamen in tali modo causandi, quia implicat.

Obijcies quartò, Genesis primo Deus dedit facultatem causis secundis agendi, per se; ergo frustra ponitur nouus concursus Dei; antecedens probatur illis verbis Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & post. crescite, & multiplicamini &c. consequentia probatur; quia sicut cum Rex dedit suam potestatem proregi, non amplius concurrit ad singulas eius actiones, qui bus prouinciam gubernat, ità &c.

Respondeo dicendum, quod Deus non potuit communicare virtutem agendi causis secundis, qua agerent independenter à se, vt patet ex dictis, ac proinde quod non valet similitudo; testimonia autem allata solum probant Deum dedisse virtutem causis secundis, quà possent agere in suo ordine, & ex his soluitur alia obiectio, quæ est huiusmodi. Deus potuit facere creaturas tàm perfectas, vt possent per se producere suos effectus, non expectato vllo alio concursu; ergo fecit; quia Deus fecit creaturas perfectas quantum secundum suam naturam esse poterant, Dei enim, vt ait scriptura, perfecta sunt opera. Respondendum enim est, quod impossibile fuit Deum dare virtutem agendi creaturis independenter à se, vnde negatur antecedens.

Obijcies quintò. si causa secunda in suo actu dependet à prima tolletur humana libertas, quod est absurdum: ergo, quod tollatur libertas humana probatur; nam voluntas non poterit velle aut nolle, nisi mota à Deo, ex quo sic instatur; vel prius natura est voluntatem determinare se ad suum actum, vel Deum concurrere, si primum, Deus erit agens subordinatus agenti particulari, quod est inconueniens, & frustra ponetur concursus Dei; si enim voluntas ante Dei concursū potest in suo actu, iam frustra est concursus Dei; quia causa secunda agere potest sine pri-

prima, si secundum; ergo voluntas non potest non sequi determinationem Dei; quis enim Deo resistat? ac proinde corruet libertas, vt soluatur hæc difficultas fit.

Art. 2. Vtrum causa prima determinet secundam ad agendum, an secunda primam.

Videtur, quod prima determinet secundam, primo quia determinare est superioris, & nobilioris; sed causa prima est nobilior, & superior secunda: ergo determinat secundam.

Secunda ratio. ad determinationem requiritur cognitio obiecti, ad quod determinat; sed solum causa prima habet perfectam cognitionem omnium obiectorum: ergo.

Tertia ratio, nisi causa prima determinet secundam, sequetur, quod dictum est, quod causa prima sit subordinata secundæ: sed hoc est falsum: ergo. Pro contraria sententia, quod secunda determinet primam, sunt hæ rationes.

Prima ratio, quia secus, vt dictum est, destruitur humana libertas. secunda. quia idem naturaliter posset reproduci; nam Deus poterit determinare causam secundam ad hoc, vt idem iterum agat, & sic naturalis erit reproductio; quia talis determinatio ponitur secundum cursum naturalem; nam sermo non est an supernaturaliter Deus possit determinare causam secundam ad aliquem effectum.

Tertia ratio. ponamus, quod aliquis argumentari velit; si Deus vt causa prima determinat secundam: ergo illum determinabit ad hanc rationem, & ad hoc numero argumentum; vnde ille non poterit vti alia ratione, & si quis male mente concipiat, poterit solum sic male concipere; quia ad talem malam conceptionem est iam à Deo determinatus; quod idē dicetur de iudicio, si quis male iudicet, & de mala voluntate &c.

Pro solutione.

Notandum, quod aliud est, quod vna causa determinet aliam, aliud, quod cooperetur, & coagat cum illa, coagere enim dicit simultaneum influxum in effectum, determinatio verò dicit aliquam antecessionem; nam si duo homines conueniant simul ad trahendam nauim, vterque vtrique coaget, neuter ad illam tractionem alterum determinabit; determinatio ergo aliud est à concursu, vnde per hoc quod causa prima cum secunda cuncurrit, non necessario illam determinat; tamen considerandum est, quod omnis causa, quæ potest in plures effectus ad singulos seorsim, & in sensu diuiso habet aliquam indeterminationem, quam tolli necesse est, si debet influere in vnum potius effectum, quàm in alium; causa enim dum manet indeterminata non magis causat vnum, quàm alterum, vt ex terminis consideranti notum est; itaque causa indifferens ad plura, antequam ad vnum certum concurrat, determinari debet, quæ determinatio vel erit ab intrinseco, vel ab extrinseco; ab intrinseco est cum causa sua vi ad vnum se determinat, quod vt faciat necessario debet illa plura, ad quæ est indifferens, cognoscere, & vnum practice alijs præponere; quare causa, quæ cognoscitiua non sit non potest hoc pacto se determinare; iam ab extrinseco est multiplex determinatio; sed in vniuersum solet esse ab aliqua concausa, cuius concursus ipsi necessarius est ad causandum, vnde est, vt materia prima cum diuersis agentibus producat diuersos effectus; nam agens respectu illius est vt determinans; neque enim passiuè causat materia prima, nisi in ipsam actiuè influat agens, vt proinde ratione diuersi influxus diuersos etiam effectus causet; cum tamen de se non magis sit determinata ad vnum, quàm ad alium; eodem etiam modo causa secunda naturalis, quæ est indifferens ad plures effectus in certa specie ad vnum potius determinatur, quam ad alterum concursu causæ primæ, qui illi necessarius est; tam dici non potest, quod illa determinatio sit à natura causæ secundæ, quia talis causa est ad plures indifferens, & successiuè etiam plures producit; non potest dici, quod sit à subiecto, quia etiā subiectū de se indifferens est ad plures effectus; neque dici potest, quod sit ab extrinsecis, vt à tempore, loco, &c. quia hæc non influunt in effectum, & tam bene eodem tempore est vnus effectus, ac alius: necessario igitur recurrendum est ad primam causam, si sermo sit de effectuum determinatione in indiuiduo, nam in specie causæ secundæ de se determinatæ sunt; quia ignis non potest producere nisi ignem, & sic de cæteris; quamquam aliquæ causæ possunt quidem in plures effectus spe-

specie, sed vel non possunt de se solæ, sed cum certis agentibus, vel in tali dispositione, vt proinde necesse non sit expectare determinationem primæ causæ, quare quoad speciem causæ secundæ non determinantur à prima, sed potius prima à secundis, quatenus tenetur causa prima secundum ordinem naturæ, cum hac secunda concurrere ad effectum huius, non alterius speciei, cum alia ad effectum alterius speciei &c. hæc tamen determinatio nihil arguit minus decens in causa prima; quia in ipsa non dicit nisi decretum, quo decernit concurrere cum omnibus causis secundis iuxta ipsarum exigentiã, & vim vniuersalem, à qua necessario debent esse omnes effectus cuiuscumque speciei; & hæc, quæ sunt dicta, procedunt de alijs à causis liberis.

De causa ergo secunda libera considerandum est, quod ipsa libera dicitur; quia ex sua intrinseca vi habet, vt cum sit ad plura indifferens, possit se determinare ad vnum potius, quam ad alterum; duplex autem, vt alibi dictum est, in ea considerari potest determinatio, quoad speciem, & quoad indiuiduum, sicut dupliciter libera est, & libertate specificationis, & libertate exercitij, libertas specificationis consistit in hoc, quod possit ex duabus oppositis speciebus se determinare ad vnam potius, quam ad alteram, puta ad amorem inimici, quam ad odium, circa enim inimicum, & actu amoris versari potest, & actu odij, qui specie differunt, & hæc est libertas voluntatis specificationis, libertas exercitij, quæ etiam dicitur contradictionis, sicut libertas specificationis dicitur contrarietatis, est ad exercendum actum aliquem, vel non exercendum, puta ad eliciendum actum beneficentiæ, vel non eliciendum sine vllo contrario, cum ergo hac duplici libertate libera sit voluntas, duplici etiam determinatione determinare se potest; quia si ab extrinseco determinetur sine intrinseco labefactatur ipsius libertas; determinat ergo se voluntas quoad speciem, puta ad amorem potius, quam ad odium, & quoad exercitium, nimirum ad exercendum actum amoris, cum possit cessare; sed vnum est in quo indiget ab extrinseco determinari, & est, cum vult v.g. exercere actum amoris, cũ possit plures in indiuiduo elicere actus amoris eiusdem intensionis circa idem obiectum solo numero differentes, ex se non habet, quod possit se determinare potius ad actum amoris A, quàm ad actum amoris B, quia talis actus in indiuiduo non cognoscitur, se autem determinare non potest sine cognitione eius, ad quod se determinat; vnde cum determinatione causæ liberæ intrinsecè est connexa cognitio; indiget ergo in hoc determinatione Dei; quare quoad speciem causa libera determinare se potest: quia vtranque oppositam speciem cognoscit; potest se determinare quoad exercitium, quia etiam notum habet, quid sit operari, & cessare ab operatione; adde potest se determinare quoad indiuiduum, non omnino signatum, & particulare, sed si placet dicatur vagum; puta ad actum certæ circumstantiæ, vel intensionis, non tamen prorsus ad hoc: Quia ei, vt sic incognitum, & voluntas potest velle exercere actum cum tali intensione, vel alia tali ratione diuersum; non tamen potest se determinare quoad indiuiduum determinatum; quia ex se non habet, vt inter duos actos eiusdem omnino rationis eliciat potius vnum, quam alterum, cum ad vtrumque sit indifferens, & neutrum cognoscat secundum vltimas rationes, per quas distinguitur.

Quare.

Dicendum, causæ secundæ quoad speciem determinãt primam, quoad indiuiduum determinate acceptum, & non vage determinantur à prima; patet hæc cõclusio ex dictis, & confirmatur; quia cum causæ (loquimur de naturalibus, vt contra distinguntur à liberis) agant secundum exigentiam suæ naturæ, & vna quæque res ad suam naturam determinata sit, si Deus vult concurrere cum ipsis iuxta exigentiam naturarum ipsarum necessario posito hoc decreto obiectiuè determinatur ad talem speciem effectus à causis secundis, cùm quibus concurrit; at si sermo sit de causis secundis liberis, posito etiam decreto Dei, quod velit cũ ipsis concurrere iuxta exigentiam ipsarum, causæ secundæ determinant primam quoad speciem: Quia cum cognoscant practicè quid sit amare, & odisse, ad alteram partẽ se determinare possunt, ad libertatem autem actiuam spectat, vt se determinet, non determinetur: ob eandem causam neque determinantur quoad exercitium, cum ad hoc sufficienter se determinare possint, & contra ipsarum libertatem sit, vt ab extrinseco determinentur; vnde

quoad

quoad speciem, & exercitium, dum causæ secundæ libere agunt, causa prima determinatur à secundis, non è contra: determinatur vlterius causa prima à secunda in duobus primò quoad indiuiduum vagum, puta ad actum certæ circumstantiæ, vel intensionis, & ad aliquod indiuiduum, etiam determinatum, sed obiectiuum, puta ad hanc rationē assumēdā ad probādū, ad amādū hāc numero personā &c. nā per illam potest cognosci aliquod indiuiduum, circa quod versatur, vel versari debet voluntas, vt proinde ad illius prosequutionem, vel fugam, ad agēdum circa illud, vel non agendum satis se determinare possit volūtas, nec possit determinari à causa prima sine præiudicio suæ libertatis, at quoad indiuiduum determinatè, & particulariter omnis causa secunda effectiua, & libera, & non libera determinatur à prima, vt dictum est. Ad rationes quatenus sunt in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod determinare in moralibus spectat ad digniorem, & superiorem, & sic Dominus determinat per suum imperium seruū, Princeps subditos, amicus dignior minus dignos; at in physicis determinare spectat ad causam, quæ ex sua natura determinata est; causæ autem secundæ quoad speciem sunt determinatæ, qualis nō est causa vniuersalis; in liberis determinare spectat ad ipsum principiū libertatis, quoad illa, in quibus liberum est.

Ad secundam respondeo dicendū in causis naturalibus non requiritur cognitio obiecti propter determinationem quoad speciē, cum sufficiat ipsarum natura, quæ præsupponitur ad agendum: in causis liberis sufficit cognitio aliqua obiecti, etiam si non ità clara sit; solum illa ratio probat ad causam primam spectare determinationem in indiuiduo sumpto determinatè.

Ad tertiam respondeo dicendū, quod ista determinatio, de qua loquimur, non concernit subordinationem, quæ est subiectio, & arguit imperfectionem; sed solum concernit naturalem, & intrinsecam connexionē duorum, quæ est inter causam primam, & secundam propter dependentiam secundæ à prima, non primæ à secunda.

Dices causa secunda dependet à prima, nō prima à secunda; Ergo prius est causam primam agere ad effectum, quam agere secūdā; Præterea dependentia causalitatis, quæ est in causa secūda ad primā, vel expectat motionem primæ causæ, vel non expectat; si expectat, ergo aliquid est in causa secunda à prima antecedens actualem causalitatem, quod ipsam determinat: si non expectat; ergo causa secunda agere potest de se sine subordinatione, & dependentia ad primam, quod falsū est. Respondeo dicendum, quod prius est causam primam agere ad effectum, quam agere causam secundam propter duo; & quia effectus ex natura rei, vt ens per participationē magis dependet à Deo, quam à causa secunda, licet secundum aliquam aliam rationem dici possit magis pendere à causa secunda. Secundo. Quia ipsum agere in causa secūda est cum dependentia à Deo, quatenus vis ipsa causæ secundæ pendet à Deo in omni functione reali entis; Quoniam vt aliquid participatum ab ente per essentiam dicit intrinsecam & essentialem ex natura rei dependentiam ad ipsum, vt sine quo nec esse potest, nec exercere vllam actu functionem entis; non autem ex aliqua actuali motione primæ causæ in secundam, quæ habeat terminū distinctum ab ipsa virtute causæ secundæ, vel eius effectu, prioritas illa dependentiæ est, vt magis patebit articulo sequenti.

Ad rationes secundæ partis quatenus sunt contra conclusionem. Ad primam, respōdeo dicēdū, quod determinatio quoad indiuiduū sumptum determinatè, & elicitiuè nihil pugnat cum libertate; pugnat autem determinatio quoad actū in specie, & in indiuiduo vagè, vel quoad exercitium, & cessationem.

Ad secundam respondeo dicēdū, quod licet Deus determinet causam secundā quoad indiuiduum determinatè elicitiuè, non sequitur reproductio; quia illam determinat iuxta exigentiam naturæ ipsius, & rei producendæ, quæ volunt nouum effectum.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod cū hoc quod Deus determinet ad indiuiduū determinatū elicitiuè, stat vt causæ secundæ possint se determinare ad indiuiduum determinatum obiectiuè, & sic ille, qui vult vti certa ratione ad argumentandum se determinat ad certum indiuiduum obiectiuè, sed non elicitiuè; quia non potest se determinare ad vtendum illa ratione per hunc numero actum intellectus potius, quàm aliū omnino ei similem, per hanc potius numericam prolationem verborū, quā aliā omnino ei similem; ità etiam Deus determinat ad hoc

hoc numero iudicium erroneum elicitiuè, ad hanc numero malam voluntatem eliciti-uè; non autem determinat obiectiuè, quia intellectus erroneum iudicium habet ex deceptione obiecti, vel perturbatione affectus vel alia huiusmodi causa; mala voluntas est ex libero arbitrio ad eam se obiectiuè determinante, saltem in actu exercito, nō à Deo.

Art. 3. Vtrum concursus causæ primæ cum secundis ponat in secundis aliquid præuium ad effectum, & per modum principij actiui.

PRo sententia affirmatiua sit Prima ratio, causa prima mouet secundam ad agendum; sed non potest mouere nisi ponat in ea aliquid præuium per modum principij actiui; ergo: maior patet auctoritate cõmuni minor probatur; quia si aliquis tantum agat cum alio non dicitur illum mouere ad agendum, sed mouebit si habeat aliquam actionem circa illum, vt persuasionem, motum localem &c. ergo si causa prima mouet secundas ad agendum aliquid debet in illis ponere præuium per modum principij actiui.

Secunda ratio. causæ secundæ sunt instrumenta primæ, & non, vt sunt accidentia substantiæ; vt patet; ergo vt instrumenta artificialia sunt instrumenta artificis; sed hæc recipiunt aliquid in se ipsis ab artifice, vt certum est experientia; ergo & causæ secundæ à prima. Pro contraria sententia sit.

Prima ratio, vel cum ignis est proximè acturus in lignum Deus ponit in illo aliquā qualitatem actiuam, & hoc non; quia ignis per suum calorem, & siccitatem, ac per suam formam substantialem sufficienter intelligitur potens ad agendum: vel ponit aliquam motionem localem, & hoc non, vt patet experientia; præterquam quod omnis talis motio localis impertinens est ad actionem: ergo nihil præuium in illo ponit Deus.

Secunda ratio, si Deus poneret in causis secundis tale principium actiuum tolleretur libertas causarum liberarum, quod est absurdum, quod tolleretur libertas probatur; quia si antequam voluntas eliciat vllum actum, quo se determinet, causa prima ponit in ipsa aliquid per modum principij actiui, posito eo principio, non potest non agere: ergo tollitur eius libertas.

Pro solutione.

Notandum nos hic non agere de efficacia auxilij supernaturalis, quod pertinet ad materiam de auxilijs; sed solū de concursu causæ primæ cū secūdis in naturalibus. Certū igitur esse debet, quod Deus ab initio dedit causis secundis quidquid erat ipsis necessariū in suo ordine ad agendum; nam cum Deus perfectissime omnia constituerit, vt proinde dicatur fecisse omnia in numero, pondere, & mensura, id est exactissima arte, & absolutissimo artificio, vt nihil in creatis redundet, nihil desit, fieri non potest, vt ad hoc, vt causæ secundæ operentur, indigeāt aliqua noua virtute creata ad agendum: ignis siquidē ad calefaciendum à principio accepit calorem; calor est virtus calefaciēdi non inchoata, nō diminuta, sed adæquata, & sufficiens in suo ordine, vt nullo pacto necesse sit accedere ad ignē aliā aduentitiā virtutē, per quā calefaciat, vlterius nec per istas virtutes, quas vellet fortasse aliquis addi causis secūdis à causa prima tollitur difficultas, & expletur cõcursus causæ primæ, qui necessarius est secundis.

Considerandum siquidem est, quod huiusmodi virtus, quæ adderetur causis secundis per modum principij actiui esset quid creatū quod exercere non posset suam actionē sine concursu, & dependentia actuali à causa prima, nisi dare velimus aliquid creatum à Deo independens; præterea causæ secundæ, quibus additur tale principium actiuum, vel agunt per suam natiuam virtutem, vel non agunt, secundum dici non potest, nisi tollere velimus omnes virtutes actiuas: ergo primum, si agunt quoad hoc dependere debent à causa prima non solum, quia ipsarum actiones nō minus sunt ens per participationem à primo ente, ac sunt ipsæ causæ; sed etiam quia omnia genera causarum secundarum, dūmodo non sint negationes, & priuationes, sed sint quid positiuum, quodcumque illud sit, immediatè dependent à Deo; Ergo illa ipsa virtus, quæ propria est causarū secundarū, & semper cū ipsis est, dū sunt, depēdet intrinsece sine addito à Deo, & in actū exire nō potest sine depēdētia à Deo: ergo quæcūque addatur motio, impertinēs est ad saluādā depēdētiā causarū secūdarū in operādo à prima, cū hæc imbiba-

tur in toto eo, quod est virtutis, in causa secũda, & in ipsamet operatione causæ secundæ, & præcisa quacũq; alia motione, siue terminata ad causã secũdã, siue ad effectũ eius nisi intelligatur intrinsece in ipsa virtute causæ secũdæ, & in effectu vt exeũte à virtute operatiua Dei, quæ est eius voluntas efficax, non saluat, quia penitior, & intimior est hæc depẽdẽtia creatorũ effectuũ, & creatarũ virtutũ actiuatũ ad Deũ, quã vt saluari possit per aliquid ipsis nõ idẽtificatũ: vnde cũ non tollat difficultatẽ ponere, quod cõcursus causæ primæ cũ secũdis sit aliquid præuiũ per modum principij actiui, & adhuc necesse sit dare alium concursum.

Dicẽdũ cõcursũ causæ primæ cũ secundis nõ ponere in secũdis aliquid præuiũ ad effectũ, & per modũ principij actiui ipsas physice determinãs; Patet ex dictis, & cõfirmatur quia posito hoc principio, non esset in manu Dei impedire actionem causæ secũdæ, quod derogat sũmo imperio ipsius in omne ens. Secũdo dũ creatura rationalis operatur malũ nõ potest ad illud à Deo prædeterminari per aliquã motionẽ, & principiũ factũ in ipsa, quia hoc plus esset, quã tentare, cũ tamen Deus intentator malorũ sit, & neminẽ tẽtet. Nã certũ est visa pulchra re per sympatiã potẽtiarũ inclinari maxime volũtatẽ ad illã prosequẽdã, si ergo Deus tũc addat suã prædeterminationẽ ad actũ prosequutionis, & volũtatẽ sua infirmitate labãtẽ, & per sympathiam ad appetitũ sẽsitiuũ inclinatã, ipse sua motione, & prædeterminatione per modũ principij positi in ipsa impellat, certe magis Deus tẽtator erit, quã Diabolus, cũ intrinsece impellat præcipitãtẽ, quod non facit Diabolus, qui solũ proponit obiectũ. Quare nõ prædeterminat Deus causas secũdas per suũ concursũ, qui sit aliquid de nouo factũ in ipsis, vt ex dictis manifestũ est, sed cõcursus Dei dicit pro principio ad intra, eius decretũ, & omnipotẽtiã, siue volũtatẽ efficacẽ in actu, ad extra est virtus creata, & res, quę t, nõ quomodocũq; sed vt actu per Diuinã virtutẽ accipiãs esse, illa vt in ea functione reali agendi non valens sine diuina virtute, quæ dependentia, tam in re, quæ fit, quam in virtute creata agẽte adeo est intrinseca, & essentialis, vt ab eis realiter separari non possi.

Dices, ergo per solã virtutẽ causæ secũdæ, fiũt actiones Respõdeo negãdo consequẽtiã, quia verã virtus Dei cũ virtute causæ secũdæ influit in effectũ, imo sine illa virtus causæ secũdæ non influeret; sed sicut nõ esset nisi eã Deus cõseruaret, ita nõ ageret nisi eam iuuaret Diuina virtus, & simul cum ipsa poneret in esse actionem, & faceret effectum.

Obijcies. cõcursus causæ primæ in effectũ, est simultaneus concursui causæ secundæ, ergo aliquid aliud præter concursum in effectũ habere debet causa prima, per quod moueat, & determinet causam secundam.

Probatur consequentia, causa secunda nõ est in actu primo complete per concursum causæ primæ in effectum; ergo per aliquid in se quo determinetur. Probatur minor; quia cõcursus Dei in effectũ, sicut dictũ est, simul est cũ cõcursu causæ secũdæ, sed antequã concurrat causa secũda, iã debuit esse in actu primo cõplete, prius enim est in actu primo cõpleto, quam in actu secũdo: ergo ante simultaneum concursum Dei in effectum, alius dari debuit concursus in causam secundã, per quem fiat in actu primo completo; hoc autẽ cum non possit esse nisi aliquid physicũ, quod causam secundam physicè determinet, consequenter dicendum est causas secundas prędeterminari physicè à prima.

Respondeo dicendum, quod causæ secũdæ fiunt in actu primo complete per duo, per suam virtutem actiuam vnà cum conditionibus requisitis ad agẽdũ passi dispositi, approximationis, & reliquarum circumstantiarũ, & per cõcursũ Dei, qui stat dupliciter, & partim quidem se tenet ex parte causæ, partim vero ex parte effectus; ex parte causæ dicit, quod eadem voluntas, qua Deus instituit causas secundas ad agendum, censeatur durare, & non retractata per aliquam aliã voluntatem; nam si diuina voluntas nolit ignẽ exercere suam virtutem combustiuam, non combureret, sicut ignis in fornace Babylonica respectu trium puerorum. Præterea dicit idẽ Dei concursus ex parte causæ, quod Deus sit paratus cum illa concurrere in effectũ; nam cum effectus sit ens per participationem non potest solis viribus causæ secundæ quantumcumque augeantur exire de non esse ad esse, cum semper auxilium Dei prius ratione, quã intelligatur tendere in effectum, respicere debeat causam secundam, non vt aliquid in ea ponens, sed vt aliquid requisitum ad coagendum, & paratum simul cum illa concurrere in effectum, simile est in anima, & potentijs eius in opera vitæ; solæ potentiæ, sup-

posito quod sint distinctæ, non possunt in opera vitæ, vnde simul cum illis concurrere debet principium vitæ, quod est anima; influxus autem animæ in opera vitæ, cum sit principale, censetur se habere ad potentias, vt illas complens in actu primo; vnde dupliciter cōsiderari potest influxus ille, & in effectum, & vt prius ratione complens actiuitatem potentiarum, non aliquid de nouo in eis ponens, sed simul cum eis, sine quo tamen ipsæ non possent in effectum, in quo habet iam aliquam rationem prioris, cum ex ipso sit, vt ipsæ potentiæ possint in effectum: eodem modo concursus Dei, qui vt in effectum, dici potest simultaneus cum concursu causæ secundæ, cùm sit id, sine quo causa secunda non agit, vt respicit causam secundam prius est se ipso, vt in effectum, & prius est ratione concursu causæ secundæ in effectum, ac proinde causa secunda non influit in effectum sine concursu causæ primæ, & antequam influat censetur in actu primo complete per concursum causæ primæ paratum, non ponentem aliquid in ipsa, sed dicentem aliquid, cum quo ipsa, & sine quo nec ipsa, scilicet agere potest. Itaque ad argumentum in forma distinguendum est antecedens, cum Dei concursus secundum vnam rationem habeat rationem simultanei, secundum aliam habeat rationem prioris, & ex distinctione neganda consequentia. Ad probationem distinguenda est minor de concursu in effectum, vt in effectum, & vt complente prius ratione exigentiam causæ secundæ intellectis tamen simul alijs, quæ prius diximus requiri ad hoc vt causa secunda sit in actu primo, & neganda consequentia. Ad secundam probationem quid dicendum sit patet ex dictis. Atque hæc, quæ tradita est doctrina, vlterius corroborari potest ex duobus primum quidē, qđ quidquid fingatur poni à Deo in causa secunda, vt hæc complete intelligatur in actu primo adhuc, intelligi debet cōcursus Dei paratus ad adiuuādam illā, ad faciendum effectum, vt sine quo causa secunda in effectum non potest, in quo vt apparet talis concursus habet rationem prioris respectu causalitatis causæ secundæ, ac proinde nisi hoc pacto intelligatur Dei concursus, remanet difficultas, etiam posita physica determinatione; quia prius est, quod omnis effectus vt ens dependens, & per participationem sit à Deo quàm à causa secunda, si autem solum sit à concursu Dei, vt habet rationem simultanei cū cōcursu causæ secūdæ, nō melius, sed eodē modo dependebit à Deo, quo à causa secūda, vt apparet. secundū est, qđ illa prædeterminatio physica derogat naturis causarum secundarum, vt quas in suo ordine non sinat esse causas sufficientes, cùm in se adhuc debeant compleri.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod si sermo sit de meris causis naturalibus, & nihil loqui velimus de causis secundis, vt à Deo præparantur ad opera supernaturalia, dicūtur moueri à causa prima ad operandū duplici de causa; prima, quia causa prima illis cōstituit finem; operantur enim propter finem, quem ipsæ non cognoscunt, sed intendunt vt subsitant directioni causæ primæ; Secūda est, quia cum illis coagit causa prima, sine cuius concursu quia nihil agerent, dicuntur ab illa moueri; quoniam in hoc habent aliquam similitudinem cum instrumentis artificialibus, quæ nihil operantur ad opus artificiatum nisi coagat artifex; quamquam deinde disparitas est, quod in instrumenta artificialia artifex influit motum, cum prima causa in secundam non influat motum, sed simul cum causa secunda influat in effectum.

Ad secundam respondeo dicendum, quod aliquo pacto causæ secundæ possunt dici instrumenta Dei; simpliciter tamen instrumenta Dei dici non debeōt; possunt appellari instrumenta Dei quatenus dependent à Deo in agendo, nō sunt simpliciter instrumenta Dei; quia propriè, & rigorose instrumentum est, vt diximus, quod in ordine causæ secundæ agit vt quid alterius, ac proinde non solet sibi assimilare effectum, & est illo vt plurimum imperfectius; cùm tamen causæ secundæ, de principalibus loquendo, & in suo ordine habeant sufficientem virtutem, & assimilent sibi effectum, & sint effectu, vt sic nobiliores, ipsisque non Deo ascribatur effectus; quare cum Sancti vocant causas naturales instrumenta Dei intelligi debent in primo sensu, & quatenus causæ secundæ naturales exequuntur ea, quæ Deus ab æterno decreuit, quo sensu in moralibus, qui exequitur voluntatem alicuius, appellamus eius instrumentum.

Am

Art. 4. Vtrum causa prima per se immediatè conseruet omnes causas secundas, & earum effectus.

Certa est sententia affirmatiua, quam tradunt communiter Patres Aug. lib. 4. de Genesi, ad literam, Gregor. Nazianzenus oratione secunda de Theol. Greg Mag. 16. moralium. cap. 18. Damasc. & alij, & sequuntur Scholastici communiter.

Pro contraria tamen opinione negatiua possunt esse hæ rationes.

Prima si Deus immediatè semper conseruaret res creatas sëper illas produceret; sed hoc est inconueniens, & contra communem opinionem; nemo enim putat nunc Deū producere terram, vel cœlum, sed semel produxisse initio Mundi, sequela probatur; quia continua conseruatio immediata, est continua productio; nam actio, per quam influit esse in rem, est productio; talis autem est immediata conseruatio. ergo.

Secunda ratio. res incorruptibiles non possunt corrumpi; ergo dato, quod productæ sint, destrui non possunt: non ergo indigent conseruatione.

Tertia ratio. si necessario res omnes conseruantur à Deo, res incorruptibiles sunt corruptibiles; sed hoc implicat contradictionē: nō ergo res omnes conseruantur à Deo. probatur antecedēs; illud est corruptibile, quod per corruptionem potest desinere esse; sed si res incorruptibiles indigent conseruari à Deo, sine tali cōseruatione desinerent esse, & corrumperentur: ergo res incorruptibiles essent corruptibiles. Pro sententia affirmatiua vera sunt hæ rationes.

Prima auctoritas Patrū, & Ecclesiæ, quæ errare non potest, & testimonia scripturæ, quæ est regula infallibilis, Sapien. 11. quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatū non esset conseruaretur, psal. 138. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua vtiq;. conseruando, Actorū 17. in ipso viuimus, mouemur, & sumus, quōrum duo viuimus, & sumus significant perpetuam conseruationem. Io. 5. Pater meus vsque modo operatur, non operaretur autem vsque modo, si desineret. conseruare cœlum, quod semel produxit. In hanc scientiam etiam intellexit Gregorius verba illa Iob. c. 23. Deus solus est scilicet absque dependentia, & conseruatione ab alio, & illud Exodi. 3. ego sum qui sū.

Secunda ratio, implicat esse vllum ens independens eam in fieri, quam in esse præter Deū: ergo omne ens a Deo perpetuo dependet, & conseruatur; probatur antecedens, quia ens independens est ens per essentiam, qui est Deus.

Tertia ratio. nisi omnia in fieri, & in esse dependerent à Deo non posset Deus omnia creata annihilare; consequens est falsum; ergo & antecedens; probatur sequela, quia annihilatio est desitio alicuius rei in nihilū; si ergo creata nō pendent in conseruari à Deo, non posset Deus redigere in nihil, v.g. Angelum, animam rationalem &c. nam si debet hæc corrumpere, vel corrumpit per subtractionem suæ conseruationis, & habetur intentum, vel corrumpit per productionem contrarij, dicta autem contrarium non habent, & huiusmodi corruptio non esset annihilatio; quia actio Dei primario tenderet in positiuum; at annihilatio primario est ad negatiuum: ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod duplex est conseruatio, vna est per accidens, alia per se, per accidens est, quæ directè nō influit esse in rem conseruatam, sed tantum remouet contraria, & corrumpentia rem, quomodo vnus homo conseruat alium hominem impediendo casum lapidis, qui hominem occideret; conseruatio per se adhuc est duplex vna indirecta, & remota, alia directa, & proxima; indirecta, &c. remota à sole dicuntur conseruari hæc inferiora, quatenus nimirum producit qualitates, & dispositiones, sine quibus res naturales conseruari non possunt; conseruatio proxima, & directa consistit in permanentia influxus in illud esse, quod in productione communicatum fuit; qua conseruatione conseruans immediatè concurrit ad esse rei conseruatæ, vt luminosum ad esse luminis, & de hac secunda cōseruatione quæritur an Deus res omnes conseruet, non solum materiales, & corruptibiles, sed immateriales, & perpetuas; pro quo cōsiderandum est, quod decisio huius controuersiæ haberi potest ex duplici capite, primum ex reuelatione ipsius Dei, ipse enim solus scit perfectissime quomodo res omnes se habeant, & ex hoc capite iam

Vbi-

patet pars affirmatiua, cum sacræ scripturæ, & patres manifestè doceant omnia cõseruari à Deo, & ipsius quasi manu teneri iuxta
Ps. 138. illud. Et tenebit me dextera tua, vnde ista conseruatio à Theologis dicitur manu tenentia; vt enim quod manu tenetur, cadit, si illud deserat manus; sic & quodcumque esse creatum in suum nihilum redit si à manu Dei conseruatiua deseratur.

Secundo haberi potest decisio huius controuersiæ ex ratione, ratio autem peti debet ex natura entis creati, quod ab intrinseco, & essentialiter est dependens, idest dicens intrinsecam attributionem ad illud, quod est per se, & primum ens: sicut accidens naturaliter dicit attributionem ad substantiam, sine qua proinde iuxta ordinem naturæ esse nõ potest; & lumen ad luminosum, sine quo in esse non conseruatur, sed esse desinit; ità, immo multo magis ens quodcumque creatum ex intrinseca sua natura pendet ab ente per essentiam: nam nihil creatum respectu alterius entis creari, etiamsi hoc sit eius causa, ità est non ens, & ex se nihil sicut ens creatum est non ens, & ex se nihil respectu entis increati, & ratio est, quia omnia entia creata in hoc sunt paria, vt ex se sint nihil, & solus Deus sit à se, qui proinde interrogatus à suo
Exo. 3. amico Moise, quis esset, respondit. ego sum qui sum. nullum ergo ens creatum potest habere respectu alterius entis creati, quod habet Deus respectu totius entis creati, cùm omne creatum sit ex potentia, & ex non ente; ipse solus Deus gloriosus actus, & à nullo dependens, sed ex se semper in actu: cum autem, sicut alias dictum est, ex eo, quod est actu, esse debeat quod de se solum potentia est, & actu nõ est, omnia creata esse debent à Deo; sed si aliquarum causarum ea est perfecta ratio respectu suorum effectuum, vt sinè ipsis nullo modo possint esse effectus, vt dicebamus de luminoso, & luce; certè prima causa hoc melius, perfectiusque habebit, cùm ex natura rei maiorem dependentiam ad ipsam dicat, quod ex se nihil est, qualis est omnis creatura, quam dicat vna creatura ad aliam, idest vnum, quod ex se nihil est ad aliud, quod ex se quoque nihil est; à prima ergo causa essentiali dependentia pendebit quidquid creatũ est, vt proinde sine tali dependentia esse nõ possit; sed dum retinet esse hanc retineat dependentiã, quod est ipsum perpetuo conseruari, & quasi manu teneri à prima causa; Et sanè si talis dependentia aliquo pacto possibilis est inter creaturas ad inuicem, quomodo non magis dicemus esse possibilem inter creaturas, & creatorem; si autem nullus sanæ mentis dicet non esse possibilem, certè inter creaturas, & Deum de facto est, primum quidem, quia aliter esse non potest, cum non possit ens creatum non esse ens per participationem, & dependens: secundo vero, quia si per impossibile aliter esse posset; tamẽ uerè, & merito Deus sibi in hac arcta potestate retinuisset suas creaturas. Quis enim Dominus, qui possit semper habere in sua potestate seruum sine vllo incommodo, & nihil seruo debeat, & melior non fiat seruus libertate donatus, sed deterior, peiusque habeat, & velit manu mittere seruum, certè talis Dominus satis insipiens esset, & sibi iniuriosus, ac seruo suo malus. At Deus bonus est, & summe sapiens, vt proinde non illud velit à se abdicare imperium, quod sibi gloriosum est, & creaturis suis vtile, salutare, & necessarium; hinc illa in scripturis sanctis. Domine Deus rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est Ester 13. qui possit tuæ resistere voluntati; ideo omnipotens, quia omnia in eius ditione; ideo non est, qui possit eius resistere voluntati; quia in eius ditione omnia; si enim ignis iam non penderet ab ipso, quomodo ignis non posset eius resistere voluntati, & multo magis, homo, & Angelus? Hinc in eisdem sanctis scripturis testimonia illa. Qui solus 1. Tr. 6. habet immortalitatem, non quod immortales non sint Angeli, & anima rationalis: sed, quia hæc comparata ad Deum deffectibilia sunt; quoniam si à Deo deserantur, illico in nihilum redigentur; Deus autem nullo pacto corrumpi potest, vt proinde solus dici debeat habere immortalitatem, quæ cum ità sint.

Dicendum res omnes creatas, non solum mediate, & remotè, sed immediatè, & proximè conseruari à Deo. patet hæc conclusio ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur ex operibus miraculosis, quibus aliquando Deus res vnius speciei conuertit in aliam speciem, vt corpus vxoris Loth in statuam salis, aquam in vinum, & in subita productiones visus, vt in cœco nato, & in alijs huiusmodi, quæ ostendunt immediatum imperium Dei in omnem crea-

creaturam; sed constare non potest huiusmodi Dei imperium, præsertim quoad destitionem, nisi omnia immediatè conseruentur à Deo: ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod productio propriè dicitur de prima effectione; vnde videtur esse cum nouitate essendi rei effectæ; si tamen latius sumatur pro quocumque influxu, quo res habet esse, dico quod omnia Deus perpetuo producit iuxta illud Allegatum Christi Domini, Pater meus vsque modo operatur; non dicimus tamen Deum semper producere cœlum, & terram, sed semel in principio Mundi produxisse; quia per producere intelligimus, dare esse de nouo, non conseruatum redatum.

Ad secundam respondeo dicendum, quod nulla res præcise comparata ad Diuinam omnipotentiam dicitur incorruptibilis, sed omnes sunt corruptibiles; nam solus Deus hoc pacto habet immortalitatem; dicuntur tamen aliquę res incorruptibiles primo comparatæ ad potentiam creatam; quia nulla sit potentia creata, quæ possit illas corrumpere; secundo comparatæ ad potentiam Dei ordinariam, idest operantem secundum decretum, quo res creatas ordinauit, iuxta ipsarum exigentiam; nam res, quæ non habent contrarium, & quæ in suo esse à nullo alio dependent, quàm à Deo, petunt semper esse, per quod dicuntur incorruptibiles, & æternæ, cum tamen sint corruptibiles comparatæ ad diuinam omnipotentiam absolutam, idest non determinatam per vllum diuini decretū, per quæ patet ad tertiam; nam non sequitur illud inconueniens, cum respectu diuersorum creaturæ dicantur incorruptibiles, & corruptibiles.

Obijcies si vera sunt, quæ de conseruatione dicta sunt, sequitur causas secundas nihil facere, & omnes productiones esse creationem; quia ista conseruatio est quædam continuata productio, qua totum in esse perseuerat; cum ergo sola vi primæ causæ hæc fit, sola ui primæ causæ, quod non est ex se, esse habet, ac proinde, & ex nihilo venit ad esse.

Respondeo dicendum, quod, & si conseruatio est quædam continuata productio; tamen non ideo causæ secundæ nihil agunt, sed vere causæ sunt, & operãtur; nam si duo traherent pondus, & deinde pondus in sublime tractum vnus solus suspensum retineret, verè duo in sublime traxissent pondus; licet deinde vnus solus sustineret; & si scriberet per manum discipuli magister, & per impossibile scripturam illã ne obliteraretur impediret Magister, verè duo scripsissent, & vnus scripturam conseruaret; ita productiones naturales, & generationes verè fiunt à causis secundis, & à causa prima in diuerso ordine, & si deinde producta cōseruet sola causa prima. In hoc enim vtrumque extremorum euitandūm est, & illorum, qui volunt omnia fieri à causis secundis sine prima, & illorum, qui volunt omnia fieri à causa prima sine secūdis, & causas secundas esse solum quædam signa effectionū; vtrumque enim erroneū est; neque qui loquuntur in lege Christianorum, hoc secundum dicunt, vt impius videtur voluisse calumniari. Auerroes 12. met. com. 18. dum putat à loquentibus in lege nostra asseri productiones omnes esse totius creationes; atque si ipse primum dicit, male dicit, vt multa alia, nos enim, & lex nostra neque primum, neque secundum dicimus, sed contrarium vtrique dicimus, cum velimus secundas causas verè agere, & velimus non sine concursu, & adiutorio primæ causæ agere, ac proinde oppositum dicimus vtrique errori, sicut & naturalis ratio docet, quam non vno loco supra iam explicauimus; neque ex concursu primæ causæ, quam ponimus cum secundis, illud sequitur; sicut neque ex eo, quod dicimus entia omnia creata esse à primo ente per essentiã, sequitur vt male quidam putauerunt, creaturas esse partes Dei, & illius habere esse, sed quasi in frusta concisum; hæc enim sūt delirameta intellectūs malè sanorum, non valentium de rebus rectè iudicare. Itaque, & creaturæ à Deo sunt, & tamen Deus non sunt, & virtutes habent à Deo vel immediatè, vel mediatè, per quas operantur, & vere operantur, & tamen sine Deo non operantur, & quæ operantur, sicut, & ipsę semper dum sunt sine Dei conseruatione non sunt, etiamsi non Dei solius operatione facta sunt.

Art. 5. Vtrum causa prima agat cum secundis immediatione virtutis, & suppositi.

Consequens est ad illa, quæ duobus proximis articulis dicta sunt, vt videamus. Vtrum Deus agat cum causis secundis immediatione virtutis, & suppositi; & quamquam ex dictis quid de hoc tenendum sit satis manifestum est, tamen ad abundantiorem doctrinam.

Notandum est, quod ille agit immediatione virtutis, qui agit per virtutem suam, quã in se habet: nam Princeps, qui agit per suum Magistratũ, potest quidẽ aliquo modo dici agere per virtutem suam, non tamen dicetur agere immediatione virtutis; quia virtus illa ipsius quidem est, sed mediatè; immediatè enim ipsius virtus in ipso est, quæ verò in alio, ipsius mediata est, ità virtus, qua calefacit sol, solis quidem est, sed mediata, quia medio lumine calefacit; quamquam in sententia illorum, qui putant solem immediate agere in totam suam sphæram, si per suam formam ad illam concurrat calefactionem, nihil impediet, quin dicatur agere sol illa actione immediatione virtutis. Itaque agit immediatione virtutis illud, quod agit per virtutem, quæ ipsius immediata est, & quæ in ipso est; quamquam immediatione virtutis agere quoque dici potest quod agit per virtutem, quam ipsum immediatè transmittit, quo pacto sol dicetur agere immediatione virtutis agens per lumen; agens verò per calorem dicetur agere mediatè; agit deinde immediatione suppositi illud, inter quod, & effectum siue passum aliud suppositum non mediat, ex G. si cum Deus concurrit ad effectum aliquem cum voluntate creata transmitteret in voluntatem creatam virtutem aliquam, per quam voluntas fieret potens in effectum, ipse verò se summo cœlo contineret, nec aliter concurret ad illum effectũ posset forte dici concurrere immediatione virtutis, secundo scilicet gradu immediationis; quia virtus illa, per quam operaretur voluntas Dei immediatè esset; non tamen concurreret immediatione suppositi, quia virtus hæc in alio supposito est, quod verè operatur & operationi immediatum est; idem Deus si postquam instituit causas secundas, eas sibi reliquisset, nec cum eis concurreret, non ageret cum causis secundis, nec immediatione virtutis, nec suppositi. At si Deus cum agunt causæ secundæ, & ipse eorum effectus operetur per suam met virtutem diuinam, quæ est suæ diuinæ essentiæ, suoque diuino supposito identificata, verè dicetur agere non solum immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi. Considerandum igitur est, quod sicut dictum est, Deus concurrit ad effectus omnes causarum secundarum, non solum, quia dedit causis secundis virtutem agẽdi, & has illis conseruat; sed etiam concurrit; quia effectus, cum sint entia per participationem, debent etiam pendere à Deo, & non minus immediate, quàm causæ ipsorũ, ita vt ad esse venire non possint ex non esse nisi cum causis secundis ipse Deus immediatè in effectus influat esse; cum ergo cum causis secundis immediatè esse influat, & per virtutem influat sibi, suoque diuino supposito identificatam, quodque per se immediatè agit effectũi debeat esse immediatũ, proindeque Deus vbique sit, vbique cum causis secundis, & immediatione virtutis, & suppositi operabitur, virtutis, vnde dictum est, qui operatur omnia in omnibus, & omnia opera nostra nobis operatus es Domine, suppositi, vnde scriptũ est, in ipso viuimus, mouemur, & sumus, &, si ascendendero in cœlum tu illic. &c. ex quibus.

Dicendum cum omnibus causis secundis operari Deum immediatione virtutis, & suppositi, patet ex dictis; & cõfirmatur; quia quidquid est reale creatum immediatè dependet a Deo, & dependentia quidem essentiali, à qua eximi ens creatum non potest, vt si fiat necessariò pro illo signo, non solum à causa secunda, sed etiam à Deo fit, ac proinde à Deo fiat, & consequenter immediatione virtutis: quia per potentiam, virtutemq; diuinam identificatam Deo; & immediatione suppositi; quia quod est in Deo diuina virtus realiter suppositum est quia Deus simplex est.

Art. 6. Vtrum inter res creatas aliquæ sint, quæ alias conseruent.

NOn est quæstio de conseruatione per accidens, & indirecta cum sit certum eam aliquibus rebus respectu aliarũ cõuenire, quęstio ergo est de conseruatione per se & directa; sententia affirmatiua, quod aliquæ res ab alijs propriè, & directè conseruentur, est omnino certa, quam nemo negat, dubium tamen est, quæ nam hæ sint.

Pro solutione.

Notandum, quod primo ab vniuoco nihil per se, & directè conseruatur; hoc cõstat experientia, & ratione, experientia quidẽ, quia vnus homo per se, & directè non conseruat alium hominem, aqua non conseruet aquam &c. ratione; quia processus in conseruatione abiret in infinitum; nam si vnus per se conseruatur ab alio, & alius per se conseruari debebit ab alio in infinitũ; quia nõ est maior ratio cur vnus non conseruatur, quàm alius; & hoc militat in omnibus rebus vniuocis; vlterius nulla videtur afferri posse sufficiẽs ratio, qua probetur vnã substãtiã effectiuè cõseruari ab alia, si sermo sit de substantia completa; restat ergo quod cõseruatio per se solũ sit accidẽtis alicuius à substantia, & æquiuoci ab æquiuoco. Considerandum igitur est, quod nec omne accidẽs, quod est causæ æquiuocæ ab ea cõseruatur; nã si producatur calor per motũ, vel ꝑ lumẽ remanet deinde, ẽtsi corrũpatur motus, vel lumen, vnde non põt ab illis conseruari. quærendũ igitur est, quod nam sit illud accidẽs, quod necessariò cõseruatur à suo efficiẽte; aliqui dicunt aquã v.g. retinere calorẽ cessãte actione ignis, aerẽ verò nõ retinere lumẽ cessante actione solis; quia materia aquæ est susceptiua caloris secundum eandẽ rationẽ, qua est in igne, aer verò non est susceptiuus luminis secũdũ eãdẽ rationẽ qua est in sole; quæ ratio quomodocumque sumatur magnã patitur difficultatem, itaque in vniuersum nõ videtur afferri vlla ratio, qua probetur de accidente; quod directè semper conseruari debeat ab efficiente; attamẽ illa, quę sunt, vt in præsentia manifestent suum obiectum necessario dependere videntur à suo efficiente, cuiusmodi sũt species sensibiles sẽsuũ externorum; non dependent tamen species intelligibiles, & species sensus interni; quia debent manifestare obiectum, etiam in absentia; vlterius perpetua conseruatione à suo efficiente indigent actus vitales, quia vt sic dicunt essẽtialem ordinem ad vitam in actu primo; itaque illa omnia, quæ ex natura rei, vel quod sint actualitas alterius, vt in quibus illud sit in actu secundo, vel quod ideo sint, vt coniũgant actu obiecto existenti, vel ob alium talẽ finem ostendunt immediatam dependentiã à sua causa, ab illa perpetuò conseruari debent cœtera conseruari non debent. Quare.

Dicendum nullam substantiam creatã directè, & propriè pendere in conseruari ab alia; nec effectum vniuocum à causa vniuoca; neque omne æquiuocum pendere effectiuè à sua causa æquiuoca, sed solũ illud, quod est institutum ad hoc vt sit, cũ est causa; quia scilicet sit ipsius præsentis manifestatiuum; vel quod sit vltima illius perfectio, & in actu secundo; vel quod ad talem perfectionem, aliamue similem immediatè ordinetur. patet conclusio ex dictis.

Obijcies nulla causa secunda potest habere influxum in suum effectum, qui proprius est causæ primæ; sed influere esse immediatè in effectum illũ retinendo in esse, est propriũ causæ primæ; ergo nulli causæ potest conuenire secundæ. prætereа omnia immediatè cõseruantur à causa prima: ergo frustra dicitur aliqua conseruari à sua etiam causa secunda.

Respondeo dicendum, quod & si aliqui effectus immediatè cõseruãtur à suis caussis secũdis; nõ tamẽ cõseruãtur ab illis sicut à causa prima; nã à causa prima cõseruãtur vt à fonte totius esse nõ depẽdẽte ab alio, à suis caussis secũdis cõseruãtur vt à depẽdẽtibus; simile quid aliquò pacto est in moralibus; nã aliqua sunt à Magistratibus, & ab illis immediatè depẽdẽt, & nõ durãt sublatã auctoritate illorũ Magistratuũ; aliqua sũt immediatè à rege; immo & illa, quæ dependent à Magistratibus simul dependent à regis potestate; nam si tolleretur regis auctoritas, illa iam nõ durarẽt, diuerso quæ modo dependent à Rege, & à Magistratibus, à rege vt ab independente, à Magistratibus, vt à subordinatis; per quæ tollitur etiam secundum, nam omnia in regno dependent à Rege, & tamen simul aliqua dependent à certo Magistratu, neque hoc est superuacaneum; quia & recta administratio id postulat, & negotiorum natura.

Art. 7. Utrum conseruatio differat à prima rerum productione; & quomodo.

QVod conseruatio aliquo modo differat à productione clarum est; quia productio dicit actionem, qua res accipit esse, cùm prius non esset; conseruatio dicit permanentiam in eodem esse, seu idem esse cum iam acceperit adhuc quodammodo accipere per actualem dependentiam à sua causa conseruante: tota ergo controuersia eo vertitur; vt videamus vtrum conseruatio distinguatur realiter, an formaliter tantum à productione: sunt duæ sententiæ vnâ vult distingui realiter saltem modaliter; altera solum formaliter siue ratione ratiocinata.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima, quorum vnum remanet & alterum corrumpitur ea distinguntur realiter; sed remanet conseruatio, & corrumpitur productio; ergo conseruatio distinguitur realiter à productione. maior p se patet minor probatur; quia nunc nō est amplius productio cæli, quæ fuit in principio Mundi, & tamen remanet ipsius conseruatio.

Secunda ratio, actio causæ secundæ, vt dictum est, est eadem cum actione causæ primæ; sed postquam v. g. productus est ignis, remanet actio causæ primæ, qua conseruatur ignis, & non remanet actio causæ secundæ; qua ignis productus est: ergo conseruatio nō potest idem esse realiter cum productione; quia productio vna erat realiter, & à causa prima, & secunda, quæ si eadem esset realiter cum conseruatione, verè adhuc remaneret actio, & productio causæ secundæ.

Tertia ratio, vna & eadem non potest esse realiter res permanens, & successiua; sed productio Ignis est successiua, vt suppono, & tamen conseruatio est permanēs, quia post productionem ignis in esse permanenti conseruatur à Deo: ergo non potest esse idem realiter productio, & conseruatio. Pro secunda sētētia, quod distinguatur solum formaliter.

Prima ratio, quæ sunt eadem cum tertio sunt eadem inter se; sed productio, & conseruatio realiter sunt idem cum re conseruata; ergo sunt idem realiter inter se.

Secunda ratio, nihil realiter est productio, quod non sit à causa prima; tunc sic, illud reale, quod est productio, duret aliquantulum post primum esse, vt dependet à Deo erit cōseruatio; ergo idem realiter erit productio, & conseruatio; nec tamen erunt idem quidditatiue, & formaliter: ergo productio & cōseruatio, vt sic, distinguuntur solùm formaliter.

Pro solutione.

Notandum, quod conseruatio est cōtinuata quasi actio, qua pōst mēsuram primæ productionis intelligitur res producta dependere à conseruante; productio vero est actio, qua dependenter à producente res producta primo ponitur in esse; vnde productio vt distinguitur à conseruatione dicit nouitatē essendi, & connotat non fuisse; conseruatio verò dicit iam habuisse esse, & in eodem per dependentiam actualem à sua causa permanere; vnde necessariò connotatiuè & formaliter productio & conseruatio distingui debēt. Considerandum igitur iam est, an inter se aliquam maiorem distinctionem admittant; & quidem quod realiter distinguantur ratione connotati, quando non omnino idem conseruat, quod produxit, certū est; si enim ignis productus est ab igne, & à Deo, & à Deo solo conseruatur; si productio accipiatur cum connotato producente, scilicet igne, certè realiter distinguetur à conseruatione, quæ dicit solum Deum; realiter etiam distinguetur proculdubio quando non omnino idem cōseruatur, quod fuit productum, ratione illius realis, quod non conseruatur, sed corruptum est, vt si producatur totum, & conseruetur tantum pars, conseruatio dici poterit realiter distincta à productione ratione cæterarum partium, quæ non conseruantur; dubium est, quando est idem productum, & conseruatum, vtrum non ratione connotati sed in se realiter distinguatur conseruatio à productione, pro quo. Aduertendum est, quod si actio non distinguitur realiter à termino, vt infra dicetur, dubium non est, quod conseruatio idem sit realiter cum productione; quoniam quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, ea scilicet ratione, qua sunt eadem in vno tertio, in suo autem termino idem realiter sunt, & idem realiter consequenter erunt inter se, vnde videtur.

Dicendum conseruationem vt sic non plus distingui à prima productione, quàm formaliter, siue ratione ratiocinata, dico vt sic, quia

vel ratione principij connotati, vel alicuius, quod erat in prima productione, quod iam non est, potest distingui realiter; patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur, quia secus nūquam posset Deus conseruare totum id, quod productum est, sicut totum id, quod erat in prima productione, quod est valde absurdum, & iniuriosum contra diuinam omnipotentiam; sequela probatur, quia si productio vt sic distinguitur realiter à conseruatione, illud, quod est realiter productio, à Deo conseruari non poterit; quia post primam mensuram, qua res producta ex non esse accepit esse, est conseruatio, ac proinde nunquam conseruari poterit à Deo totum illud, quod fuit in prima productione, nimirum illud, per quod productio realiter distinguitur à conseruatione.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quorū vnum remanet, & aliud corrumpitur connotatiuè solum, & formaliter, ea distinguuntur realiter, falsum est, vt alibi diximus; quorum vnum remanet, & aliud corrumpitur realiter, & adæquatè secundum id, quod dicunt realiter, ea distinguuntur realiter verum est; sed hoc non est in productione, & conseruatione, nam dum est conseruatio, solum corrupta est productio connotatiuè, & formaliter, non realiter; quare negatur consequentia.

Ad secundam respondeo dicendum, quód militat potius contra aduersarios; nam si eadem est realiter actio causæ primæ, & secundæ, & potest desinere actio causæ secundæ, remanente eadem actione causæ primæ, signum est, quod ad hoc vt dicatur desinere vnum, & remanere aliud, cum idem sint realiter, & formaliter distinguantur satis est, si vnū distinguatur secūdū vnam formalitatē secūdū quā distinguitur ab alio, & sic desinit actio causæ secūdæ; quia verè hæc nō amplius influit in effectū, ideoq; qđ effectū est, actualiter nō depēdet quoad esse à causa secunda, cū tamen adhuc actualiter pendeat à prima.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod si res successiua accipiatur indeterminatè, & sincathegorematicè, non est eadem realiter cum permanente; si autem accipiatur cathegorematicè idest accipiatur adæquatè, & in tota sua successione, potest esse realiter eadem; vnde calor quando est productus idem est realiter cum eo, qui producebatur, etsi productus sit successiuè, tum permanenter sit.

QVÆSTIO QVINTA

De Idea, siue de causa exemplari.

POst causam efficientem de Idea agimus; quia vel pertinet ad genus causæ efficiētis, vt postea dicet; vel certè cū ea magnā hēt connexionem, cum sit illi regula ad constituendum effectum; nam loquendo de agente intellectiuo hoc non potest ex intētione agere ad extra, opus aliquod efficiēdo, sine idea, quin temerè, & casu agat. de idea autē agentes supponimus an sit; quia manifestius est, quàm vt inquisitione indigeat dari ideam, cuius directione regulentur quicumque ex intentione finis operātur: de ea ergo solum erit quærendum sit ne causa, quid sit, cui conueniat ratio ideæ, & ad quod ex quatuor causarum generibus reducatur.

Art. 1. Vtrùm Idea habeat veram rationem causæ.

COmmunis sententia est, quod idea verè causa sit; In contrarium tamen pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima, nihil potest esse causa, & causatum respectu eiusdem, siue nihil potest esse causa sui ipsius; sed si idea esset causa causa esset sui ipsius: ergo non est causa; maior patet ex dictis supra; minor probatur, quia idea scāni est, & scamnū conceptum ab artifice artifex enim dum efficit scamnum, nihil aliud immitari vult, quàm scamnū à se conceptū.

Secunda ratio, causa dicit relationem ad causatum; sed relatiua realia debent esse inter se realiter distincta: ergo idea non potest esse causa; probatur consequentia; quia idea non potest esse realiter distincta ab ideato, vt apparet cum artifex vult efficere certū annulum, quem mente concepit.

Tertia ratio, omnis causa debet habere aliquem influxum in effectum; sed assignari nō potest, quem influxum habeat idea in ideatū: ergo idea non est causa. Pro parte affirmatiua probant hæ rationes.

Prima ex communi auctoritate Theologorum, & philosophorum, qui ideam vt causā

recipiunt, quique aliquando illam causam principalem, & primariam appellant.

Secunda ratio, omne artefactum per se pédet à sua idea; sed in definitione causæ dictū est, quod causa est id, à quo per se fit, & depédet effectus: ergo idea est causa; maior probatur; quia artificiatum in tantum bonum, & perfectum censetur, in quantum imitatur suā ideam, & illam perfectè refert; vt proinde bonum opus non censeatur, quod ex idea effectū non sit: ergo.

Tertia ratio, causa est illa, quæ redditur ad interrogationem propter quid, siue cur, ex Arist. supra; sed si quæratur cur imago Socratis sit síma, satisfieri non potest interrogationi nisi reddatur causa per ideam: ergo verè idea est causa.

Pro solutione.

Notandum, quod causa non eodem modo in omni genere accipienda est; neque omnis causa debet eodē modo influere in effectū, cū sufficiat ad hoc, vt aliquid causa sit, quod ad eā effectus dicat necessariā habitudinē; vt sine ea, vel sine æquiualenti esse nō possit, vt quæ concurrerè necessariò debeat ad ipsum ponēdum in esse. Considerandum igitur est, quod effectus per se esse non potest sine idea; nam effectus per se, vt contradistinctus ab effectu per accidens, & à casu, vel à fortuna, est ille, qui intenditur per se à causa operante; non potest autē per se intendi effectus sine aliqua idea; nam intentio præsupponit cognitionem rei intentæ, & quamquam multæ causæ physicæ cognoscitiuæ non sint, vel certè præconcipere non possint suum effectum, in effectū tamen diriguntur à prima causa; quæ propter effectum certam illis inclinationem indidit ad ipsum, vt proinde necesse sit omnem effectum præhabere suam ideam saltem in prima causa, à qua per se immediatè, vel mediatè procedat; quare nullus effectus per se esse potest sine necessaria dependentia ab idea, ac proinde.

Dicendum ideam verè esse causam, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur, quia ideæ diuinæ dicuntur effectrices creaturū; sed si non haberent rationem causæ non susciperent has denominationes: Ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam patebit ex dicendis inferius, vbi ostendemus, in quo consistat ratio ideæ, vbi etiam patebit ad secundam.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod influxus propriè est causæ efficientis; si tamen accipiatur pro necessaria dependentia effectus à causa dici potest, quod omnis causa influat in effectum, etiam idea, & certè sic accepto influxu, hæc non minus influit in effectum quam finis.

Art. 2. Utrum Idea bene definiatur.

Definit Ideam D. Thom. quæst. 3. de veritate art. 1. Exēplar (idem enim est idea quod exemplar) est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem; alteram definitionem tradunt recētiores sic. idea est forma, ad cuius similitudinem aliquid efficitur ab agente determinatè sibi finem, seu quam agens imitatur.

Neutra autem definitio videtur bona, prima rō. quia idea non est forma, patet de exēplari externo, quod sibi sæpe proponunt artifices, quod est quid materiale: ergo idea non est benè definita.

Secunda ratio, nulla res est sibi similis; sed aliqua res est sibi idea, ergo non bene dicitur idea, ad cuius similitudinem &c.

Pro solutione.

Notādum, quod idea propriè solum est in agente intellectiuo; qui cùm formaliter operetur propter finem; cognoscit effectū, ad quē ordinat suā operationē, quē vt certo & sine errore cōsequatur, indiget idea, & exemplari, quo infallibiliter dirigatur in effectū. Considerādū autem est, quod tria concurrunt quotiescumque agens per intellectum nō temerè operatur, primum est opus faciendum, quod tanquam finis debet mouere, & allicere artificē ad operādū; secūdū est huius operis imago & forma mente concepta, quam artifex præsentem habere debet dum operatur, ne in incertū, & temerè operetur: Tertiū, quod requiritur, sūt præcepta de modo, quo operādū, & vtēdū instrumētis artis: si enim practicè non sciat artifex hoc, vel illo modo esse faciendū opus, quod est habere præcepta artis, nihil efficere poterit; primū est finis, qui mouet ad agēdū; secundū est idea, qua agens dirigitur; tertiū est ars, qua vtitur artifex in agendo; cū ergo idea sit illud mente expressum, ad quod intuetur artifex, dum operatur, vt illius imaginem

ginem exprimat in suo opere, rectè dicta est idea forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finē; nā agēs ante ideā, vt dictū est, debet sibi finem operis determinare, tū ideā exprimere, quā necesse est quod imitetur effectus, si finis debet acquiri, & effectus nō ineptè fieri; hæc autē imitatio est passiua, quia cōsistit in hoc, quod effectus referat in se, & exprimat ideā, ad cuius similitudinē factus est, vnde & artifex facit effectū ad similitudinē ideæ, & effectus ideā imitatur, per quod apparet satis bonam esse vtramque definitionem. Quare.

Dicendum ideam esse formam, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem; patet ex dictis, & confirmatur; quia si artifex habeat aliquam ideam, & casu aliud intendendo efficiat opus, quod imitatur suam ideā, vt de illo dicitur, qui proijciendo spongiam effinxit spumā in ore equi, quam satis bene per artem exprimere nō poterat, tunc idea non habet respectu illius operis rationem causæ, neque opus rationem effectus; quia verè opus nō per se pendet ab idea; vnde vt per se pendeat necesse est, vt effectus imitetur ideam ex intentione agentis, qui illum intendat, ex quo patet omnes particulas in definitione ideæ benè esse positas, ac proinde totam definitionem esse bonam.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respōdeo dicendum, quod artifex, quando imitatur aliquod extrinsecum exēplar, illud tūc habet rationē formæ, quia exemplar nō dirigit artificē: vt est tale materiale; sed vt est talis figura, & expressio, quæ pro vt stat obiectiuè optimè dicitur forma, & sanè si vt vidimus de vniuersalibus prædicamenta vt sunt obiectiuè in mente, & respiciunt sua subiecta, dicuntur formæ, multo æquius quidquid obiectiuè diriget artificem, & imitabitur effectus erit forma obiectiua.

Ad secundam respondeo dicendum, quod aliquid vt est in rerū natura potest esse simile sibi, vt est in mēte; nā ex.g cū cōcipio Petrum qui nūc est Romæ, & illū benè cōcipio, vt est ipse Petrus, qui est Romæ, dici potest similis Petro; qui est in mēte mea, sicut & Petrus pro vt est in mente mea dici potest similis sibi ipsi existenti à parte rei Romæ. Dices non sūt duo Petri. Respondeo quod hoc quidem verum est, sed tamen idem Petrus habet duplicem statū, vnū obiectiuū, alterū à parte rei, quorū vnus potest esse sine alio, & remanere potest vnus destructo alio: nam si moriatur Petrus adhuc restare potest Petrus mihi obiectiuè in mente; & si non concipio Petrum, Petrus per hoc non desinit esse Romæ vt erat.

Art. 3. Vtrum idea sit res obiectiuè concepta.

QVod idea sit aliquid, quod stet obiectiuè in mente operantis, est communis opinio, & si non defuerint aliqui, qui dixerunt ideam esse ipsum conceptum formalem mentis, vt sic; sed hi manifestè confutantur communi experientia; experimur enim ideam scamni, vel statuæ esse aliquid, ad quod respicimus operātes; ad conceptum autem formalem, vt sic, mens respicere non potest; quia est id, quo debet mens in obiectum respicere; vlterius ex definitione, & communi sensu homini num ideatum debet imitari ideam; sed nihil imitari potest conceptum formalem mentis, vt sic; certum igitur est, quod idea est aliquid obiectiuum, grauis tamen est difficultas, quid sit hoc obiectiuum, sit ne res ipsa vt obiectiuè concepta, an potius ipse met conceptus formalis, vt reflexè cognitus, an aliquid aliud, quod sit in intellectu.

Prima sententia vult esse rem ipsam obiectiuè cognitā, licet in hoc auctores illius non nihil varient, nam aliqui dicunt esse eandem met rem singularem determinatam; alij etiā volunt esse quandam rem indiuiduā quidem, sed vagè acceptam, hanc sententiam sequuntur Connimbricenses 2. Phy. c. 7. quæst. 3 art. 2. & multi quos ipsi referunt, & refert Suarez To. 1. met. dis. 25. nu. 6.

Secunda sententia dicit ideam nihil aliud esse, quàm ipsum conceptum formalem vt reflexè cognitum, pro qua citatur D. Thom. prima parte qu. 15. art. 1. & 4. Alens. prima parte qu. 23. membro 4. art. 1. S. Bonauent. in primo dist. 35. art. 1. quæst. 1. eandem tenet Suarez, disp. 25. s. 25. & seq. Ruuius, & alij. Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima ratio, illud debet esse idea, quod obiectiuè dirigit artificem; sed hoc est res facienda: ergo res facienda est idea; maior patet; quia propterea idea ponitur, & est causa; minor probatur. cognitio, vt sic non dirigit artificem ad operandum, vt

vt res cognita: & q̄ spectat; sed solū vt id, quã cognoscit ideã.ergo nō est idea;antecedēs pro batur,idea,quā spectāt omnes artifices, dū faciūt sua opificia, est quid homogeneū cū opificio: ergo non est cognitio, consequentia patet; quia cognitio humana cum sit spiritualis, & impartibilis non potest esse homogenea cū rebus materialibus, & quantitatiuis, antecedens probatur,quia qui vult facere statuam decem cubitorum pro idea habet idolū seu exemplar decem cubitorum;cognitio autem non est decem cubitorum, cum sit omnino indiuisibilis, vlterius habet idolū eiusdem figuræ eorumdem colorum, lineamentorum &c. cum statua, quam vult facere, at cognitio non est figurata, non est colorata hoc,& illo colore,sicut debet esse statua:non ergo cognitio potest esse idea.

Dices ideam esse cognitionem non acceptam, vt qualitatem, sed vt repræsentatiuam statuæ; sed contra est, quia esse repræsentatiuum statuæ, vel est habere eandem quantitatem, eandem figuram, eosdem colores, & lineamenta cum statua; & hoc non; quia talis repræsentatio esset homogenea, idest per rē eiusdem rationis cum statua saltem quoad dicta, at cognitio, nec quantitatiua est, nec habet figuram, nec colores,nec lineamenta; vel est solum esse id, quo animæ apparet, & fit præsēs intelligibiliter res decē palmorū;talis figuræ &c. at hoc nō est esse ideã; quia ad ideã per cognitionem respicit artifex.cognitio vt sic est id, quo per mentem respicit artifex.

Dices ipsam cognitionem, vt reflexè cognitam esse ideam; sed cōtra est, primò,quia nos cognitionem nostram intuitiuè non cognoscimus, nec etiam per proprium conceptum, sed solum arguitiuè ex analogia, quã habet cum alijs actionibus immanentibus,cū alijs cognitionibus sensitiuis, cum imaginibus &c. & indirectè quatenus ab anima, vt à principio vitæ sentitur sua operatio, cæterū ipsa in se directè non cognitur; quia secus nō minus cognosceremus actus spirituales animæ, & ipsam animam, quàm cognoscamus sensibilia,cuius contrarium constat nobis experientia; secundò idea cognoscitur,& fit cognitione directa, vnde pictores,qui plurimū valent imaginatione viso vno certo homine statim possunt illū effingere absque eo, quod reflectant supra suam cognitionem; tertiò cognitio statuæ etiam vt reflexè cognita nō est decem palmorum, non est figurata, & colorata,vt debet esse idea alicuius statuæ decē palmorum: ergo cognitio etiam reflexè cognita non potest esse idea.

Secūda ratio, effectus imitatur ideam; sed effectus nullo modo imitatur cognitionem, sed rem cognitã: ergo cognitio non est idea; maior patet ex definitione ideæ; minor constat experientia, & vlterius sic probatur. Si imitatur cognitionem, vel illam imitatur vt est accidens,& qualitas spiritualis, & hoc nō, vt certum est, quia effectus est substantia, & materialis; vel imitatur, vt est imago rei cognitæ,& hoc non; quia non est imago homogenea, nec quantitatiua; figurata, &c. vt est res cognita, vt etiam manifestum est; sed est imago valdè diuersæ rationis, & quæ non quanta facit apparere quantum, non colorata: coloratū opificiū aūt artificis imitatur rē quantam, vnde est tantæ quantitatis, quantæ est idea,imitatur rem coloratam, vnde eosdē habet colores, quos videt artifex in idea:non igitur cognitio vlla ratione est idea, nisi per cognitionem accipiamus rem cognitã, vt sic.

Tertia ratio, in ideatis comparamus partes ideati ad partes ideæ; sed cognitio non habet partes;ergo cognitio non est idea. Dices habere partes repræsentatiuè; sed contra, quia comparantes ideatum ad ideam comparamus actuales partes ipsius ad partes actuales ideæ;habere autem partes repræsentatiuè in re subiecta est repræsentare partes,cū actu nullas partes habeat.

Quarta ratio est ab auctoritate philosophi,qui 7. Met. Tex. 30 ait Domum in materia fieri à Domo, quæ est in mente artificis, quod idem asserit de sanitate, & t. 23. habet illa verba: ab arte autem fiunt, quorum forma in anima, formam autē dico ipsum quid erat esse vniuscuiusque, & prima substantia; sed ipsum quid erat esse, & prima substantia domus non potest esse conceptus formalis mentis, nec ipsa cognitio: ergo est ipsum met obiectum & domus v.g. pro vt est obiectiuè in mente; prima enim substantia est res ipsa singularis. Pro contraria sententia sunt hæ rationes.

Prima ratio ac principalis petitur ab ideis diuinis; nam eadem debet esse ratio proportionaliter de ideis diuinis in Deo, & de creatis in nobis, sed ideæ in Deo non sunt res, sed ipsa diuina essentia: ergo neque in nobis ideæ erunt res, sed nostra cognitio ad summum reflexe cognita, quæ in nobis respondet diuinæ

uinæ essentiæ, vt est terminus diuini intellectus; maior patet, neque enim potest afferri ratio, cur non eodem modo procedat idea proportionaliter in nobis, & in Deo; minor probatur auctoritate Augustini vocatis ideas diuinas effectrices rerum; hoc autem non potest conuenire rebus ipsis; quia nihil se ipsum facit; conueniet ergo diuinæ essentiæ; & hoc etiam docet D.Thom. loco citato, ac præsertim art. 1. ad tertium; idem confirmari potest, Io.c.1. quod factũ est in ipso vita erat, quod à patribus communiter exponitur in hoc sensu quod factum est, idest res creatas in ipso Deo antequam producerentur, erant vita, idest habebant tantum esse in suis ideis, quæ sunt ipsa diuina essentia, quæ est perfectissima vita.

Secunda ratio, idea, & ideatum debent esse distincta, sed cognitio obiectiua seu res cognita nõ est distincta à re, quæ est à parte rei: ergo res cognita non est idea.

Tertia ratio, si res ipsæ sunt ideæ, vel est idea res ipsa numero, quæ fit, vel alia in communi; neutrum dici potest: ergo res ipsæ non sunt ideæ; probatur primo ex vna idea posiũt fieri multæ res, sicut per vnum sigillum multæ sigillationes; ergo idea non potest esse res ipsa, quæ fit; præterea res ipsa in indiuiduo vix cognoscitur, cum rationes indiuiduantes, per quas res illa distinguitur ab alijs omnino similibus, & eiusdem rationis à nobis cognosci non possint saltem communiter: præsertim cum nondum res ipsa est, probatur secũdum quod nõ sit res ipsa in cõmuni, vt quod idea domus faciendæ non sit domus in communi; Domus in re non fit ad similitudinem domus in communi; sed ad similitudinem certæ domus; non igitur res ipsæ sunt idea, sed similitudo ipsarũ rerum mente expressa.

Pro solutione.

Notandum, quod certum primo est, nihil quod sit in intellectu subiectiuè, vt sic, posse esse ideam; quoniam id, ad quod respicitur, est obiectum, & ideatum imitatur aliquid obiectiuum, non subiectiuum: cum ergo certum sit id eam esse aliquid obiectiuum, iam difficultas est quid hoc statui debeat; augetur autem difficultas, quia neque inter omnes scholasticos constat quid sit immediatus terminus, & obiectum nostri intellectus; nam aliqui putant immediatum terminum nostræ cognitionis esse verbum mentis, seu idolum quoddam mente cõfictum, quod si verum est, tota difficultas de ideis profligata est; nam sufficiet ponere pro idea hoc idolum, & hoc tam in nobis, quàm in Deo, per quod tollentur omnes difficultates; sed considerandum est, quod etiam si verbum mentis negari non debeat, hoc tamen non potest esse terminus obiectiuus nostræ cognitionis præsertim in cognitione rerum materialium; nam quotidiana experientia nos docet, quando cognoscimus domũ, seu ædifici tãtæ lõgitudinis & latitudinis, immediatè stare nobis obiectiuè rẽ tãtæ lõgitudinis, & latitudinis, ridiculũ autem esset dicere verbum mentis, si accipiatur verbum mentis, vt quid verè productum à mente, & pro termino intrinseco actuũ mentis esse tantæ longitudinis, & altitudinis, & alia huiusmodi habere, quæ cadere non possunt in rem spiritualem, qualis est nostra cognitio, & verbum mentis, vt est intrinsecus illius terminus; adde quod si verbum mentis est terminus, & obiectum nostræ cognitionis vel nunquam cognoscentur ipsæ met res, vel semper cognoscentur duo obiecta ipsum verbum mentis, & res, quod certè non experimur, & quod si concedatur augebitur difficultas, & quia efficietur verbum mentis imago homogenea materialium; quoniam cogitando quanta nihil nobis obijcitur, nisi quantum, cogitando colorata obijcitur coloratũ, &c. & quia terminus vltimatus, qui est ipsa res, adhuc intelligibiliter habet esse extra verbum mentis; nam quando intelliguntur, quæ non sunt, si quidquam intelligitur præter verbum mentis, illud, quod non habet esse reale actuale, habet esse obiectiuum, & intelligibile, de quo est tota difficultas, & propter qđ ponitur ab aduersarijs verbũ mentis obiectum intellectionis abstractiuæ, vt proinde vel omnino dicendum sit, nihil intelligi præter verbum mentis, vel ipsam met rem intellectam quantam materialem &c. esse verbũ mentis; vel certè per verbum mentis factum obiectum, vt ipsi faciunt, nullam tolli difficultatem, sed augeri; iam vlterius neque videtur cõgruum ponere pro idea ipsam cognitionẽ, vt reflexè cognitam, primo quia vt dictum est sine reflexione supra cognitionem sæpe habemus ideam; secundo quia cognitio per hoc quod reflexè cognoscitur non acquirit quod sit quanta, quod sit colorata, quod sit talis figuræ, qualis tamen est in nobis idea; in pictore enim idea, quam respicit, non solum oculis corporis, sed animæ est talis figuræ, talium colorum, & lineamentorum, quæ non

habet

habet cognitio, seu actus formalis mentis etiã reflexè cognitus; sed neque res ipsa, vt est à parte rei, est nobis idea mentalis; quoniã hæc remanet, dum illa corrumpitur, hæc est vna, cum sæpe res ideatæ sint multæ; difficile autẽ est dicere quid sit res illa, quæ stat in mente obiectiuè, pro vt distinguitur à re concepta, vt est à parte rei; nam quod aliquo modo distinguatur apertè probat iam facta ratio desumpta ex corruptione vnius, & permanentia alterius; quod non distinguatur, ex alia parte, sic probatur, si quod cognosco pro vt cognosco, non est illud, quod est à parte rei: ergo nũquam cognosco quod est à parte rei: cũ ergo ex vna parte rõ persuadeat debere cognosci res, quæ sunt à parte rei; ex alia etiã ratio conuincat, quod res vt cognitæ non habeant statum, quem habent à parte rei; cum cognitæ possint esse æternæ incorruptibiles &c. à parte rei loquendo de materialibus sint caducæ, & temporaneæ, hinc aliqui rebus vt stant obiectiuè in mente dederunt diuersum esse ab eo, quod habent in se à parte rei, quod tamen non bene dici videtur; quia quod stat obiectiuè proximè cognoscitur; vnde vel res quæ sunt à parte rei non cognoscuntur, vel stant etiam obiectiuè in mente secundum illud esse, quod habent à parte rei; media ergo via incedendum videtur, & neque negandum esse res ipsas secundum esse reale, neque esse res prorsus eo modo, quo sunt in se realiter, sed esse res ipsas secundum diuersum statum, ad quem respicientes aliqui dixisse videntur immediatum obiectum nostrarum cognitionum esse verbum mẽtis; nam respectu diuersi status, quem res habent in mente obiectiuè, dici possunt conceptus mentis, ratio, & alijs huiusmodi nominibus appellari, quæ ipsis non conueniunt, vt sunt à parte rei; posito ergo, quod res stent in mente secundum diuersum statum ab eo, quo stant à parte rei. Considerandum est, quod sicut à parte rei vna principalis imago potest esse idea ad plures imagines, & vnum sigillum potest facere multas sigillationes, ità & vna res, quæ stat in mente obiectiuè, siue sit vna omnino singulariter determinata, siue vagè accepta, potest esse idea, & sibi ipsi, & multis alijs, propter statum essendi diuersum, quem habet; nam distinctio, quæ intercedit inter rem ipsam in actu signato, seu stantem obiectiuè in mente, & inter rem ipsam positam in actu exercito parte rei sufficit vt vna res etiam determinatè accepta sit sibi ipsi idea, & multis alijs, cum hoc solum discrimine, quod si accepta per intellectum omnino determinatè sit sibi idea minus distinguitur à se ipsa, à parte rei in actu exercito, quam ab alijs distinguatur, cum ab alijs distinguatur realiter, à se ipsa intentionaliter, seu secundum statum intelligibilitatis; Si verò accipiatur in indiuiduo vagè distinguetur ab omnibus ideatis non solum intentionaliter, sed quodammodo realiter, quatenus comparata ad vnum ideatum dicit realiter etiam esse alterius. Iam quoniã magnam faciunt difficultatem ea, quæ dicuntur de ideis diuinis, considerandum est, quod non eodem modo intellectus diuinus dat esse intentionale rebus, quo intellectus noster, nã intellectus noster non est species rerum, quia res contineat; sed acceptis aliunde speciebus res per cognitionem in se facit obiectiuè; at intellectus diuinus propter eminentem continentiam, qua essentia diuina omnes res continet, intelligẽdo ipsam essentiam diuinam, in eadem videt relucentes omnes res; vnde primariò fertur in essẽtiam diuinam, vt Deũ manifestantẽ, secundario in eandem vt manifestantẽ res oẽs, atq; adeo, vt vltimo terminatur ad ipsas res; & quoniam essentia diuina vt fons omnium rerum dat realiter esse rebus, & etiam actualiter, vt est vis, & omnipotentia, ità ijsdem dat statum intelligibilitatis, vt est eminentialis forma ipsarum; ex quo est vt essentia diuina sit idea, & non res ipsæ, quia res intelligibilitatem accipiunt à diuina essentia, in quo est disparitas de rebus vt stãt obiectiuè in nobis, & sunt obiectiuè in Deo; nam in nobis quodammodo se obiectiuè faciunt per suas species, & sunt prius intelligibiles in suis speciebus, quam a nobis actu intelligantur; in diuina autem essentia accipiunt statum obiectiuum, & intelligibilem ab ipsa, vt à forma per se primo intelligibili, sicut & ab eadem accipiunt simpliciter esse, vt à fonte totius esse, & ente per se, & à se; hinc est quod in Deo minus benè dicuntur ipsæ res ideæ, quàm in nobis, quia respectu Dei à Deo, seu à diuina essentia habent, quod sint intelligibiles, in nobis ab intellectu nostro, solum habent, quod actu intelligantur, & per species, quod sint intelligibiles. Et hæc quidem cum docuimus alias de ideis, nunc illorum quædam iterum ad limam reuocantes dicimus verbum mentis, & rem cognitam vt sic, & in esse cognito, siue in prima sua ratione cogni-

cogniti, non tamen vltimata, & adæquata in cognitione directa esse idē;res.n.,quæ est à parte rei, vel fuit, vel futura est, vel concipitur quasi sit, manifestatur actu per suam formam,& per suum esse intelligibile; quod esse intelligibile obiectiuè acceptum res ipsa est,non vt materialiter in se ipsa est,sed vt intelligibiliter actu obiectiuè in mente est per suam formam;ex quo etiā est,vt,si sic concipiatur Petrus, & dum ità stat in mente obiectiuè in se ipso annihiletur à Deo, non desinat esse obiectiuè, semperque obiectiuè maneat,donec mens desinat cogitare, quæ ostendunt Petrum in esse obiectiuo proxime termi natiuo,non vero vltimato, vere verbū mētis esse,cum vt sic à mente habeat esse,& in se ipso corruptus in sua forma intelligibili, & intelligatur, & manifestetur Petrus, & hæc quidem in cognitione abstractiua, qualis nostra est. itaque duplex ille status, de quo supra,verus quidem est, sed alter mentalis est, & verbum mentis est, cum per illum intelligibiliter exprimatur status rei, qui extra mentem est, proindeque ille forma, & intelligibiliter omnia,quæ res est in statu suo materiali extra mentem, vnde benè dixit philosophus, lapidem in mente ipsam esse formam lapidis, & animam intellectiuam fieri omnia per suam cognitionem, & intellectum esse formam formarum, sensum verò esse formam sensibilium: Nam considerandum est, quod nisi mens in suo actu indicaret obiectum, & fieret intelligibiliter ipsum obiectum,non cognosceret obiectum: si ergo fit mens intelligibiliter obiectum, procul dubio obiectum,quantumcumque materiale in se, intelligibiliter obiectiuè erit in mente, ac proinde, & domus quanta à parte rei,quāta quoque,sed intelligibiliter,& representatiuè, siue in esse repræsentato in mente;eodemque modo colorata, & talium lineamentorum,sed intelligibiliter,& in esse repræsentatiuo,non potentia, sed actu, dum actu cogitatur;vnde vera sūt ista;domus,quæ est in re,vt dixit Aristoteles,fit à domo, quæ est in mente, siue à forma domus,nec domus quæ est in re intelligitur nisi per domum,quæ est in mēte;& domus,quæ est in re, & domus quæ est in mēte idem sunt non materialiter, sed intelligibiliter, siue secundum diuersum statum. Quæ cum ità sint.

Dicendum ideam nihil aliud esse, quam rem ipsam faciendam secundum statum intentionalem,siue ideam esse ipsam formā intelligibilem rei obiectiuam,siue rem obiectiuam in mente,quam intuetur in operando artifex; patet ex dictis, & confirmatur; quia nihil dirigit artificem loquendo de idea interna nisi cognitum, & pro vt cognitum, atque obiectiuè expressum; sed illud, vt sic, nec conuenit conceptui formali mentis vt sic, nec rei materialiter acceptæ, & pro vt est à parte rei: ergo idea est res pro vt obiectiuè concepta, & quatenus est forma obiectiua; quod vlterius confirmatur ex tex. illo 23. 7. met. vbi dicitur,quod sanitas, & domus,quæ est in materia, fit à sanitate,& domo, quæ est in anima sine materia, & subditur. Ars enim medēdi,& ædificandi, est forma sanitatis,& domus,& tex.30. dicitur omnia fieri ab vniuoco,cuius in artificiatis reddit Aristoteles rationem dicens, Ars enim forma est, & 3. de anima tex. 19. & 27. idem .n.(ait Arist.)est secūdū actū sciētia cū re ipsa.

Ad rationes, quæ primo loco factæ sunt quatenus videntur contendere rem ipsam faciendam secundum suum esse materiale, esse ideam,& non formam mente conceptam.

Respondendum est rem ipsam non stare in mente vt materialiter est à parte rei, sed vt per mētē facta est forma,& acquisiuit esse intelligibile,in quo esse intelligibili,& est quāta,& colorata, sicut erit a parte rei,sed in intellectu est talis intelligibiliter, à parte rei talis erit materialiter, & in esse materiali; Quare res obiectiuè in cognitione,& dici potest eadem cum re à parte rei, & quoque negari,sed diuerso modo; dici potest eadē non materialiter,sed in esse cognito: Quod dictum est ideam esse homogeneam ideato; si materialiter accipiatur,negādum est;si accipiatur intentionaliter,vt idem debeat esse intētionaliter idea,quod est materialiter ideatum,verū est; sed nihil inde conficitur contra illud,quod cōclusū est;illud quoq;, quod dicebatur,cognitionē non esse talem, & qualē, limitatione indiget;si enim intelligatur,quod cognitio quantorum non est quanta intentionaliter falsum est,nec enim anima per cognitionem fieret omnia; solum non est talis materialiter, & in esse materiali, quod est à parte rei, solumque hoc repugnat spiritualitati ipsius animæ nostræ,cognitionisque intellectiuæ, non illud. Et ex his patet dici posse effectum imitari cognitionem, non vt est qualitas spiritualis, vel id, quo in-

intelligit anima; sed vtest id, quod intentionaliter, & intelligibiliter.

Dices ergo terminus nostræ cognitionis non est res cognita, sed cognitio. Respondeo distinguendum, non est res materialiter accepta concedendum est, non est res intentionaliter, & in esse cognito negandum. Et iuxta hæc accipienda sunt cœtera, quæ sunt in illis primis quatuor rationibus.

Ad rationes secundæ partis Prima quidem aliquo pacto potest admitti, vt sicut in Deo ideæ sunt diuina essentia, siue res vt relucent in diuina essentia, & in ea exprimuntur, vt in forma intelligibili fonte totius esse; Ita in nobis res sint ideæ, vt relucent in nostra cognitione, & in ea stant obiectiue, solum discrimen est, quod vnus est actus diuinæ cognitionis, qui primario fertur in diuinam essentiā, vt quid diuinum, & secundario fertur in diuinam essentiam, vt formam omnium creatorum, ac proinde in creata. Noster vero actus solū fertur in illud, qđ cogitamus, nō in animam, neque in ipsius actus. Non fertur tamen in illud, quod cogitamus materiale nisi factū spirituale, & intelligibile, siue etiam imaginabile, si sermo sit de operatione Imaginationis.

Discrimen vlterius est quod noster intellectus licet actu faciat res intelligibiles, prius tamen per species acceptas aliūde fit ipsa res, quam postea in se intelligibiliter exprimit: At diuina essentia ex se est intelligibiliter res omnes, quas diuinos actus cōcipimus exprimere: Itaque ad minorem illius rationis dicendum est diuinam essentiam, siue in diuina essentia esse ideas rerū non præcise quatenus concipitur diuinam essentiam esse id, quo diuinus intellectus concipit res, sed quatenus est obiectū in quo, quo pacto ét in Deo res dici possunt ideæ; Quia diuina essentia, vt obiectum in quo, idem est cū rebus in esse intentionali, & intelligibili diuino.

Ad secundam & tertiam rationem patet ex dictis; Inter Ideam enim & ideatum sufficit distinctio, quæ est inter rem ipsam secundum suum statum intentionalem, & suum statum realem; quod etiam sufficit, vt aliquid sit sibi ipsi in aliquo genere causa; Nam causæ, quæ causant per intentionem, vt Idea & finis, satis est si ab effectu suo intentionaliter distinguantur, & secundum diuersos status; vnde ad suos effectus non dicunt relationem realē prædicamentalem, sed rationis; realem solū dicunt, quæ causant realiter, & secundum statum realem, non quæ causant intentionaliter: Vnde neq; repugnat eādē rē numero, si pfecte vt talis cōcipiatur, esse sibi ideā, videlicet in esse itētionali esse sibi ideā ad esse materiale, quod est in materia a parte rei; Quia in illo esse est vt forma, quæ censetur multiplicari materialiter, siue in esse materiali, vt forma anuli in cera; vnde ex eadem idea possunt fieri multa ideata.

Art. 4. Vtrum Idea pertineat ad Causam efficientem, an formalem.

Reduci ad causam formalem censet Duran. in 1. dist. 45. qu. 2. Alber. Mag. dist. 20. art. 1. Caiet. prima parte qu. 6. art. 3. & qu. 44. art. 3. Abul. in cap. 5. Matth. qu. 12. In eadē sententia sunt Conib. 2. phy. cap. 7. qu. 4 art. 2. & Fons. primo metaph. c. 2. qu. 7 sect. 5. Ex his tamen aliqui dicunt Ideam per se facere suū genus formæ, & esse causam formalem extrinsecam; alij volunt esse quidem formam extrinsecam ideati, reduci tamen ad genus causæ formalis intrinsecæ, quatenus in quocunque genere analogo, quæ dicuntur de secundis analogatis reducuntur ad primum: in proposito autem primum locum tenet forma intrinseca, cum esse quod quid erat, & alia huiusmodi habere, quæ formæ & ideæ attribuūtur, per prius dicantur de forma, quam de Idea.

Secunda sententia vult ideam reduci ad causam efficientem ita S. Thom. in primo dis. 2. quæ. vni. Scot. ibidem quæ. 2. & dist. 36. ar. 1. Alensis prima parte qu. 23. memb. 4. ar. 1. S. Bonauent. in 3. dist. 11. art. 1. Herue. in primo dist. 36. qu. 1. Suarez To. 1. met. dist. 25. sect. 2. num. 8. Ruuius Perer. & alij.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima est ab ethimologia ipsa nominis, quæ est forma, quo pacto ideam nominat non solum Arist. pluribus locis, sed alij philosophi, & SS. patres, vt Diony. cap. 5. de diuinis nomi. Aug. li. 83. quæst. Boet. li. 1. de trinit. & alij. Præterea Arist. ideam nominat quod quid erat & rationem, quod non tribuitur nisi formæ, ita 2. phys. Tex. 28. vbi dicit. Alio autem modo forma & exemplum; hæc autem est ratio ip-

sius quodquid erat esse, & huius genera.

Secunda ratio. Causalitas ideæ consistit in hoc, quod extrinsece formet ideatum; nam idcirco statua Cæsaris est talis figuræ; Quia idea eius est talis; sed hæc non est causalitas efficientis, vel alterius causæ; sed causæ formalis extrinsecæ: Ergo. Confirmatur à simili; obiecta vt specificatiua pertinent ad aliqđ genus causæ, & nō nisi ad causā formalē extrinsecam; Quia vt sic dant speciem; sed etiam idea specificat ideatum; Ergo ad idem genus causæ pertinebit.

In contrarium probant hæ rationes. Prima omne agens agit, vt aliquo modo assimilet sibi passum; sed agens intellectuale cum agit non assimilat sibi passum nisi ratione ideæ; Ergo Idea concurrrit ad constituendum ipsum agens; ergo ad genus efficientis reuocabitur. Confirmatur ex Arist. 7. met. Tex. 30. vbi concludit omnia fieri quodammodo ab vniuoco; Nam sicut agentia naturalia, & agunt per formas suas, & ratione illarum sibi assimilāt. effectus; Ita agens intellectuale agit per ideā, & ratione ideæ sibi effectum assimilat. His accedit, quod S. August. Dionys. & alij SS. Patres, vt supra vidimus, ideas diuinas appellant effectrices creaturarum.

Secunda ratio. Ars pertinet ad genus causæ efficientis; sed ars includit ideam, vt manifestum est, & habetur maxime ex Tex. illo 23. li. 7. metaph. Ergo idea ad idem genus causæ pertinebit.

Pro solutione.

Notandum, quod vtraque sentētia aliquid veri dicit, & facile pōtest conciliari; nam certum primo est, quod idea prout complet agēs intellectuale in esse agentis pertinet ad idem genus causæ; quod autem compleat agens intellectuale in esse agentis manifestum est ex eo, quod nō est perfecta ars sine idea, nec per artem operari potest artifex sine idea, quem non minus determinat ad agendum, & practice dirigit, quam dirigant præcepta artis; sed ars est in genere causæ efficientis; non minus igitur in eodem genere erit idea. Ex alia tamen parte considerandum est, quod idea immediate comparari potest cū effectu, quatenus illum specificat, & dat denominationes veri vel boni ideati: Nam dicimus imaginem Cæsaris esse veram; Quia perfecte refert in se Cæsarē, & illum repræsentatiue adæquat; In quo ipse Cæsar qūatenus Idea, siue in esse intentionali extrinsece suam imaginem specificat, cum speciem veri & boni ideati, & imaginis non habeat imago Cæsaris, nisi per ordinem ad Cæsarem vt ad formam extrinsecam specificantem. Quare idea ad vtrumque genus causæ reduci potest secundum diuersas rationes; nam prout complet artem, & causam agentem intellectualem, illamque dirigit ad operationem pertinet ad causam efficiētem; Eadem immediate comparata ad effectum, vt est illius extrinseca mensura, & ratio veri effectus, idest veri ideati spectat ad causam formalem; Quia vt forma extrinseca per passiuam suam repræsentatiuitatem constituit ideatum in ratione veri ideati: Et sicut per idem constituitur aurum in esse veri auri, & in esse auri, nimirum per suam formā, ita per eandem formam constituitur ideatum in esse veri ideati, & ideati, quæ cum sit idea, idcirco idea vere erit vt sic in genere causæ formalis non intrinsecæ; Quia idea non constituit verum ideatum intrinsece, cum hoc habeat ideatum per aliquid sui, puta per suā figuram, colores &c. idea autem sit aliquid artificis; Illud itaque tantum constituet extrinsece, ac proinde constituet genus causæ formalis extrinsecæ. Quare

Dicendum ideam consideratam secūdum diuersas rationes reduci posse ad vtrumque genus causæ efficientis scilicēt, & formalis. Vt est id, quod imitatur ideatum, Eiusque extrinseca quædam mensura est, & specificans pertinet ad genus causæ formalis, vt est id, quo completur artifex, & quo aliquatenus operatur spectat ad genus causæ efficientis. Patet conclusio ex dictis, & illam probant rationes vtriusque sententiæ. Primam partē confirmant loca, in quibus Aristotiles ideam coniungit cum forma, quorum aliqua supra vidimus. Secundam partem confirmant illa loca, in quibus ideam vocat artem. 7. meta. Text. 23 & 26 q. metaph. Tex. 3. q. 10. & 13. 12. met. Tex. 18. & 24. primo de par. c. 1. &c.

Obijcies. effectus non imitatur ideam nisi quatenus ideæ similem illum facit artifex; sed hoc est effectum pendere ab idea in genere causæ efficientis; Ergo in vtraque ratione assignata idea pertinet ad causam efficientem.

Respondeo dicendum, quod dupliciter spectari potest similitudo, & imitabilitas effectus ad Ideam; Primo vt fit per artificem, & sic ab efficiente causa est, & ad efficentem spectat. Secundo vt per eam effectus imitatur ideam, illamque in se refert, & repræsentat, ideaque expressa in effectu illum constituit

in ratione boni,& veri ideati; siue etiam vt ad eam respicit artifex,& confert effectum cum ipsa,& per ipsam illum mēsurat, & sic pertinet ad genus causæ formalis,sicut dictū est.

QVAESTIO VI.
De Causis intrinsecis forma, & materia.

POst efficiens de causis intrinsecis agendum est; Quia sine illis physicum non agit efficiens: Omnis enim physica actio in subiecto est, quod consequenter præsupponi debet, vt in eo agat efficiens; actionis autem sicut subiectum materia, ita terminus proximus forma, & per formam, & materiam nouum ens, propter quod, & forma, & materia sunt, & ad generationem incumbit efficiens. De materia autem, & forma pauca dicenda sunt, & ea solum, quæ sunt huius loci propria; Quia fere alia,quæ dici debebant supra dicta sunt.

Art. 1. Vtrum in rebus physicis vere sint duæ causæ intrinsecæ materia,& forma.

CAusas intrinsecas saltem in substantia sustulerunt, qui materiam a forma re distinctam negauerunt: Nam si materia, & forma idem re sunt, causa formalis substantialis physica nulla est; Quod enim subiectum forma formet, si ipsa est subiectum? Vnde neque erit in substantia causa materialis, & subiectiua; Quia huic in re nullus respondebit actus distinctus, a quo actuata formetur, & in esse constituatur; Nam illud potentiale,quod ipsi agnoscunt pro materia nunquam actuari potest;Quia videlicet in ligno potētiale illud est ad esse ignis,quod cum factum fuerit ex ligno, sicut nihil prorsus remanet ligni(erat.n.per ipsos præter accidentia lignū sola forma realiter) ita neque remanet illud potentiale,quod actuetur a forma ignis, sed cum noua forma ignis nouum ad venire debet potentiale non ad esse ignis, sicut erat in ligno,sed ad esse alterius rei,quæ potest fieri ex igne. Et sicut si per diuinam omnipotentiam esset conuersio inter duos Angelos non ideo tamen in angelo vere esset causa materialis, & formalis, & tamen tunc ibi totū esset substantiale, quod ipsi in rebus physicis agnoscunt; ita modo per ipsos in rebus physicis. Quare in substantia vere tollunt causas intrinsecas, qui materiam a forma distinctam non agnoscunt.

In contrarium est communis sententia peripatetica, quæ sicut materiam, & formam non solum nomine tenus, vt prima opinio,sed vere secundum rem astruit, ita causas intrinsecas tanquam veras causas agnoscit. Quæ probari potest his rationibus.

Prima.in omnibus physicis generationibus quidquid fit ens actu,prius est potentia; Ergo per aliquem actū fit actu,quod erat potentia: sed omnis actus alicuius potentiæ est actus: Ergo in ente actu datur actus, & potentia ad inuicem causantes, & ens physicum constituentes,quæ sunt causæ intrinsecæ.

Secunda ratio Quod est frigidum,sicut experientia manifestat, intrinsece fit calidum; Ergo per aliquem calorem receptum;sed esse calidum nō est calor,sed effectus caloris;Ergo calor,per quem calidum est tale, erit causa intrinseca calidi:sed calor receptus non esset nisi esset subiectum recipiens;Ergo in calido præter calorem est subiectum recipiens,ac proinde duplex causa intrinseca formalis, & materialis,materialis siue subiectiua, quæ recipit,formalis,quæ recipitur,& format id,in quo recipitur: sed quod in alteratione fit per ens in actu, & formam accidentalem,in generatione fit per ens in potentia, & formam substantialem:Ergo.

Tertia ratio.lumen non potest esse in opaco,& est in diaphano:visio non potest esse in aure,& est in oculo;anima non potest esse in corpore simplici,& est in mixto organico,& sic de reliquis;Ergo vere datur causa materialis,& subiectiua; si enim hæc non esset, nec ratio esset, quare quodlibet fieri non posset in quolibet, & in opaco non esset lumen, sicut est in diaphano; & visio non esset in aure, sicut in oculo est; sed si datur causa materialis, & receptiua, simul debet dari causa formalis; Quia quod recipitur aliquid est, & vt receptum nouum aliquod esse constituit, quod non est, si ipsum receptum non sit; Ergo duplex datur causa

in

intrinseca formalis, & materialis.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut causam materialem probat passio, ita formalem probat actio: Considerandum enim est, quod pati, non potest non esse aliquid, cum de nouo patiatur subiectum, cum antea non pateretur, aliquid igitur est; sed cuiuslibet non est, sed certi subiecti; Quia aurum in igne non fit ignis, & tamen fiunt ignis ligna; Ergo subiecti certa ratio esse debet, cur patiatur ab alio; certa ergo ratio in subiecto, cur fit hoc de nouo in mundo, quod est pati, causa est; vt facta actu causalitas est: Quia causa illud est, per quod de nouo aliquid est, & fit in rerum natura. Præterea actio in subiecto, sicut passio, aliquid est, & per ipsam de nouo aliquid; quia per calefactionem in aqua calor, & aqua, quæ erat frigida, fit calida: Ergo aqua per calefactionem, & per nouam formam caloris de frigida fit calida; Ergo sicut hic nouus effectus est, ita noua causa in actu, calefactio, & calor, quo mediante aqua, siue subiectum, quod erat frigidum, & solum in potentia calidum, fit actu, ac proinde duplex in aqua calida causa, subiectiua, per quam patitur, & formalis, quæ aquam format, & facit calidam: quod autem in vno est, & in reliquis quoque est subiectis physicis, ac proinde.

Dicendum dari in rebus physicis duplicem causam intrinsecam materialem, & formalem. Patet ex dictis, & Confirmatur ex priuatiuis. Nam oculus cœcus nō esset nisi aptus esset recipere formam visus, & nisi visus vt forma aptus esset formare oculum tanquam proprium suum subiectum. Secus enim, quæ causa sit, cur cœcus sit oculus, non manus? Ergo in oculo vidente datur duplex intrinseca causa huius esse, subiectiua, & formalis; datur ergo duplex causa intrinseca, sicut dictum est in rebus physicis: Quia quod in vna procedit, in alijs pariter locum habet.

Art. 2. *Vtrum principium, per quod Causat materia, sit potentia, & causalitas sit actualis receptio.*

Sententia affirmatiua est Aristotelis pluribus locis metaphysicæ, & li. 2. de ani. Tex. 2. & 7. quam sequūtur communiter Peripatetici, & probant hæ rationes. Suarez disp. 13. metaph. sect. 8.

Prima. Illud est principium causandi in materia, siue in causa subiectiua, quod respondet principio causandi causæ formalis; sed potentia est huiusmodi; nam potentia subiectiua est, quæ respondet actui informanti: Ergo.

Secunda ratio. per illud causat materia, per quod est tale eius; sed ex dictis supra tale ens est per potentiam subiectiuam; Ergo per potentiam subiectiuam causare dicenda est. Maior probatur; Quia causæ intrinsecæ cum causent dando se ipsas, & ingrediendo per se ipsas constitutum, consequenter per illud, vt per principium causatiuum, causare debent, per quod in suo esse constituuntur, quod ex iam probatis supra in materia potentia est.

Iam quod causalitas sit actualis receptio probatur; Quia de ratione subiecti est subijci, & recipere actum: Ergo in exercendo hoc officium eius consistit causalitas; Nam causalitas causæ illud esse censetur, per quod causa actu dicitur causans: actu autem causat materia in suo ordine recipiendo formam in suo intimo complexu vt subiectum, & potentia subiectiua: Ergo in hoc eius causalitas est.

In contrarium pro parte negatiua, & primo quidem quod principium causandi in materia saltem principale non sit potentia putant quicumque essentiam materiæ distingunt ab eius potentia, putantque potentiam materiæ debere esse ipsius proprietatem illa persuasi ratione; Quod omnis potentia fundatur in aliqua entitate, & essentia, ac proinde quod potentia materiæ in eius entitate fundatur, quam consequenter præsupponit: Ex quo deinde

de consequitur, quod per suam essentiam vt per principale principium causet materia; per potentiam vero vt per proximum & minus principale. Hanc autem potentiam aliqui putant esse quantitatem; Quia sine quantitate materia apta non est, vt sit subiectum generationis, cum sine ea extensa non sit.

Quod autem neque causalitas sit actualis receptio sentire videntur, qui dicunt causalitatem materiæ esse modum quendam ipsius realem, & ex natura rei distinctum materiæ superadditum. Ratio illorum est; Quia causalitas à materia separari potest; nam aliquando materia non est causans.

Conimb. 2. phy. q. 6. & 8.

Alij eam ponunt vel in ipsa generatione quatenus est eductio ex materia, vel in vnione formæ ad materiam, siue materię cum forma, vt Suarez, qui alios etiam modos refert.

Disp. 13. metaph. sec. 9.

Atque quod entitas siue essentia materiæ cum conditione tamen actualis sit principiũ causandi principale si à potentia distincta sit, dubium esse non potest; Quia materia vt talis natura causa est generationum physicarũ, & ad entia physica constituenda cõcurrit, quæ proinde in sua ratione materiam includunt, & essentialiter materialia sunt; Sed quia essentia materiæ a potentia distincta non est, vt superius demonstratum est, ideo solum dubium restat; Vtrum potentia illa vniuersalis materiæ; quæ cum essentia eius concurrit, sit proximum principium causandi in suo ordine in omni generatione & composito physico; an aliquid aliud addendum sit, per quod intrinsece fiat potentia particularis, & proximum principium causandi in suo ordine. Et sane, quod naturaliter requiratur extensio, saltem vt conditio, & etiam indistantia à forma, cum qua causare debet, nec non dispositiones formæ generandæ substantialis, vt eã, & cum ea causet, non solum ratione, sed pene sensus experientia manifestum est. Vtrum autem aliquid ex his, vel aliud tale ingrediatur formalem ipsam rationem principij causandi materialiter, manifestum non est.

Probari potest negatiue; Quia secus ex materia & forma substantiali fieret ens per accidens; Nam illud primum, per quod dicitur constitui, vel compleri potentia materiæ, & principium ipsius causandi aliquis actus est, ac proinde ex eo & materia fiet ens in actu; quidquid autem aduenit enti in actu facit cũ eo ens per accidens.

In contrarium tamen probari potest affirmatiue; Quia actus non fit in quocũque susceptiuo, sed in proprio, & ex Aristotele ac probatis supra non omnis actus ciuscunque potentiæ est actus; sed, v. g. anima est actus corporis organici, siue instrumentalis potentia vitam habentis: Nec enim tectonica, vt dicebat Aristoteles ingreditur fistulas, nec anima quodcũque corpus; tale autem corpus distinctum ab alio, & factũ tale proculdubio aliquid aliud includit præter materiam primã, & illius vniuersalem potentiam, nec solum aliquid vt conditionem, sed vt rationem formalem sal tem naturaliter, sine qua non causat talem effectum materia, nec talis forma ei correspondet, & facit cum ea complexum, atque vnum tale ens.

Lib. 1. de anima Tex. 53.

Iam quod ipsa generatio sit causalitas materiæ in formam & cõpositum, dũ fit, probat Suarez; Quia hac mediante materia concurrit ad eductionem formæ, & cõpositionem cõpositi; causalitas autem causæ nihil aliud est, quam concursus illius actualis in effectum. Præterea hæc ratio causandi sufficit ad eam denominationem, qua materia dicitur causare rem, quæ generatur, & posita illa ratione causandi, & præciso per intellectum quocunque alio modo, sequitur necessario illa denominatio; ergo quidquid aliud fingatur est superuacaneum, & sine fundamento. Ex eisdem probat de vnione: Quia generatio nihil aliud est, quam ipsum fieri formæ; sed hoc ipsum re est vniri illius saltem in formis, quæ fiunt per eductionem; Neque enim hæ prius fiunt, deinde vniuntur; sed vnum & idem est in illis fieri, & vniri; Quia tales formæ non possunt fieri in se; Essent enim per se subsistẽtes; Vnde necessario fiunt in subiecto; implicat autem formam aliquam fieri in subiecto, & illi vnitam non esse; Vnde in his vnio immediate pendebit à materia, & per vnionẽ forma, ac proinde vnio erit causalitas materiæ; Quia per eã materia intelligitur actu causãs.

Pro solutione.

Notandum, quod est principium primum, & per se notum, ex actu & potentia fieri vnũ, ac proinde conspirare inuicem ad causandũ, Vnde Aristoteles li. 2. de anima Tex. 7. ait nõ oportet quærere si vnum est anima & corpus, sicut neque ceram & figuram, neque omnino vniuscuiusque materiã, & id cuius materia; sed non statim notum est, & primum principium, quid in proposito potentia sit, & quid includat, quidque sit actus, & quid præsupponat,

ponat, sed hoc magis inuestigãdum est à posteriori, vel ex fine à priori; Nã quæ alia via possit esse à priori non satis apparet; Quia potentia subiectiua, de qua sermo est, suæ naturæ, & actus similiter suæ causam non habet, nisi ad summum in ideis diuinis, quæ facere non possunt notitiam illius, quod inquirimus, nisi ei, qui possit penetrare Deum, vt ens participabile ab ente per participationẽ, quod est creatum. Itaque a fine procedendo, necessario materia siue potẽtia includere debet illa omnia, quæ ei necessaria sunt, vt cum actu, cum quo copulari debet, faciat tale compositum, puta elementum, vel mixtum, vel animatum. nam si non habeat omnia, quæ requisita sunt, vel assequetur finem suum imperfecte, vel magis non assequetur. Iam discurrendo per gradus entis physici, videtur, quod materia vt suscipiat animã aliquid debeat habere, quod non est illi necessarium, vt accipiat formam elementi: nam si hoc non est, poterit esse vera, & essentialiter caro, si ponatur anima informatiue in sola materia prima, vt si cũ ex aere fit aqua, loco formę quę succedit ponatur succedere anima iumenti verũ erit dicere accepta parte illi⁹ materiæ, hæc est essẽtialiter caro iumẽti, Patet; Quia ex suppositione habet omnia, quæ faciunt essentialiter carnem iumenti; Quod si hæc admittere refugit animus, necessario principia corrigẽda sunt, ex quibus hæc emanãt. Itaq; vel essentialiter caro iumenti aliquid aliud dicit præter animam iumenti, & materiam illam primam, quæ substernitur transmutationibus elementorum ad inuicem; vel anima iumenti in materia aquæ essentialiter constituit carnem; nam caro est verum aliquod substantiale compositum, cui etiamsi adimantur accidentia, in suo esse essentiali remanebit. Iam & si euidens non est, vt nulla adhiberi possit tergiuersatio, illam carnem non futuram; tamen adeo probabile est, vt illud nullus possit admittere nisi ad tuendum illud placitum de vna dumtaxat forma in materia pure nuda omni forma, siue completa, siue incompleta. Nam perpetuo ex sensibilibus procedendo habemus viuentium corpora nõ esse simplicia vt elementa. Extincto enim viuente videmus cadauer, non elementum. Et sane cum etiam per Aristotelem litteræ sint, vt principia corporis physici, syllaba vt compositum; naturam materiæ primæ exprimet littera consonans, quæ vt nomen ipsum significat nõ sonat nisi cum alio: nam & in genere entis materia ita exile quid est, & potentiale, vt nisi cum forma esse habere non videatur. Iam vocalis refert naturam formæ; Quia sicut à vocali est sonus in syllaba, licet non totaliter, ita à forma in ente physico est quid, quantũ, vel quale, vnde & forma dici solet ratio, essentia, quodquid est. Considerandum igitur est, quod & si in syllaba consonans solum cõsonat, vocalis vero est, quæ dat sonum, & ex vna consonante & vocali sufficiẽter vna syllaba est; tamen non statim negandum erit ad vnam simplicem syllabam constituendã concurrere posse plures consonantes, & plures vocales; nam omnes istæ tres simplices syllabæ sunt Pa, Pax, & Pau, in quarum prima vna tantum est consonans cum vna vocali, in secunda duplex consonans cum vna vocali, & in tertia consonans cum duplici vocali constituente vnum quid, idest vnã diphthungum. Eodem modo in ente physico materia per se ens non facit, sed cum forma tantum, & ex forma atque materia sufficienter physicum aliquod ens fieri potest, tamen nõ quodcunque ens physicum fieri potest ex quacunque materia & forma, sed in ente physico est corpus penitus simplex, vt elementum, quod constare debet sua materia, & forma; est corpus mixtum, vt lapis, quod constat vna forma & multiplici materia, cum pluribus constet elementis; Et demum est viuens, quod addit multiplicem formam, non iuxta gradus & prædicata essentialia; Quia hæc cum dicantur ad inuicem, & complete dicantur, dicunt consequenter formam completam, & per illã ens completum; Vnde & eandem formam dicere debẽt in vno; secus enim homo vt sic, non esset substantia corpus, viuens, animal. Et quamquam viuentia plures formas dicunt; non tamen dicere debent plures formas per modum plurium; quia iam non essent vnum quid; sed dicere debent per modum vnius; sicut dicebatur de vocalibus in diphthungo. Quod cum in proposito non sit nisi ex actu & potentia, consequenter forma, quæ in illis præsupponitur ad formam totalem, debet pertinere ad rationem potentiæ, ac proinde in his corpus quidem aliquam substantialem formam includit, sed quæ cum materia sit proxime potentia, & susceptiuum animæ; vnde anima dicitur actus corporis organici, nõ autem actus cuiuscunque materiæ. Et Aristoteles ad hoc significandum dicit Tex. 26. lib. 2. de

7. meta. Tex. 59.

de anima vnumquemque actum debere esse in proprio susceptiuo, & lib. 1. dixerat animam non posse esse cuiuscumque corporis actum, nec posse ingredi quodlibet corpus, vt fabulabantur phythagoræi. Itaque ad propositum nostrum potentia in materia erit principium causandi; sed hæc potentia respectu alicuius actus, vt puta animæ, includit aliquid aliud à ruditate illa materiæ primæ, nempe formas, quas dicũt partiales, vt proxime causare materia non possit fine his, hatque vna completa ratio potentiæ siue corporis respectu animæ ex vniuersali potentia materiæ, & dictis formis.

Iam veniendo ad causalitatem, cum in causa causalitas sit, per quam causa actu causat, non causet autem actu materia per vnionem vt sic (licet eam distinctam à complexu formæ & materiæ non putemus) quia vnio vt sic, non est actus secundus potentiæ subiectiuæ, vnde vnio inueniri potest etiam inter illa, quæ ad inuicem vere causæ non sunt; sed per eandem met suam potentiam exercentẽ officium potentiæ, quod est actu suscipere in se intime formam per modum capacitatis cuiusdam, & receptiui principij, & vt tale concurrere ad constitutionem compositi; ideo causalitas materiæ nihil aliud potest esse, quã actualis receptio; Nam & in exemplo supra dicto de litteris, & syllaba littera vt consonans in suo genere est principium syllabæ, vt consonat actu cum vocali, actu quoque exercet suum munus consonantis, vt si dicere velimus litteras esse causas syllabæ, & consonãtis naturam esse principium, per quod causat consonans, & actualem consonationem esse causalitatem. Eodem modo ratio potentiæ in materia erit principium causandi, actuale exercitium talis potentiæ, quod nihil aliud est, quam actualis receptio formæ, erit causalitas. Quare

Dicendum principium, per quod causat causa subiectiua esse potentiam, siue hęc nihil aliud sit, quam essentia materiæ, siue aliquid aliud includat aliquando, sicut dictum est: Causalitatem vero esse actualem receptionẽ, qua formam recipit. Patet ex dictis, & Cõfirmatur; Quia materia sub nulla alia ratione quam potentiæ subiectiuæ est causa, & vt talis vera causa est; Ergo in ratione potentiæ consistit eius principium causandi: Sed principium causandi in actu, quod est causalitas, nihil aliud esse debet, quam actuale exercitium talis principij, vt tale; Ergo actualis receptio debet esse causalitas.

Ad ea, quæ in secunda sententia negatiua dicta sunt, quatenus sunt in contrarium, & primum ad illud, quo negabatur potentiam materię esse principium principale, per quod ipsa causat, patet ex dictis.

Ad illud, quod causalitas sit modus quidã separabilis à materia distinctus respondeo dicendum, quod etiamsi daretur iste modus realiter distinctus primum non esset necessarius, vt materia causet; Quia eo præciso, & intellecto solum hoc, quod potentia subiectiua recipiat actu in se intime actum informantem, & faciat cum ea complexum, sufficienter intelligitur materia causans, Secundo quod non possit esse; Quia cum modus ille à materia distinctus non includat principium formale causandi materiæ; in causis autem intrinsecis non sit actus secundus, quin in eo includatur primus, imo nihil aliud sit actus secundus, quam actus primus vt actu exercẽs talem suam rationem, quam vt primus dicit, nõ potest dictus modus esse causalitas Quod autem nec causalitas sit generatio, patet; quia generatio, vt potest præscindere ab eo, quod diximus esse causalitatem, est effectus materiæ, sicut etiam forma vt recepta; Ergo generatio nisi accipiatur inadæquate, & vt solum dicit actualem receptionẽ ex parte materiæ, non potest esse causalitas.

Obijcies. actualis receptio materiæ nõ est ipsa potentia materiæ; Quia materia semper habet suam potentiam, non autem semper habet hanc causalitatem; Ergo est modus aliquis re ab ipsa distinctus. Respondeo dicendum, quod actus exercitus in causis intrinsecis separari quidem potest ab illis, quatenus esse ipsæ possunt, & non in actu exercito; non potest tamen separari ab illis, vt quid ab illis distinctum acceptis tamen cum termino siue comparte, patet hoc in simili de basi & sustẽtatione columnæ; Neque enim sustentatio in basi est aliquid distinctum à basi accepta cum suo termino; qui est columna; sed est basis habens supra se columnam, & tamen potest esse basis non sustentans columnam: Eodem modo potest esse materia actualiter nõ recipiens in se formam; hoc tamen recipere non est aliquid distinctum à materia substrata formæ, siue in fieri, siue in facto esse.

Objicies secundo. actualis receptio nõ potest esse causalitas materiæ respectu compositi;

siti;sed solum respectu formæ; Ergo alia causalitas assignanda est materiæ, per quam actu causet compositum: Antecedens patet; Quia composito non potest conuenire recipi, neque enim compositũ recipitur in materia. Respondeo dicendum actualem receptionem cõsiderari posse dupliciter, primo cõsiderari potest, vt quodammodo se habet extrinsece illi, quod recipit, & hoc modo actualis receptio materiæ non est illi causalitas nisi ad formam: secundo considerari potest, vt per eam materia ingreditur in effectum, & degenerat in vnum quid tertium, & vt sic illa est causalitas ad compositum. Nam materia non causat compositum nisi tradendo illi se ipsam per receptionem, & complexum cum forma ex parte sua subiectiuum.

Obijcies tertio. essentia materiæ consistit in ratione potentiæ subiectiuæ: Ergo non potest conuenire illi, quod materia nõ est; sed quidquid additur materiæ primę siue substantiale, siue accidentale, materia non est; ergo illi non potest conuenire hæc ratio cõtra dicta, quod aliquando principium, per quod causat materia includat aliquid aliud præter materiam.

Respondeo dicendum, quod essentia materiæ cõsistit in hoc, quod sit potẽtia subiectiua, & primum principium in hoc genere ad quãcunque formam informantem, quod non habent illa, quæ diximus aliquando cuncurrere cum materia in hoc officio.

Dices materia componit compositum physicum per suam essentiam; ergo si hoc etiam habeat aliqua forma partialis participabit naturã, & essentiã materiæ Respõdeo dicendũ, quod solum participat vt aliquid illius in eodem genere ad aliquem effectum; Nam & vocalis, quãquam consonans non est, pertinet tamen ad genus consonantium, quando fungitur munere cõsonãtis vt, I in ista syllaba, Iã.

Et ex dictis habetur, quid sit materiæ principium causandi, quæ causalitas, & qui illius effectus: nam effectus eius sunt forma, & compositum, forma quatenus intime recipitur ab ipsa, & quodammodo sustentatur, si materialis fit; dico quodammodo, quia materia non sustentat formam substantialem, sed est id, cum quo fit, vnum totum per se stans, extra quod naturaliter talis forma stare non potest; simile ad hoc explicandum habere potest ex sono actuali, quem in syllaba habet vocalis, qui per se est, & vt totũ quid, & in ipso toto sonus vocalis, extra autem illud non idẽ sonus vocalis; vnde, & in varijs syllabis diuersus sonus eiusdem vocalis; eodem modo vna est totalis subsistentia compositi, & in ipsa partialiter existentia, ac subsistentia formæ materialis, quæ naturaliter extra illud totum esse, & subsistere non potest.

Est præterea effectus materiæ compositũ, quatenus ab ipsa in suo ordine componitur, & constituitur dando ei se ipsam; Vnde materia non exercet suam causalitatem in compositum nisi ipsum ingrediendo vt potentiale, & receptiuum formæ, & cum forma vnum cõponendo: sicut in syllaba consonans causat syllabam quatenus actu consonat cum vocali, & vt sic in syllaba est.

Art. 3. Vtrum principium, per quod forma causat, sit Ratio actus; Causalitas si actuatio, siue actualis formatio, & effectus sit constitutio compositi.

IN forma, sicut in materia, distingui potest principium, per quod ipsa causat, causalitas, siue actualis causatio, & conditiones ad id requisitæ, & demum considerationem habet effectus, cuius forma causa est. Et sane si de cõditionibus sermo sit, eæ videntur esse indistantia a subiecto, & debita eius præparatio.

Principium vero causandi illud esse debet, quod in forma respondet potentiæ materiæ; hoc autẽ est ratio actus informatiui: nam potẽtiæ receptiuæ respõdet actus informatiuus. Maior videri potest difficultas de causalitate, Quam aliqui esse volunt vnionem formæ cum materia, quod probant; Quia neque est materia, neque forma, neque compositum; Ergo est dicta unio. Antecedens Euidens esse supponitur, & consequentia necessaria a sufficienti partium Enumeratione. Suarez dis. 15. sect. 6.

Quod autem effectus sit compositũ, & cõstitutio illius, ex eo manifestum est; Quia forma dicitur ratio, & essentia ipsius, per quam scilicet essentiam habet, & in esse specifico, & completo constituitur; solum dici potest, Quod forma hoc non præstat nisi formando materiam, unde primarius ipsius effectus uidetur materia vt formata.

Pro solutione.

Notandum quod, sicut dictum est, forma ha-

habet se respectu compositi, sicut vocalis respectu syllabæ, & consonantis: Nam sicut vocalis dat sonare consonanti, & sonum syllabæ constituit; ita forma dat esse materiæ, & facit esse compositum: Leonem enim facit forma Leonis actuando corpus Leonis, & ignem forma ignis actuando materiam ignis; Vnde per formam ignis potentialitas materiæ trahitur ad esse ignis, & esse ignis constituitur. Considerandum igitur est, quod sicut syllabam Vocalis non constituit nisi afficiendo consonantem, cum qua constituit syllabam, vt patet in hac Syllaba, pax, ita compositum forma non constituit nisi formando, & actuando materiam. In quo sicut principium huius effectus est ratio ipsa actus, non quidem ratio actus vt intentio; sed vt actuale quid in rerum natura; ita causalitas est ipsa actuatio, siue actualis formatio: per hoc enim, quod materiam format, & actuat, exercet forma rationem actus, vt proinde si quemadmodum dictum est in causis intrinsecis causalitas nihil aliud est, quam ipsum principium causandi in actu, & exercitium illius; nihil aliud esse debeat causalitas formæ quam formatio materiæ, siue actuatio. Erit ergo quod dictum est causalitas, non vnio, quæ si sit distinctum quid ab illo complexo materiæ, & formæ, causalitas non erit; Quia vnio vt sic pro effectu formali habet vnire extrema, non habet actuare materiam, & compositum constituere. Nam si illud distinctum ab extremis materia, & forma, quod ponitur esse vnio, ponatur a Deo inter duas formas, vel duas partes materiæ, vel quid huiusmodi, certe ibi non Erit constitutio physici compositi; & Entis physici completi: Neque ibi vera erit causa materialis, & formalis, vt certum est. Vnio igitur vt sic non potest esse causalitas; Quia vbicunque causalitas ponitur necessario ponitur causa in actu causans: Causalitas autem formatio erit; Quia impossibile est, quod sit formatio, & non sit formatum siue actuatum, ac proinde, quod, & materia formata non sit, & constitutum ens actu, & physicum compositum. Ex quo etiam habetur effectus formæ, qui vnus adæquatus est nimirum constitutio compositi, inadæquate autem distingui potest in duo in formationem materiæ, & cõpositi constitutionem; nam formatio materiæ vt includens materiam, & id, quo formatur, nihil aliud est, quam compositum, sicut sonus vocalis vt afficiens consonantem, & dans illi sonare, nihil aliud est, quam sonus syllabæ, quæ conflatur ex vocali, & consonante. Dubium hic solum esse potest, vtrum sicut vocalis dat consonanti esse sonoram actu, ita vt sine vocali consonans nullum prorsus habeat sonum, sed maneat muta; ita forma det materiæ esse actu, ita vt sine forma nullum prorsus esse actu habeat entitatiuum. Et sane negantibus fauet hoc ipsum exemplum, quod agitamus, vt proinde vt asserunt aliqui non sit inintelligibilis sententia negantium materiæ actum entitatiuum: Nam consonans muta cum vocali sonum habet, sine omni prorsus vocali nullum prorsus sonum habet; ita de materia dici poterit, quod cum forma existat, sine forma non existat, nec tamen forma erit, sicut consonans vocalis non est: Attamen quia materia antecedit formam causalitate, cum sit subiectum, ex quo fit forma materialis, ad rationem autem formalem causæ pertineat actus entitatiuus; Quoniam non causant causæ secundum esse intentionale, vel possibile, sed secundum esse reale actuale actualitate realitatis contradistinctæ ab esse intentionali, vel possibile; ideo probabilius iudicamus, vt etiam supra docuimus, materiam habere illam ipsam potentiã, quæ ipsa est, exercitam, & actualem in mundo sine forma, dicẽtem tamen ordinẽ ad formam, & naturaliter nunquam sine aliqua forma, ac proinde habere quidẽ suum actum existẽtiæ incompletæ, siue entitatiuum, ordinatum tamen ad formam. Nam & littera consonans, & si non sonat sine vocalis, aliquid tamen est, quod non habet a vocali, nec est id, ex quo fit vocalis, vt est materia primum subiectum, ex quo fit forma, sed iam ad quæsitũ affirmatiue.

Dicendum principium, per quod causat forma, esse rationem actus, causalitatem esse actuationem materiæ, siue actualem eius formationem, effectum esse materiam formatam, siue constitutionem compositi. Patent omnia ex dictis, & confirmantur: Quia dicta omnia sunt aliquid a parte rei, & nullius alterius causæ sunt, nec ab vlla alia causa præstantur: Ergo, & formæ conuenire debent, & forma debet eorum esse causa. Præterea per illa causa formalis distinguitur ab omni alia causa, & principium eius causandi a principio causandi aliarum causarum, causalitas a causalitate, & effectus ab effectibus: Ergo.

Obijcies nihil est aliud formæ actuatio, quam

quam vnio ipsius cum materia; Ergo in vnione eius consistit causalitas. Respondeo dicendũ, quod & si actuatio formæ, qua actuat materiam, non est sine vnione, tamen formaliter vnio non est illud; patet Quia causalitas materiæ, & formæ genere differunt, sicut ipsæ causæ, vnio vero vt sic non differt; sed tam in materia, quam in forma vna & eadem est: Causalitas ergo formæ in suo conceptu non potest dicere solam vnionem, sed dicit actum secundum actus vt sic, siue exercitium illius, quod a forma dici potest formatio, ab actu actuatio, Quod præter vnionem significat tale principium vnitum, siue intimum suæ comparti vt tale, & vt tale afficiens suam compartem, quod, & si realiter idem sit, formaliter idẽ nõ est; & quod dictum est de actuatione respectu formæ idem dici debet proportionaliter de sustentatione respectu materię, vt ex dictis manifestum est.

Art. 4. Vtrum hæc duo causarum genera locum solum habeant in substantia, an magis reperiantur etiam in accidentibus.

Locum tantum habere in substantia probari ex eo videtur primo Quod hæ duæ causæ ad inuicem conspirantes, & mutuo causantes degenerant in vnum quid, & faciunt ens per se; accidentia autem non faciunt ens per se, neque vnum quid, sed ens per accidens, quod constat ex pluribus entibus in actu. Secundo omne accidens est forma; forma autem non potest esse principium patiendi, & recipiendi; Quia secus hæ duæ dictæ causæ non haberent distincta munera, nec facerent duo distincta genera causandi. Addi potest ex lib. 4. met. Tex. 13. & 14. quod accidens non accidit accidenti, nisi Quia ambo eidem accidunt; Quia non est maior ratio, cur vnum accidens alteri accidat, quam e conuerso. Et hanc partem defendit Gregorius in 2. dist. 12. quæst. 2. art. 2.

In contrarium tamen est sententia Durandi in primo dist. 8. secunda parte quæst. 4. nu. 15. S. Tho. prima. secundæ quæst. 7. art 1. ad 3. quæst. 56. art. 1. ad 3. tertia parte quæst. 77. art. secundo, & aliorum, qui vtrumque genus causæ agnoscunt in accidente, quæ & probatur primo. Quia in accidente vere datur forma; album enim est aliquid formale, & formaliter differt a nigro; Ergo per aliquam formam; vbi autem forma recepta est, & subiectum est; Quia ad inuicem sunt subiectum, & forma: Ergo in accidẽte potentia, & actus est, siue subiectum, & forma, quæ sunt duæ causæ intrinsecæ. Secundo actio, & passio locum habent in accidentibus; imo in his solis manifestæ sunt; sed actio, & passio ex dictis manifestant subiectum, & formam: Ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod accidens in eo differt à substantia, quod complementum substantiæ est, vnde & entis ens, siue entis est complementum: Vt enim in syllaba (nam sicut dictum est aptissimum hoc simile est ad explicandum in re subiecta) vt inquam in syllaba accentus non est syllaba, neque principiũ syllabæ, sed aliquid syllabæ syllabam determinans, & qualificans; Ita accidens non est simpliciter ens, neque principiũ entis, sed hoc est substantia, ipsum vero aliquid substantiæ qualificans, determinans, siue etiam quodammodo complens, & aptans substantiam, vel in se, vel ad extrinsecum; Vnde multiplex accidens est. Atque vt in syllaba certi accentus, vel soni, se tenent ex parte consonantium, vt patet apud aliquas nationes, quæ magis eos explicant, & faciunt sonare in syllaba; alij se tenent ex parte vocalium quatenus vel aperte, vel obtuse pronunciantur; alij magis se tenent ex parte totius syllabæ, illamque vel acuunt, vel depriment, vel inflectunt, aliterue qualificant; ita in ente physico aliqua accidentia se tenent ex parte materię, & subiecti, illudque aptant, & disponũt ad suscipiendam formam; alia magis se tenent ex parte formæ, illamque sequuntur, & alia totius sunt, & totum positum in esse consequuntur; etiamsi forte habitudinem magis ad vnam partem dicant, quam ad aliam. Considerandum igitur est, quod illa, quæ se tenent ex parte subiecti, & si comparata ad subiectum formæ sunt, comparata tamen ad formas subsequentes conditiones referunt, & induunt rationem subiecti, vt proinde, & illius genus causæ innitentur: Nam etiamsi non statim dispositio subiecti ad formam subiectum sit formæ, subiectique vere rationem participet, cum possit solum aliquid esse subiecti; tamen nihil prohibet, quin possit esse subiectum quo,

& in quo; maxime quando ex tali dispositione, & accidente forma est, vt in multis, quæ ex certis accidentibus, vel eorum combinatione in subiecto enascuntur: Præterquam quod in accidente sæpe est actus primus, & secundus, & secundus quidem immanens, non transiens; omnis autem actus receptus, sicut formando illud, a quo recipitur, imitatur causalitatem formæ; ita primus illum recipiens imitatur causalitatem materiæ, vt proinde necesse sit vtrumque genus causæ locum habere in accidente; Atque vt esse, & ens, primum quidem de substantia dicitur, vt quæ simpliciter est, & tamen adhuc dicitur de accidente, secundario scilicet; Ita vtraque ratio dictarum causarum primo quidem dicetur de materia, & forma substãtiali, quæ simpliciter vt actus, & potentia conspirantes constituunt ens; secundario vero dicetur de potentia, & forma accidentali, quæ faciunt entis ens. Quare.

Dicendum vtrumque genus causæ locum habere non solum in substantia, sed etiam in accidẽte. Patet ex dictis. Et confirmatur; Quia certũ est dari accidentia, & hæc nõ stare per se, sed accidere substãtiæ, & quidẽ intrinsece: ergo substantiam aliquo modo formant, ac proinde aliquam habent causalitatem formalem, & formæ rationem; sed quoque non minus certum est, aliqua accidentia in substantia esse non posse nisi medio alio accidente in eadem ipsa substantia; Ergo accidens quo medio substantia aliud accidens recipit, exercet in hoc aliquam causalitatẽ subiecti: vnde, & causæ subiectiuæ rationem habere poterit.

Ad rationes in contrarium sententiæ affirmatiuæ, Ad primam respondeo dicendũ per illam solum probari in istis generibus causæ materiam, & formam substantialem esse primum analogatum, vt quibus primario dicta genera causarum conueniant, vt quæ institutæ sint ad faciendum vnum per se, & constituendum ens simpliciter; non probatur tamen secundario non conuenire accidentibus, sicut, & ipsa ratio entis; Vnde sicut secundario entis sunt; ita & secundario subiectum, ac forma esse poterunt.

Ad secundum respondeo dicendum, quod forma in sensu formali non potest esse principium patiendi, & recipiendi; potest tamen in sensu reali, vel etiam distinguendũ adhuc est forma non potest per se primo esse principiũ patiendi, & recipiendi, potest tamen vt est in subiecto: Nec tamen confusum est munus formæ cũ munere materiæ; Quia munus materiæ est pati vt primum principium, & radix eius passionis, per quam constituitur ens simpliciter. Aristoteles autem cum dicit accidens non accidere accidenti, nisi quia ambo eidem accidunt, nempe substantiæ, loquitur de prima radice, & causa primaria, Quare accidentia ad inuicem copulentur: Hæc enim substantia est; Nec verum est, quod non sit maior ratio, cur vnũ accidens alteri accidat, cum aliqua accidentia immediate cõueniant substantiæ, alia mediante alio accidente.

Obijcies. omne accidens est entis ens: ergo supponit ens, quod est substantia, constitutũ: nõ ergo verum est, quod ex accidentibus alia sequantur materiam, aliæ formam, alia totũ.

Respondeo dicendum, quod accidens est entis ens, & quatenus omne accidens substantiæ est, & propter substantiam: non quod omne accidens supponat substantiam constitutam, nisi in hoc sensu, quod cum partes substantiæ physicæ, vna excepta anima rationali, non subsistant nisi in toto, accidens vero vt inhærens supponat aliquid actu subsistens, cõsequenter omne accidens supponit aliquid substantiale constitutum, quatenus constitutũ dicit subsistens; tamen quia aliquod accidens ita materiæ est sicut quãtitas, vt si ponatur materia sine forma habitura sit naturaliter quãtitatem; aliud ita est formæ, vt pariter si per se subsistat, forma habitura sit illud, quales sunt potentiæ, & virtutes immediate formam sequentes; aliud ita est totius, vt nisi ex materia, & forma factum sit vnum quid esse non possit, vt potentiæ sensitiuæ, ideo verum est illud, quod conclusum est.

Obijcies secundo. nihil potest esse subiectum nisi participet conditiones subiecti, sed accidens non potest participare conditiones subiecti; Ergo accidens non potest esse subiectum. Minor probatur; Quia conditiones subiecti sunt, quod ex eius potentia educantur formæ, & in eo sustentẽtur, quæ non possunt conuenire accidenti: Nam prima conuenire non potest: Quia accidens non existit in potentia accidentis; sed substantiæ; Neque secunda; Quia illud non potest sustentare aliud, quod indiget sustentante, & non potest stare per se: quale est omne accidens.

Respondeo dicendum, quod accidens non potest esse accidenti subiectum primariũ, & vt quod, sed solũ subiectũ secundarium, & vt

quo,

quo, sine in quo: subiectum enim primariũ, & quod, est illud, quod per se stat, & subsistit: nã subsistentis est sustentare aliud, tamen quia, sicut, si sustineam sursum baculum, potero baculo sustinere lapidem, qui a me solum sustineri dicetur mediate; ita par accidens, quod est in substantia, potest in ea esse aliud accidens, ac proinde accidens fungi potest munere immediati, sed secundarij subiecti respectu alterius accidentis, primarium enim subiectũ semper erit substantia, etiam si per miraculũ illa aliquando absit, vt in sacrosancta Eucharistia; nam tunc si aliquid plus habet accidens per miraculum habet, quatenus tenet locum substantiæ. Et per hæc patet etiam ad priorem difficultatem: Vnum accidens posse esse in potentia alterius accidentis, & ex eo educi, sed secundario.

Art. 5. Vtrum in Entibus, quæ physica non sunt, hoc duplex causæ genus reperiatur.

TRipliciter procedere potest quæstio: Nã primo quæstio esse potest dentur ne aliqua entia nõ physica, vt genus aliquod intelligẽtiæ, constans forma spirituali, & materia quodãmodo spirituali, ac proinde ex actu & potentia ad inuicem realiter distinctis substãtiam illarum cõponentibus, & de hoc diximus in 3 parte disp. 1. quæst. 2. Art 7. vbi a fine ostendimus talem compositionem in intelligentijs esse non posse, cum corpus non sit necessarium ad intelligendum, sed magis intelligentiam impediat; ad munera autem vegetatiuæ, & sensitiuæ, etiam vt inseruiunt intellectui, non sint necessaria corpora diuersæ materiæ ab illis, quæ habent animalia, & homo: quamquã, & dubium est, sit ne possibilis materia ab illa diuersa, quæ habeat huiusmodi munera.

Secundo Quæstio esse potest, vtrũ, & si in intelligentijs illa compositio nõ datur, detur tamen alia compositio substantialis; sed metaphysica, ex actu scilicet, & potentia metaphysica, cui conuenire possit dictarum causarum ratio, &

Tertio vtrũ in illis detur saltẽ compositio realis ex substantia, & accidente; propter quã duplex illud causę genus locũ in illis habeat.

Et partem quidem negatiuam secutus videtur Aristoteles, & ex antiquis Peripatetici non pauci ponentes intelligentias entia sua natura in actu, & semper in actu, quæ proinde excludere videntur omnem compositionem ex potentia, & actu, & consequenter etiam ex substantia, & accidente, Quod etiam probatur.

Quia radix omnis potentialitatis videtur esse materia prima. In intelligentijs autem, vt diximus, materia non est; ac proinde neque vlla potentialitas, vbi autem potentialitas nõ est, simplex actus est, ac proinde nulla ex actu & potentia compositio.

In Contrarium est communis sententia affirmatiua, quã cum philosophis communiter defendunt etiam Theologi scholastici, quæ ex eo probatur; Quia præter vnum Deũ, cœteræ omnes intelligentiæ sunt entia creata, siue per participationem, ac proinde ex se nihil, & solum per ens a se posita in actu, & consequenter ex se nuda potentia, & tantum beneficio Dei actus; sed non omnis actus, sed actus limitati: vbi autem limitatio est, & potentialitas est: imo, & compositio ex substantia, & accidente; Quia ibi non omnis perfectio est substantialis actus. Pro solutione ergo.

Notandum, quod multiplicatio ipsa intelligentiarum, ostendit compositionem earum ex actu, & potentia. Nam vbi forma est continens omnem perfectionem in actu, multiplicatio esse non potest; Nam alia forma, quæ esse poneretur a prima distincta, & continens sicut prima omnem perfectionem in actu, non habebit, per quod distinguatur a prima, & illa omnia eadem habebit, quæ habet prima, ac proinde a prima distincta esse non poterit; Quia distinctum ab alio non est, in quo idem prorsus, quod in illo est; & secundum eandem rationem est. Cum ergo intelligentiæ, & entia sine materia multiplicata sint, vt est communis sensus hominum, & docent principia Theologica, & ratio ipsa Entis participati, & limitati; consequenter in illis inuenietur compositio metaphysica ex actu & potentia; nam, & ad inuicem distinguuntur; & quoque inuicem in aliquo cõueniunt, vt proinde assumi in ipsis possit commune aliquid potentiale determinabile, & proprium aliquid specificum distinctiuum determinans, actuansque id non continuo, vbi talis compositio est, ibi

vnum-

vtrumque genus causæ subiectiuæ, & formalis esse dicemus; Quia huiusmodi causæ, si vere causæ sunt, ad inuicem realiter distinctæ sunt: genus autem metaphysicum, & differentia realiter distincta non sunt, maxime in his, quæ sunt sine materia; sed sola distinctio rationum metaphysicarum. Restat ergo, quod solum in illis locum habeat realis compositio Ex substantia, & accidente. Considerandum enim est, quod Intelligentiæ nō vno actu intelligunt omnia, quæ possunt intelligere, & sunt intellectutæ temporibus futuris, & per totam æternitatem: Esset enim huiusmodi actus infinitus, ac proinde vel vnum infinitum intelligibile in actu, vel infinita simul in actu intelligibilia, & consequenter actus intelligens infinitus; Vnde & simplex illimitatus actus: Cum ergo per plures actus intelligant, non est substantia ipsorum actus; sed actus extra essentiam ante illum constitutam adueniens de nouo, & deficiens, si alij de nouo producendi sunt, ac proinde accidens, & non substantia; Quod & de actibus voluntatis concedendum est, qui vt actus intellectus transeuntes, si ex nouis actibus intellectus: Imo & intellectus, & voluntas ipsa accidens, non substantia: Quia sicut velle, intelligere non est, in ente limitato, ita Intellectus Voluntas non est, ac proinde nec intellectus substantia huiusmodi intelligentiarum; Quia distincta non sunt, quæ idem sunt: Vnde in Intelligentijs, quæ per creationem a prima infinita intelligentia finitæ factæ sunt, compositio ex substantia, & accidente necessario est, atque adeo, & aliquod genus causæ subiectiuæ, & formalis; Quia omne, quod substantia nō est, in subiecto est; & aliqua forma omne accidēs est; & omnis forma recepta alicuius subiecti forma. Quare.

Dicendum in entibus finitis, quæ physica non sunt, saluari vtrumque genus causæ, non quoad substantiam, quæ simplex est, & sine vlla physica materia, sed quoad accidentia, & operationes. Patet ex dictis; Et confirmatur prima pars; Quia in tota latitudine entis creati sicut reperiuntur substantiæ compositæ ex materia, & forma: ita & simplices reperiri debent; & sicut reperiuntur substantiæ materiales, ita & reperiri debent sine materia spirituales; vt sic Vniuersum perfectum sit, & habeat omnes gradus Entis; Ergo. Confirmatur secunda pars: Quia accidens in tota sua latitudine habet pro subiecto primo, & adæquato ens creatum, siue limitatum, & finitum; Quod enim finitum est recipit additamentum, & perfectionem supra id, quod est; Vbi autem accidens est, & subiectum, & forma quoque est; In Entibus creatis: quæ physica non sunt accidens est; Ergo & subiectum, & forma est, ac proinde, & vtrumque genus causæ subiectiuæ, & formalis.

Ad rationem in contrarium respondeo dicendum primam radicem potentialitatis esse ab alio suum habere esse, & ex se non esse.

Obijcies per efficientiam alterius potest fieri res omnino simplex; Ergo esse ab alio non est radix potentialitatis; non enim esset omnino simplex. Secundo. potentia, & actus ad inuicem opponuntur; Ergo in eodem fundari non possunt; secus enim idem posset mouere se ipsum, imo, & se ipsum ponere in esse.

Ad primam respondeo dicendum, quod nulla res adeo simplex est, quæ si facta est per alterius efficientiam, ac proinde simpliciter non est omnis actus, recipere nōn possit additamentum perfectionis; Nam hæc simplex res, vel apta erit cum alia componi, ac proinde adhoc erit in potentia; vel si hoc non habeat, & stare velit per se, capax erit alicuius perfectionis, & ornamenti, vel operationis, ac proinde ad hæc erit in potentia. Nam quoties res simplex non est infinitus actus, & omnis actus in prima, & suprema perfectione entis, est tantum limitate, & in certo genere, actus: Ergo recipere poterit perfectionem alicuius alterius generis, vel gradus, quam non habeat; vnde enim ostendetur talem actum non esse capacem vllius alterius perfectionis? Cum, & a priori ratio ipsa, & a posteriori sensus, & experientia ostendat quancumq; rem, quo fere pluribus caret, eo ad plura esse in potentia; limitatio enim & defectus perfectionis dicit indigentiam, & potentialitatem; Et hanc solum simpliciter excludit id, in quo est ratio omnis actus; Quia tunc nulla est prefectio, quæ in eo non sit, ac proinde per hoc necesse est excludi omnem potentialitatem.

Ad secundam respondeo dicendum, quod potentia, & actus ad inuicem opponuntur secundum idem, non secundum diuersa; vnde quod est actus, ad id, quod est actus, non potest esse potentialitas; sed quod est actus potest esse potentialitas ad id, quod non est actus, vt oculus, qui actu est instrumentum

vi-

videndi, poterit esse potentia ad visionem, quam nondum habet, & intellectus ad intellectionem, & voluntas ad volitionem. Nam secus omnes isti actus essent ab extrinseco, nec intellectus causa esset productiua intellectionis, vbi non est idem intellectus, & intellectio; sed necessario intellectio esset actio transiens, atque adeo periret huiusmodi vita in creatis. Quare actus, & potentia non possunt fundari in eodem secundum idem; possunt tamen fundari in eodem secundum diuersa.

Dices hæc diuersa, vel sunt realiter diuersa, vel solum formaliter, & per conceptus mentis; si primum habetur intentum, non posse actum, & potentiam fundari *in* eodem: si secundum nihil erit tam simplex, quod non possit esse actus, & potentia, ac proinde, & mouere se ipsum, & se ipsum efficere. Respondeo breuiter dicendum (nam alibi hæc tusius tractandi locus erit) quod ly terminus diuersa si accipiatur pro principio, quod dicitur in potentia, potest dicere solum diuersitatem conceptus, & rationum formalium, & esse idem realiter; si accipiatur penes terminum dicere necessario diuersitatem realem, vnde idem non potest producere se ipsum, potest tamen producere in se ipso motum localem, vel aliquam aliam actionem realem.

Dices ergo perit doctrina philosophi in lib. 8. phys. de distinctione mouentis, & moti, & sensus, & sensibilis in secundo de anima, & Intellectus agentis, & possibilis in tertio.

Respondeo dicendum, quod doctrina illa vera est, cum ista limitatione, quod principium, quod dicitur in potentia liberum non sit, vel non fiat in actu per libertatem; nam posito hoc, nihil simul erit in actu, & potentia, nisi per aliquid diuersum ab ipso realiter fiat in actu, vel directe, vel certe vt ab applicante, vel remouente prohibens; & hoc quoties res debet facere se in actu: Nam secus doctrina, quod aliquid possit esse actus, & adhuc potentia respectu alterius actus, qui in ipso fiat ab extrinseco, non opponitur illis doctrinis, nisi actus, qui fieri debet, ponatur esse ille ipse, qui iam est, ac proinde nisi spectetur identitas penes terminum; vnde omnis actus finitus poterit esse potentia saltem respectu actus, qui fieri potest in ipso ab extrinseco.

QVAESTIO VII.

De Fine.

VLtimus cum in executione sit finis, licet primus sit in intentione, de eo vltimo loco agendum erit, de quo multa quæremus, & quoad an sit, & quid sit, & quomodo causet, & quibus conueniat, vt patebit ex dicendis.

Art. 1. Vtrum finis, quæ est vltima causa, possit esse multiplex.

VIdetur, quod non sit multiplex; primo quia est vnus finis omnium nimirum Deus. secundo sicut omnia sunt ex nihilo, ita omnia in nihilum tendunt; vnde dicitur vnus omnium finis mors.

Pro solutione.

Notandum, quod hic sermo est de fine, nō vt est terminus, & extremum rei, quomodo mors dicitur finis hominis; peroratio finis orationis, & ciuitas finis viæ; sed sermo est de fine, vt est id, quod intendimus, & quod in causa est, vt operemur, & cuius gratia operatur omnis causa per se; acceptus ergo finis pro eo, quod est in intentione agentis, dum operatur, & propter quod operatur, diuidi soler multipliciter; prima diuisio est in finem cuius gratia, & cui, quam diuisionem tradidit Arist. 2. de anima t. 35. & 37. finis cuius gratia est id, quod expetitur, finis cui est id, cui finē cuius expetimus; sic sanitas est finis cuius gratia; quia eius gratia accipitur medicina, obseruatur dieta, &c. at verò æger, est finis cui, quia ei per medicinam volumus sanitatem, secunda diuisio est ipsius finis cuius gratia in vltimatum, & non vltimatum; non vltimatus est, qui alium spectare potest, vel debet, vt virtus beatitudinem; vltimatus est duplex vel ex natura rei, vel ex libito operantis; vltimatus ex natura rei est, qui ita est vltimus, vt ad alium vlteriorem referri non possit; vltimus ex libito operantis est, quem sibi operans ita constituit, vt non referat ipsum ad

vl-

vlteriorem finem, sine aptus natus sit referri, siue non. Tertia est in finem operis, & finem operantis, finis operis dici potest terminus, qui acquiritur, & producitur per operationem, vt finis scriptionis est ipsa scriptura; finis operantis est id, propter quod operans agit, vt pecunia est finis scribentis illius, qui scribit propter pecuniam Quarta diuisio est in finem, qui est res ipsa, & in finẽ, qui est adeptio rei, sic vinum est finis sitientis, vt res; potatio vero vini est finis vt assecutio rei. Quinta diuisio potest esse in finem operationis, & rei factæ; finis operationis est, ad quem acquirendum est operatio, sic calefactio est propter calorem, ad quem acquirẽdum est instituta calefactio; finis operis est propter quem est aliqua res, & hoc pacto finis materiæ est forma, quia facta est materia propter formam; finis autem operis coincidit cum fine cuius gratia ex natura rei, nisi per finem operis intelligere velimus etiam finem, quem sibi proponit operans quocũque modo; nam tunc finis operis coincidere potest cũ fine extrinseco. Sexta diuisio esse potest in finem naturalem, & supernaturalem; finis naturalis est, quem naturæ viribus acquirere possumus; supernaturalis, ad quem acquirendum indigemus super naturali auxilio, idest auxilio naturæ viribus minime debito, qualis finis est gloria cęlestis, & cum hac diuisione ferè coincidit alia, quæ est in finem perfectũ, quo adepto nihil aliud concupiscimus, vt est supernaturalis beatitudo, & gloria cælestis, & imperfectum, quo adepto non prorsus conquiescimus aliæ; vlterius addi possunt diuisiones, vt illæ in finem proximum, & remotum, in finem principalẽ, & secundarium, in finem vniuersalem, propter quem scilicet multa instituta sunt, & in finem particularem; tot & plures tradi solẽt finis diuisiones, quarum tamen multæ in idem ferè coincidunt; imo non in omnibus obseruatum est, vt membra diuidentia sint contradistincta, cum sæpè accidat, vt ex vtroque membro fiat vnus integer finis; nam ex fine cuius gratia, & fine cui integratur vnus totalis finis; neque enim cum volumus sanitatem illam volumus in abstracto; sed volumus sanitatem nobis, vel fratri &c Itaque frater sanus faciendus, est finis, propter quem erogamus pecunias, procuramus medicinas, & cœtera, ex his tamen.

Considerandum est, quod si accipiamus finem secundum omnes istas cõsiderationes nõ potest esse vnus, sed necessario est multiplex; sicut etiam multiplex est finis etiam secundum vnam rationem consideratus materialiter; nam diuersorum diuersi sunt fines, sicut & diuersi sunt ij, quibus eos volumus, vt fini cuidam tamen ex alia parte si accipiamus finem genericè, vt saltem facit genus quoddam analogicum, quod dicimus causam finalem; erit vnus finis, idest vnum genus causæ finalis; quia tamen cum quæritur verum finis sit multiplex, quæstio est potius in priori sensu ideo.

Dicendum, quod finis est multiplex patet ex dictis. Ad primam rationem in contrarium. Respondeo dicendum, quod illa procedit de fine penitus vltimo rerum omnium, qui uerè Deus est, sicut idem rerum omnium est primum principium.

Ad Secundam respondeo dicendum, quod illa procedit de fine accepto vt termino, non vt causa, finis autem in dicto sensu est mors, seu corruptio nõ rerum omnium simpliciter, sed rerum tantum corruptibilium; nam multæ aliæ res sunt ex nihilo, quæ in nihilum tamen nunquã desinent, vt sunt res omnes creatæ incorruptibiles, & spirituales.

Art. 2. Vtrum finis sit vera causa.

Svnt duæ sententiæ, vna affirmans, altera negans; negatiuam secuti sunt quicumque vnam tantum causam posuerunt, & hanc efficientem, de quibus diximus supra; sententia affirmatiua, quæ putat finem constituere verum genus causæ est omnium aliorum cõmunis Aristotelis, & Peripateticorum, sanctorum Patrum, & Scholasticorum, & vt ait Suarez finem esse veram, propriam, & realem causam est receptum dogma, & quasi primum principium in philosophia, & Theologia. Pro sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima de ratione causæ videtur esse, ut per se, ac realiter influat in effectum; sed finis nõ influit esse realiter in effectum: ergo non est uera causa; minor probatur, quia non potest influere esse reale in aliud, quod in se esse reale non habet: finis autem cum causat non habet esse reale.

Secunda ratio. nihil potest esse causa sui ipsius: sed si finis esset causa, fieri ipsius causa esset: ergo non est causa, maior patet ex distinctio-

ctione, quam dicere debet causa, & causatũ minor probatur; quia finis coincidit cum forma; quæ fit propter ipsum finem, ac proinde quæ fit propter seipsam.

Tertia ratio, finis causat metaphoricè, quia eius causalitas, vt aiunt, consistit in metaphorica motione, & videtur doctrina Arist. 2. Phys. t. 70. & 1. de generatione t. 55. sed causa metaphorica nõ est vera causa, sicut risus Metaphoricus risus non est; secus enim in pratis virentibus verè esset risus; Ergo finis non est vera causa.

Quarta ratio, causa dicit relationem ad causatum; sed finis non potest dicere relationem, quia ad relationem requiritur vt fundamentum, & terminus existant, quod non est in fine, qui cum causat non existit: Ergo finis non est causa. His addi potest; quod nihil assignari potest, quod finis causet; Nam vel causat aliquid in ipso agente, & hoc nõ, quid enim centrum, quod est finis lapidis descendentis deorsum, causet in lapide? Nam motus deorsum lapidis causatur à grauitate, quæ est in lapide, non à centro, quod extra lapidẽ est. Pro contraria sententia affirmatiua est.

Primum communis auctoritas; & modus loquendi, qui cum temere nõ potuerit introduci, cũ æque valeat apud sapientes, & idiotas, existimandum est habere vim publicæ auctoritatis, & quodammodo esse vocem naturæ.

Secunda ratio, illa est propriè causa, per quam propriè satisfacimus interrogationi, qua quæritur propter quid, sed per finẽ propriè satisfacimus huiusmodi interrogationi: Ergo finis propriè est causa; maior patet ex dictis supra de causis; minor etiam est euidens; interroganti enim quare socrates ambulet, & quare accipiat medicinam, abundè satisfacimus dicentes propter sanitatem: ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod, vt diximus supra, ratio causæ non est vna in omnibus causis, non solũ, quia omnis particularis causa secundum suas particulares rationes distinguitur ab alijs causis; sed etiam, quia vnum genus causæ non omnimode concurrit cum alio genere; vnde non benè argumentamur ad ostendendum, quod finis causa non sit ex rationibus, quæ in cœteris causarũ generibus reperiũtur; verum quidem est, quod finis vt causa sit, debet saltem conuenire cum cæteris causis in ratione vniuersale constitutiua causæ, quam supra assignauimus, cum diximus, causam esse principium, a quo per se fit, & dependet affectus. Considerandum autem est, quod nihil consultò in natura fit, & maxime ab agẽntib⁹ intellectualibus, quin illud fiat propter aliquem finem, vt proinde finis sit vere principium, a quo per se fit, & dependet effectus; nã ità finis est principium per se effectus tamquã cuius gratia, sicut efficiens eiusdem est principium tamquàm vnde motus; si ergo efficiens propriè causa est in suo genere; non minus in suo genere debet esse causa finis; ex quo apparet quomodo ratio principij conueniat etiam fini, ex cuius occasione aliqui argumentantur ad probandum, quod finis causa non sit; nam vt quid sit principium alterius, nõ est semper necesse, vt illud antecedat in actuali existentia, cum sufficiat si præcedat in ratione; qua illud ipsum principiat; quod euenit in fine, qui cum sit principium eorum, quæ sunt ad finem, vt cuius gratia, ac proinde in intentione, sufficit vt illa in intentione antecedat; quare cum à fine verè multa per se dependant ità, vt verè non fiant, nisi præcedat finis causando, vt id cuius gratia, illa fiũt, ideo.

Dicendum finem habere veram, & propriam rationem causæ, patet hæc conclusio ex modo dictis, & rationibus secundæ sentẽtiæ; confirmatur; quia si finis non est causa omnis causa efficiens erit casus, vel fortuna, & nulla erit causa per se; quia causa per se est, quæ ad effectum ordinata est; casui vero, & fortunæ per accidens effectus adiungitur: consequens est absurdum, vt patet: ergo & id, vnde sequitur. Ad rationes in contrarium.

Ad primum respondeo dicendum, quod influxus, proprie acceptus, vt supra dictum est, videtur solum dici de causa efficiente; acceptus verò pro necessaria connexione, & dependentia, secundum quam vnum est ab alio; verè dici poterit etiam de fine, quo sensu finis influit esse realiter in ea, quæ sunt ad finem; quoniam illa realiter non essent, nisi finis, vt cuius gratia, moueret agens ad illa producenda, quare in forma distinguenda est maior, iuxta modo dicta, & iuxta eadem neganda minor, & consequentia.

Ad secundam respondeo dicendum, quod secundum vnam, & eandem rationem nihil potest esse causa sui ipsius; ac verò at intentum, & appetitum optime potest esse causa sui in executione, & consecutione, quomodo finis est sibi causa, Quare iuxta hæc negatur maior.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod causalitas finis dicitur consistere in metaphorica motione, quia motio illa comparata ad propriam motionem, quæ est efficientis, metaphorica quasi motio est; attamen metaphorica motio non est metaphorica causalitas, sed propria in genere finis, quod enim est quasi metaphoricum in genere efficientis, optime potest esse propriũ in genere finis; quare negenda est minor, si intelligatur de fine.

Ad quartam respondeo dicendum, quod propriè inter se dicunt relationes reales causæ, quæ causant secundum statum realem. ad illud, quod additur, quod non potest assignari, quid finis causet, falsum est; nam stando in exemplo ibi allato, centrum causat in lapide motum; motus enim licet sit actiuè à grauitate; est tamen finaliter, & vt à cuius gratia à centro, vnde negatur consequentia.

Art. 3. Vtrum ratio causæ finalis conueniat fini cuius gratia, an fini cui.

IN diuisionibus finis præcipuum locũ habere diximus illã, quæ est in finem cuius gratia, & finem cui, iam videndum est, cui ratio causæ finalis conueniat; nam licet facile dissolui possit hæc controuersia asserendo illos non esse duos fines, sed esse quasi duas partiales rationes finis, quæ vnum finem integrũ & adæquatum constituunt; tamen non defuerunt, qui dicerent, rationem causæ finalis cõuenire solum propriè fini cui; alij, qui voluerint conuenire solum fini cuius gratia. Quare prima sententia est Buridani quæst. 7. & 5. metaph. quæst. 1. Alberti de Saxonia quæst. 13. quam sequutus videtur Ocam. in 2. quæst. 3. art. pri. Gabrieli ibidem dist. 1. quæst. 5. & Henricus quodlib. 2. quæst. prima, hi auctores volunt solum finem cui esse causam finalem.

Communis sententia est, quam sequuntur cæteri, esse vnum finem totalem conflatum ex fine cuius gratia, & fine cui; quamquam non desunt aliqui recentiores, qui dicant finem propriè esse cuius gratia distinguentes illum à fine cui. Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima. causa in tantum est causa, in quantum existit actu; sed finis cuius gratia non existit actu, quando est o; ergo ratio, siue effectus finis ex primo de Gener. tit. 55., sed solum actu est finis cui: ergo hic tantum erit causa finalis: maior patet ex dicto philosophi hic. t. 37. quod simul est causa in actu cũ causato.

Secunda. ratio finis debet intendi propter se solum, at finis cui intenditur propter se, non autem finis cuius gratia: ergo finis cui propriè est causa finalis: maior patet ex ipsa ratione finis; & quia illud, quod intenditur propter aliud, est potius medium, quam finis: minor probatur, quia finis; cuius gratia intenditur propter finem cui, volumus enim sanitatem non propter se, sed propter nos, quia nobis bona; at verò non volumus nobis sanitatem propter aliquem alium; ergo. Afferunt etiam ad eandem sententiam probandam illud de metaphorica motione, & de relatione dictum supra. Pro secunda sententia sunt hæ rationes.

Prima. finis ratio est esse id, cuius gratia; ergo finis cuius gratia est propriè causa finalis; patet consequentia; quia illa debet esse propriè causa finalis, cui propriè conuenit ratio talis causæ: ratio autem causæ finalis est esse cuius gratia ex Arist. tex. 70. docẽte finem, & formam esse idem numero, quod etiã docet q. Metaphor. t. 14. est autem idem numero cum forma finis cuius gratia, & hic tex. 29. docet sanitatem esse finem deambulationis; sanitas autem cum deambulamus est finis cuius gratia; gratia enim illius est deambulatio.

Secunda ratio, ex communi axiomate finis inter causas est primus in intentione, & vltimus in executione; sed primus in intentione, & vltimus in executione est finis cui⁹ gratia; hic enim medio efficiente mãdatur executioni, sanitas enim est illa, quæ acquiritur, non æger, cui sanitas acquiritur: ergo finis cuius gratia est causa finalis. Pro solutione.

Notãdũ, ꝙ finis is esse debet, qui in agẽtib⁹ maxime per intellectũ, est causa, quod agant illa præmouendo. Considerandum autẽ est, quod aliud est id, qđ mouet, aliud id, quo mouet, quod enim mouet ægrũ ad accipiẽdã medi-

diciaam est vt sanus fiat, siue est sanitas non in abstracto, sed in concreto, vnde concretum in sanitate, quod est sanus, erit completa causa finalis; neq; enim æger vult sanitatem secūdum se, sed sanitatem sui corporis, seu suū corpus sanum, quare sanitas est vt ratio, qua, sanum vero est vt id, quod mouet; nec ex eo quod dicimus accipi medicinam propter sanitatem, & propter sanitatem esse dietam, & deambulationem, aliud significare volumus; vnde in illis locutionibus est abstractum ꝓ concreto, vel certe significatur solū ratio formalis qua, ratio enim sani est sanitas, itaq;

Dicendum causam finalem propriè esse finem cuius gratia in concreto, seu esse finem comprehendentem vtrumq; finem, patet hæc conclusio ex modo dictis, & eam ferè ꝓbant rationes secundæ sententiæ, nam quod est primum in intentione, & vltimum in executione est finis in concreto, & cuius gratia, per quod exprimitur ratio causæ finalis, quę compræhendit finem cui, quia vt dictum est, non est cuius gratia curationis, & dietæ sanitas secundum se, vel in abstracto, sed sanitas ægri, seu corpus ægri sanum.

Ad rationes in contrarium primæ sententiæ. Ad primam iam patet ex dictis, quomodo causa finalis in actu debeat esse cum suo effectu in actu, satis enim est vt sit in actu in intentione, dum est in actu aliquis ipsius effectus in executione, neq; oportet, quod sint in actu eodem modo nimirum in executione, quia ex loco citato primi de Generatione præsentibus habitibus cessat motus, ac proinde, & motio finis.

Ad secundam respondeo dicendum, quod illud, quod propter se solum intenditur est conflatum ex fine cuius gratia, & cui, vt apparet ex dictis, nec enim propriè finis cui exercet causalitatem in rationem illam, quę dicitur cuius gratia, sicut ratio cuius gratia in finem cui, nam sanitatem quidem volumus propter nos, seu melius nobis; nō tamen cum optamus sanitatem facimus illos diuersos actus, vnum nimirum, quo moueamur, non à sanitate, sed à nobis; alterum quo nos moueat sanitas, sed sanitas nostra, seu sanitas nobis acquirenda nos mouet, & est causa omnium; quæ ea de causa facimus; quare ad formam argumenti negatur, quod finis cui intendatur propter se solum, iam enim esset finis, cuius gratia, sed intenditur aliquid nostrum, puta nostra sanitas.

Obijcies. ideo amamus sanitatē, quia amamus nos ipsos: ergo amor nostri est causa amoris sanitatis: ergo nos sumus finis sanitatis: propter nos enim appetimus sanitatem, & propter sanitatem medicinam: ergo verè finis cui est illud, propter quod sanitas, quod vlterius non refertur, ac proinde est propriā causa finalis.

Respondeo dicēdum quidquid de illo causali sit, quod nos practicè illo modo non operamur; neq; enim æger, qui appetit sanitatem prius facit aliquos actus, quibus diligat se ipsum, seu quibus diligat sanitatem propter se ipsum, sed diligit, & appetit suam sanitatem, quod est finem cuius, & finem cui integrare vnum solum totalem finem; verum quidem est, quod sicut per intellectum distinguimus illos duos fines, ità & distinguimus inter amores, quorum vnus est, quasi vniuersalis inefficax complacētiæ de nobis, qui est radix omnium amorum, & est fundamentum, vel illa causalis, amam⁹ sanitatē propter nos, sit vera alter particularis efficax, quo hoc, vel illud expetimus operantes, & hic pro obiecto habet aliquid nostrū, itaq; finis, vt causat in actu exercito non patitur illam distinctionem in finem cuius, & cui, vt in duos fines.

Art. 4. Vtrum principium formale causandi finaliter sit ratio boni.

Quærimus de ratione, per quam finis ponitur in actu primo, seu per quam habet vt possit finaliter causare, & per quam influit in effectū eō modo, quo influere potest finis; postea sermo erit de causalitate, per quam intelligitur actu causans in actu secundo, duæ sunt præcipuæ sententiæ. Prima affirmatiua vult rationem causandi finaliter esse rationē boni, est Arist. primo Ethi. c. 7. & 2 Phys. t. 31. 5. met. cap. 2. D. Thom pri. 2 quæst. pri art. pr. & 3. contra gentes c. 2. & 3 Alensis pri. parte quæst. 17. membro 3 & quæst. 34. membro pr. Suarez disp. 23 sect. 5. Ruuij 2 Phys. tract. 5. de causa finali, quæst. 2. Conimbricensium, & aliorum.

Secunda sententia negatiua vult non solum rationem boni esse principium causandi finaliter; sed putat finaliter etiam causare posse malū, & indifferens, eā sequuntur nominales

Ocam in 3. dist. 13. dub. 3. ad eandem inclinat Scotus in 1. dist. 1. quæst. 4. & in dist. 43. quæst. 2. Pro hac sententia sunt hæ rationes.

Prima ratio, si voluntas non posset appetere malum, & indifferens, non esset libera: ergo potest appetere; sequela antecedentis probatur; quia de ratione libertatis est posse ferri in quidquid libuerit: ergo & in malũ, si libuerit. Confirmatur, quia quædam sunt peccata, quæ appellantur peccata malitiæ; peccata enim diuidi solent in ea, quæ fiunt ex ignorãtia, quæ fiunt ex passione, seu fragilitate, & 3. quæ fiũt ex malitia; sed peccata ex malitia nõ essent nisi cognosceretur malum, & ut tale intenderetur; nam si malum existimetur bonũ non est malitia illud appetere, sed ignorantia: Ergo verè voluntas fertur in malum.

Secunda ratio, eadem est potentia contrariorum, patet, eadem potentia visiua est albi, & nigri; Ergo & voluntas erit boni, & mali; seu ferri poterit per intentionem in bonum, & malũ; falsum igitur est, quod sola ratio boni appetatur, & sit ratio causandi finaliter. Confirmatur adhuc à simili; quoniam eadem est scientia contrariorum, frigidi scilicet, & calidi, albi, & nigri. ergo & idem esse debet appetitus boni, & mali.

Tertia ratio, duplex est actus voluntatis amor, & odium, & amor versatur circa bonũ; odium circa malum; Ergo duplex est ratio obiectiua mouendi voluntatem, malum, & bonum; sed finis est, qui mouet voluntatem: ergo in ratione finis includitur bonum, & malum: non ergo ratio boni est ratio causandi finaliter. Pro prima sententia affirmatiua sũt hæ rationes.

Prima ab auctoritate ferè cõmuni, & præsertim philosophi dicentis bonum est, quod omnia appetunt, & D. Dionys. c. 4. de diuinis nominibus affirmantis, quod nemo intẽdens ad malum operatur, cui subscribunt ex Suarez loco citato Aug. 2. Confessionum cap. 6., & S. Gregor. Nizenus lib. de Opificio hominis cap. 20. Damascenus lib. 2. de fide c. 22. & Scholastici communiter: consentanea etiam his habet Sene. lib. 4. de benef. c. 17. vbi ait nec quisquam tantum à naturali lege desciuit, & hominem exuit, vt animi causa malus sit.

Secũda ratio, si volũtas ferri possit ad malũ actu prosecutionis, frustrà illi à natura dati essent duo specie actus prosecutionis videlicet, & fugæ; ergo voluntas ferri non potest in malum actu prosecutionis; sequela probatur, distinctio actuũ in eadem potentia non potest esse nisi propter diuersitatem obiecti, in quod fertur: ergo si tam ad malum, quam ad bonũ posset esse prosecutio frustra ei dat⁹ fuisset actus fugæ; præterea prosecutio est ad bonum: ergo ex natura rei fugæ ipsi opposita erit ad malũ bono oppositũ; sed fuga nõ extẽditur ad bonum vt sic: ergo neq; prosecutio ad malum vt sic.

Pro solutione.

Notandũ, quod actus appetitus debet præsupponere suum obiectum, in quod feratur; sicut & omnis alia potentia; nam certum est, quod sicut oculus non fertur in sonorum, & tangibile, sed in visibile, & intellectus in intelligibile, vt sic, ità appetitus debet ferri in appetibile, vt sic; sed difficultas primum est cum appetitus, sicut intellectus, etiam sit potentia vniuersalis, vtrum hæc ratio appetibilis extendi possit ad omne obiectum, sicut ratio intelligibilis extenditur ad omne ens, pro quo considerandum est, quod intellectus fertur in ens per modum expræssionis ipsius in se, voluntas per tendentiam in ipsum vt quid ipsi volũtati cõueniens, vel certè conueniens alicui voluntati subordinato, cui ipsa voluntas bonum procurare debet vnde est, quod ratio obiectiua, in quam fertur uolũtas per prosecutionem sic ratio conuenientis; & boni; sed quoniam voluntati incumbit non solum procurare bonum non habitum, sed etiã præsens, & habitum conseruare, hinc est ut illi datus sit actus, quo possit ab opposito malo bonũ corrumpẽte refugere, qui est actus odij per quẽ quod sibi, sibiq; subordinatis, & coniunctis non conueniens est, auersatur, attamẽ distinguendum etiam est inter actus voluntatis; nã alij sunt inefficaces, & simplicis complacentiæ, per quos voluntas ferri potest in malum, & impossibile, non quidem simpliciter, sed quatenus in tali exercitio actuũ, quod est quoddam exercitium libertatis, reperit voluntas quandam delectationem; quod etiã est ferri in malum sub ratione boni, licet nõ feratur propriè in rationẽ obiectiuam, quæ bona sit; alij sunt actus efficaces, qui si sint prosecutionis vel feruntur in bonum simpliciter vel in bonum respectiuè; carentia enim v. g. alicuius boni, vt carentia vitæ non est bonum simpliciter, sed malum, respectiuè tamen est bonum, quatenus simul est carentia alicuius

gra-

grauis molestiæ; vnde potest quis efficaciter desiderare mortem, & illam sibi procurare, quod non est simpliciter ferri in malum, sed in malum sub ratione boni; quare per prosecutionem potest voluntas efficaciter ferri, & in bonum simpliciter, & in bonum respectiuũ quod est malum de se, sed respectiuè bonum, quatenus est priuatio alicuius maioris mali, reuera talis, vel certè talis reputati; si autem voluntatis actus sint efficaces fugę directè feruntur in malum; sine potius sunt à malo obiectiuè. Sed iterum considerandum est, quod aliud est loqui de voluntate, vt est potentia naturalis, aliud loqui de ipsa vt liberum arbitrium, aliud loqui de ipsa, vt est libera à passione, aliud vt est ab odio, vel alia tali passione possessa; si loquamur de uoluntate, ut est potentia naturalis, & non operatur ex libertate, neque illâ ulla perturbatio inflectit, non magis ferri potest in malum per actum prosecutionis, & à bono refugere per actum odij, quam possit oculus ferri extra uisibile. Quia ut sic determinata est ad bonum, si autem loquamur de ipsa, ut est liberum arbitrium, potest & auersari bonũ, & prosequi malum, sed utrumq; adhuc facit sub aliqua ratione boni, quatenus scilicet ad exercendam suam libertatẽ potest uelle aliquod malum, etiamsi in illo nullam aliam rationẽ boni videat, quam aliquam sui satisfactionẽ in tali exercitio; eodem pacto potest auersari aliquod bonum; Hoc totum adhuc magis faciet si sit in aliqua perturbatione, vt si sit in odio; Nam poterit velle malum inimico ex displicentia personæ, & sibi etiam ipsi ex magna odij perturbatione, in quibus actibus malum inimici, & malum sui sunt cuius gratia multorum actuum; & poterit refugere à bono vt sic, sed inimici, vel sui infensi, & auersi; sed aduertendum hic est, quod non faciet hoc voluntas, nisi saltem in actu exercito, quandã quasi sui satisfactionem reperiat, maxime cũ in expletione talis odij personæ sic affectæ bonum quoddam quasi sit; vnde hic accidere solet, quod in tibia distorta, quæ licet in suo motu à motu non absoluat; habet tamen motum obliquum vbi, & quando si recta esset, deberet habere motum rectum; ità in casibus dictis voluntas fugit quidem bonum, & prosequitur malum; sed non sine aliqua ratione boni, non ratione quã prosequatur, sed sub qua; nam vult malum, vt malum inimico, quatenus in hoc expletur, ac proinde saltem in actu exercito sibi si affectæ bonum quoddam aliquo modo est; eodem pacto à bono, vt bono inimici refugit, & in hoc sibi satisfacit, vt proinde nec prosequatur malum, vt simpliciter, & vltimo malum, nec refugiat à bono, & vltimato bono, sed à bono inimici quodammodo malo sibi, & malum vult inimico vt aliquo pacto bonum sibi saltem sic affectæ. Quare.

Dicendum simpliciter rationem finis obiectiuè, seu principium formale, per qđ finis causat finaliter, esse bonum, in aliquo tamen casu posse etiam esse malum; non tamen sine aliqua ratione boni sic affecto saltem in actu exercito, patet vtraq; pars conclusionis ex dictis, & confirmatur prima pars; quia nihil appetit voluntas, dum non est perturbata, nisi quod ostensum est ipsi ab intellectu conueniens esse appetere; sed malum vt sic non potest habere rationem conuenientis; quia malum, & conueniens opponuntur: Ergo voluntas non appetit malum vt sic; maior, præterquam quod constat experientia, & inductione, probatur; quia in obiecto voluntatis debet esse aliqua ratio obiectiua, sicut & in alijs obiectis; sed nisi hæc sit ratio conuenientis, & boni, nulla erit ratio obiectiua constitutiua obiecti voluntatis: Ergo. Præterea motus mobilis est ad terminum ad quem, vt sub eo mobile quiescat: Ergo motus à voluntate in obiectum est, vt in illo habito ipsa aliquo modo quiescat; sed quies non est nisi in statu conueniente, & quiescenti consentaneo: Ergo terminus, ad quem fertur voluntas, debet habere rationem conuenientis, ac proinde voluntas non appetit nisi bonum, & conueniens; malum autem auersatur; quia alia debet esse ratio, qua voluntas, refugit ab aliquo obiecto; tunc enim obiectum non habet rationem termini ad quem motus voluntatis; sed termini, à quo voluntas fugit; Confirmatur secunda pars, quia verè propter malum, quod vult quis inimico multa facit ad nullum aliud bonum attendens, quam ad destructionem inimici: Ergo mala illa sunt cuius gratia illorum actuum; sed adhuc illa nec vellet, nec faceret, nisi in eo aliquo pacto sibi satisfaceret, & illud videretur sibi sic affecto aliquo modo cõueniens

Si:

ergo malum illud finaliter nō causat sine aliqua ratione boni in actu exerciso, saltem indirectè putata sibi tale.

Ad rationes primæ sententiæ quatenus sūt in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod libertas voluntatis duplex est, alia specificationis, alia exercitij, libertate specificationis voluntas potest intra diuersas species boni, & in malum quatenus tamen induit aliquam rationem boni saltem in actu exercito sic affecto; libertate exercitij potest operari, & non operari circa bonum quodcumq;, quod nō dicat omnem rationem boni clarè visi. Quare iuxta hæc limitandum est illud antecedens, & eius accipienda probatio; Nam voluntas vere non potest in malum actu prosecutionis nisi saltem in actu exercito sic affecto induat quandam rationem boni. Ad confirmationem admissa illa distinctione peccatorum dicendum peccata malitiæ primum esse illa, in quæ fertur voluntas non perturbata à passione, vel decepta per intellectum, sed videns rationē mali moralis, quam continet, ea tamen eligit propter aliquam aliam rationem boni saltem apparētis, ob quam negligit admittere malum. Secundo peccata malitiæ sunt illa, in quæ tendit voluntas perturbata quidem passione, sed non quæ obscuret cognitionem; qualis dici potest passio odium, vel inuidia Diaboli, quorum peccatorum obiectum quidem malum est, sed quodammodo sic affecto in actu exercito bonum; sic Diabolus multipliciter peccat, & intendens ad malum nostrum, & quodammodo Dei, multa facit.

Ad secundam rationē patet ex dictis, quomodo voluntas sit potentia contrariorum; illud autem, quod affertur ex potentijs cognoscitiuis, non est omnino simile.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod p odium voluntas non tendit in obiectum, sed ab obiecto refugit; vnde malum, quod est obiectum odij, non habet rationem finis, quia finis trahit ad se voluntatem; verum quidem est, quod sic affecto, malum quod est obiectū odij, in causa est, vt iā infenso, aliquod aliud malum velimus, quod tamen non est sine aliqua ratione boni, sicut dictum est.

Rationes secundæ sententiæ accipi debent iuxta illa, quæ hactenus conclusa sunt, & ad secundam dicendum, quod frustra voluntati non sunt dati illi duo actus, cum vt plurimū voluntas circa malum non versetur nisi actu fugæ, actu verò prosecutionis cum versatur id fit, & quia in odio vel alia tali passione est per quam quod alteri est malū, quasi sibi bonum apprehenditur, & non sine aliqua ratione boni ex hoc ipso, saltem in actu exercito.

Obijcies. amor amicitiæ est cum volumus bonum amico propter ipsum amicum nō reducendo illud ad nos; sed sistendo in amico: Ergo, & odium tali amori cōtrarium est, quo volumus malum inimico ex displicētia personæ, non reflectendo ad nos, ac proinde malum, vt malum, & vltimato causabit finaliter.

Respondeo dicendum, quod sicut in volendo bonū amico saltem in actu exercito, & indirectè volumus bonum nobis; quia amicus est alter ego, & vt dixit philosophus, amicabilia, quæ sunt ad alterū ex amicabilibus, quæ sunt ad se; ità in volendo malū inimico quodammodo in actu saltem exercito volumus bonum nobis, quatenus in expletione nostræ voluntatis, inuenimus saltem quādam nostrā satisfactionem, vnde dulce esse solet sic affectis suum explere odium.

Dices si in amore amici quæreremus nos, nō esset ille amor amicitiæ, sed concupiscentiæ. Respondeo, quod si quæreremus nos directè, & aliquo pacto in actu signato, verè esset amor concupiscentiæ; at vero habere in amore amici aliquam nostram satisfactionem, & quodammodo in amico agnoscere nos ipsos, ac nos ipsos in eo diligere, non est amor cōcupiscentiæ, sed amicitiæ, cum directè ille amor specificetur à bono amici, & propter amicum illud velimus, licet indirectè nō possimus absoluere à nobis ipsis, qui p amicitiam iam quodammodo transiuimus in amicum.

Obijcies. damnati odio prosequuntur Deū, qui est summū bonū: Ergo si voluntas potest refugere à bono per actum odij, & ferri poterit in malum per actum amoris, & electionis; patet consequentia; quia non minus est absurdum, quod voluntas refugiat à bono, qđ dictum est esse obiectum prosecutionis, quā quod tendat in malum, quod dictum est esse obiectū fugæ, sed potest vnum: Ergo pôtest & alterum.

Respondeo dicendum, quod damnati non prosequuntur odio Deum, vt summum bonū, sed quasi sibi malum per pœnas, quas in ipsos exercet, ac proinde negatur antecedens, quatenus est contra dicta.

Art.

Art. 5. Utrum omnis ratio boni sit principium, per quod finis causat, seu utrum utile de se sit finis.

BOnum multipliciter dicitur, quãtum autem nunc facit ad præsentem difficultatẽ bonum diuidi solet in bonum honestum, iucundũ, & vtile, bonũ honestum est, quod conueniens est appetenti secundum rectam rationem, bonum iucundum est quidquid facit appetenti aliquam delectationem, bonũ vtile est, quod vtile est ad aliquid obtinendum; dubium ergo est, cui nam ex illis bonis conueniat esse principium causandi finaliter. Prima sententia putat omne bonum habere rationem causæ finalis; secunda vult solum honestum, & iucundum per se esse principiũ finalizandi, vtile verò solum finalizare, quatenus subſtat honesto, & iucundo, & illorum bonitatem refert, quæ est sentẽtia S. Thomæ prima parte quæst. 5. art 6. & Arist. pluribus in locis, vt patebit ex dicendis. Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima. solum bonum utile vt sic aliquando est id, cuius gratia; ergo est finis; patet consequentia à definitione ad definitum; esse enim id cuius gratia est definitio finis, probatur antecedens, quia cũ mittitur seruus ad Pharmacopolam ad accipiendam medicinam amaram, & de se ingratam, missio illa serui est gratia medicinæ; sed medicina præter bonitatem vtilis non habet aliam bonitatem, quia est iniucunda, & secundum se odio habetur; ergo causat finaliter, siue est cuius gratia est missio secundum bonitatem vtilis: Ergo vtile, qua vtile, est causa finalis.

Secunda ratio, Auarus amat pecuniam, & propter pecuniam multa facit, seq; multis priuat voluptatibus; immò, & rebus necessarijs; sed pecunia non aliam bonitatem habet à bonitate vtilis: Ergo sola bonitas vtilis sæpè causat finaliter.

Pro contraria sententia Prima ratio est ab auctoritate philosophi, qui primo maiorũ moralium c. 3. facit duo genera bonorũ, quorum vnum vult esse finem, bonum scilicet delectabile, & honestum, alterum esse propter finem, quod est vtile, & de hoc negat, quod finis sit, ait enim. rursum alia sunt finis, alia nõ quemadmodum, sanitas quidẽ est finis, at qui sanitatis causa neutiquam finis est, & quæcũq; ità habent eorum semper finis melior, vt sanitas melior, quamquæ salubria, & 8. Eth. c. 2. de fine vtile ait, vtile autem id esse videri potest, per quod bonum aliquod, aut voluptas efficitur, ità, vt bonum, & iucundum amabilia sint, vt fines, & lib pri. cap. 6. cum dixisset ea esse bona, quæ per se amantur, de bono vtili sic ait, quæ verò hæc conseruant, vel efficiunt quodammodo, aut contraria prohibent propter hoc aliquo modo bona dicuntur, &c.

Secunda ratio, res, quæ non est per se bona, non potest per se mouere voluntatẽ ad amandum se propter se: ergo multominus mouere potest volũtatem ad amanda alia propter se, sed vtile, vt vtile, non est bonum per se, sed in ordine ad aliud, ad quod est vtile; Ergo neq; per se est finis; minor probatur, medicina amara, & iniucunda non est per se appetibilis, neq; bona; sed solum appetibilis est, quatenus expellit morbum, & causat sanitatem: Ergo totam suam bonitatem, & appetibilitatem habet à sanitate, quam causat: Ergo vtile solum finaliter causat ratione alterius bonitatis, ad quam procurandam est vtile.

Pro solutione.

Notandum, quod difficultas non est de bono honesto, & iucundò, vtrum sint principia causandi finaliter, cùm id constet quotidiana experientia, & ratio ipsa honestatis, & iucũditatis habeat, vt allicere possit appetitum proportionatum ipsius obiectum; vnde est, vt quæri non debeat, cur appetatur honestum, & iucundum; appetuntur enim, quia talia sunt, vt proinde sit primum principium, & de se euidens, quod etiam inductione non minus euidens est, quare putauit philosophus inter rogationẽ esse cæci quærere; cur pulchra placeant; cum ergo certum sit & iucundum, & honestum de se habere rationem causandi finaliter, & esse principium alliciendi appetitũ restat difficultas de bono vtili. Considerandum igitur est, quod dubium esse non potest, quod aliquãdo vtile appetatur, & aliqua fint propter ipsũ, cũ videamus tot præstari propter pecunias, quæ sunt bonum vtile, sed dubiũ est, vtrum ratio illa finaliter causandi sit ipsa ratio vtilis; pro quo aduertendum, quod vtile vt sic dicitur cõnotatiuè ad illud, cui vtile est, hæc autẽ habitudo vtilis est quodammodo

causæ

causæ efficientis: quia vtile est id, quod iuuat ad aliquid ponendum in esse, siue aliquo alio modo nobis coniungendum, cum in esse non sit, vel nobis non sit coniunctum; vnde est, vt ex amore, quo amamus rem, cui vtile est vtile, fiat amor ipsius rei vtilis; sed tamen quia euenire potest, vt aliunde vtile sit amabile, aliunde etiam habebit, vt possit causare finaliter, sed stando in vtile vt sic totam suam amabilitatem habet à re, cui est vtile, vt proinde si separetur, & præscindatur ab illa non possit causare finaliter; sed causet finaliter, vt illam refert, seu vt ab ea habet amabilitatem. Quare.

Dicendum bonum honestum, & iucundū de se esse principium causandi finaliter, vtile verò vt sic solum posse esse principium causandi finaliter prout vt subst at iucundo, vel honesto; Prima pars conclusionis est euidens; secunda patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur ex specificatione actuū, qui sunt circa vtile; nam missio serui ad accipiendum medicinam de se præcisè non est bona; vel mala, & talis missio ex intētione sanitatis patris, vel alterius cōsanguinei, vel amici est bona, eadem missio ex intentione mortis inimici, cui procurare volumus mortem per medicinā est mala: ergo cum talis missio suam bonitatem vel malitiam moralem non habeat à medicina præcisè, sed à medicina vt substat alicui fini, cui vtilis est, signum euidens est, vtile non esse finem, nisi vt substat alicui priori intentioni, circa aliquod aliud bonum. Confirmatur secundo ratione D. Thom. loco citato; ità se habet principium finale motus appetitus in intellectualibus, sicut in materialibus principium finale, & terminus motuum ipsorum; sed terminus motuum ipsorum vel est forma &res, vel quies in ipsa, non autem medium, per quod tendunt ad assecutionem rei. Ergo neq; in intellectualibus terminus motus appetitus erunt media, qualia sunt vtilia; sed erit vel aliquid consentaneū appetitui, quod est bonum honestum; vel quies in illo, quæ sit delectatio, a qua constituitur bonum delectabile: Ergo solum bonum honestum, & delectabile, per se habebunt rationem finis. Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod vtile vt sic, non potest præscindere ab eo, cui est vtile, cum ad illud connotatiuè dicatur, ac proinde implicat, quod vtile ut sic sit id cuius gratia, & non habeat suam vim sic finaliter causandi ab eo, cui vtile, quare non negamus, quod missio serui non sit propter accipiendā medicinam, sed negamus medicinam præscindendo à sanitate causare illam missionem, solùm enim illam causat vt substat appetibilitati sanitatis. Dices mitti seruum ad accipiendam medicinam quando nihil cogitatur de sanitate; non ergo vis, quā habet medicina causandi missionem prouenit ei à sanitate. Respondeo, quod licet nihil cogitetur de sanitate, adhuc medicina causat missionem serui propter sanitatem; quia non est necesse, vt semper cogitetur primum mouens, sed sufficit si intētionaliter præsens sit in aliquo alio, & per illud causet; nam eo ipso, quod nobis videtur procurandum esse aliquid propter aliud vt medicina propter sanitatem, dum remanet illa memoria procurandam scilicet esse medicinam; etiamsi nihil cogitetur de sanitate medicina causat; sed tamen semper virtualiter repræsentat bonitatem sanitatis, in cuius virtute causat, quia non remanet in memoria medicina vt procuranda nisi propter sanitatem, seu ex vi amoris, & intentionis sanitatis; & ex his patet in forma distinguendum esse antecedens, & qualificandum consequens primæ rationis, ac iuxta dicta solum concedendam consequentiam, contra quæ non facit probatio antecedentis, sed est pro nobis.

Ad secundam respondeo dicendum dupliciter esse auarū, vnū qui procurat pecuniam vt bonū vtile, vt scilicet ipsi suppeditet, vnde procurare possit suas voluptates &c. & tunc pecunia huic habet rationē boni vtilis, & quæ causat, verè causat, ut substat uoluptati, uel alteri huiusmodi fini cui est utilis; vnde per se præcisè non causat: alter auarus est, cui pecunia ipsa est ultimus finis pro quo considerandum est, quod omne uehementer amatum simul est iucundum in memoria, & multò magis cum est præsens; unde est, quod quidquid uehementer amatur, possit causare finaliter ratione iucunditatis, quam habet adiunctam; cum ergo auarus, qui ponit ultimum suum finem in pecunia, illam ardentissimè amet, in eaq; conquiescat, fit ut in ipso pecunia possit habere propriam rationem finis, nō secundum bonitatem utilem, sed secundum bonitatem iucundi, saltem apparentem. Dices antequam auarus habeat pecuniam, pecunia ipsum debet allicere ad talem amorem:

ergo

ergo per aliquam bonitatem, non iucundi, cũ hæc sequatur amorem: ergo vtilis præcisè spectat.

Respondeo dicendum, quod principium amandi pecuniam est aliquis alius amor, vt amor honoris, amor dignitatũ &c. vel amor vitandi aliquod incommodum, vt paupertatem &c. tum paulatim propter vsum amatur ipsa pecunia de se, & fit iucundus illam tractandi vsus; facta autem iucunda pecunia, non est amplius necesse, vt ametur propter aliud; immò amor pecuniæ corrumpit cæteros amores; ille enim, qui prius amabat pecunias propter voluptates, vel commoda vitæ, vel honores &c. si magnum incrementum accipit talis amor, postea ob amorem pecuniæ respuit voluptates, & cætera omnia, totumq; se vt vile mancipium pecuniæ addicit, & dedicat, nihilq; aliud, quam pecuniam cogitat: Adde his, quod magnum quid videtur, & nõ paruam habens excellentiam multa possidere, & per illa multum posse, etiamsi præ angustia animi, & vitio illorũ deinde nõ fit vsus.

Art. 6. Vtrum solum bonum verũ, an etiam bonum apparens sit principium causandi finaliter.

PRima sententia negatiua vult non solum bonum verum, sed etiã apparens esse principium causandi finaliter.

Secunda sententia affirmatiua dicit solum per se principium causãdi finaliter esse bonũ, quod verè est tale, ac proinde bonum apparẽs non esse principium causandi finaliter, per se, & absolutè, sed tantum per accidens, quatenus est finis alicui erranti, vel malè affecto; quæ proculdubio est sententia Arist. 3. Ethico, c. 4. Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima. bonum, quod causat finaliter, est bonum intentionale, seu bonũ prout stat in mente, in méte autẽ tã põt apparere bonũ, qđ verũ non est, quam quod est verum; ergo tam causat finaliter bonum apparens, quàm verũ.

Secunda ratio, illud causat finaliter vt principium quo causandi, à quo sunt effectus in genere causæ finalis, seu cuius gratia sunt ea, quæ facit agens; sed gratia boni apparentis nulla sunt ab agente; Ergo bonum apparens verè est principium causandi finaliter; maior patet; minor probatur; nam ambitiosi multa agant gratia honoris apparentis. Pro contraria sententia

Prima ratio, illud, quod studioso est volibile atq; appetibile, solum est per se, & simpliciter obiectum volentis; sed solum verum bonum est appetibile studioso: ergo verum bonum solum per se, & simpliciter obiectum est volentis; maior patet, & est Philosophi loco citato, de minori, & consequentia non est dubium; ergo.

Secunda ratio, id quod est appetibile vitioso, non est simpliciter appetibile, sed secundum quid & respectu talis hominis; sed bonum apparens est appetibile vitioso. ergo nõ est per se simpliciter appetibile: ergo neq; finis; quia finis per se, & appetibile per se conuertuntur.

Tertio probatur ex doctrina Philosophi 8. Ethi. c. 2. qui postquam proposuit præsentem difficultatem eam decidit dicens: videtur autem, quod ipsi bonum est amare vnusquisq; & esse quidẽ amabile, qđ absolute bonũ est, cui verò quod cuiq; est; at amat vnusquisq; non quod ipsi bonum, sed quod apparet; sed nihil refert; nam amabile apparens erit. Idest nõ erit simpliciter amabile, & finis, sed amabile apparens, & finis apparens & cap. 5. eodẽ lib. quod enim absolutè bonũ est, atq; iucundum amabile est, atq; eligibile; vnicuiq; verò quod cuiq; est tale; idest solum quidem absolutè amabile, & eligibile est, quod tale est de sua natura; particulari tamen huic, & illi personæ & aliud est amabile. Pro solutione.

Notandum, quod ex Philosopho præsertim loco citato Philosophandum est de bono, & fine in animo proportionaliter ad iucundum, & sanum in corpore; nam sicut solum absolutè est sanũ, & iucũdum, quod tale est corpori sano, & bene affecto; neq; .n. dicitur venenum sanũ; quia tale fit alicui, neq; vipera, & alia venenata sana; quia alicui non noceant assumpta in cibum, & possint illa impunè comedere; sed sanum dicetur, quod corpori animalis benè constituto secundum temperamẽtum debitum ipsius naturæ sanum est; iucundũ etiam dicetur, quod tale erit sensibus non vitiatis. Pari ergo modo in animo bonũ absolutè solum esse potest, quod tale est de sua natura: cum autem bonum appetibile, & finis conuertantur, & consequenter id solum absolutè finis erit, quod verè, & absolutè erit bonum; apparens autem cum tale dicatur, quia verum bonum non est, consequenter nec

verè, & absolutè finis erit, sed solum vt dixit philosophus secundum quid, respectiuè scilicet ad male affectum, vel deceptum, ac proinde.

Dicendum solum verum bonum absolutè, & simpliciter ex natura rei esse principium causandi finaliter, cætera bona esse secundũ accidens, & apparẽter, patet ex modo dictis, & rationibus secundę sententię, confirmatur, quia verum obiectum humani appetitus debet statui illud, quod tale est ex natura rei, & non per accidens; sed ex natura rei solum bonum est obiectum motiuum humani appetitus: ergo maior per se patet, & probari potest inductione à simili in alijs rebus, vt dicebamus de sano, de iucundo corporeo &c. minor probatur; quia ex natura rei appetitus sequi debet iudicium rectum intellectus, vt ab eo ducatur in suum finem; sed iudicium rectum non est circa bonum apparens, sed circa verum bonũ; Ergo solum verũ bonũ est obiectũ appetitus, apparens est per accidens, & apparenter. Ad rationes in contrarium.

Ad primam, respondeo dicendum, quod licet bonum finaliter non causet nisi vt est apprehensum; tamen apprehensio non facit, ꝙ verum bonum sit, quod verum bonum nõ est, ad apprehensionem enim bonum præsupponitur, ac proinde vera apprehensio boni, est apprehensio boni, quod tale iam est ante apprehensionem; quare ad argumentum, bonũ, quod causat finaliter per se, & absolutè est bonum, quod in mente obiectiuè bonum est, quia à parte rei, tale est, ac proinde verũ bonum est ex natura rei; quare negatur consequentia.

Ad secundam, respondeo dicendum, quod aliud est causare finaliter, aliud causare vt finem absolutè, & simpliciter; primum conuenit etiam bono apparenti, secundum conuenit soli bono verò; nam bonum apparens in eo, cui apparet bonũ, erit id cuius gratia, atq; adeo causabit finaliter; non tamen simpliciter est finis: quia sicut simpliciter bonum non est; ità nec simpliciter potest esse id cuius gratia; sed ei tantum cui bonum apparet.

Obijcies, bonum apparens non causaret finaliter, nisi ex natura rei esset principium causandi finaliter: ergo: antecedens probatur, quia nihil potest causa esse, nisi habeat id, per quod exercere possit suam causalitatem.

Respondeo dicendum, quod cum voluntas sequatur illud, quod ipsi practicè apparet bonum, illud autem bonum appareat, quod vt tale repræsentatur, vim causandi finaliter potest habere quidquid in mente apparet bonũ; hoc tamen non habet ex natura rei; quia ex natura rei non habet vt rectè constituto intellectui apparere possit bonum, quare propositio illa nihil causat, nisi habeat vim causatiuam in actu secũdo siue veram siue accomodatitiam semper est vera; nõ causat, nisi etiã habeat vim causatiuam in actu primo ex natura rei, falsa est maximè in causis, quæ causant per intentionem.

Dices quomodo potest aliquid habere vim causatiuam in actu secundo, si non habet in actu primo.

Respondeo in proposito posse habere per deceptionem intellectus repræsentantis tamquam bonum, quod bonum non est, nam intellectus hoc habet vt possit facere ens rationis.

Art. 7. Vtrum bonum causet finaliter secundum esse reale, an secundum esse intentionale.

CVM iam constet principium causandi finaliter esse bonum, & quidem si sermo sit de principio causandi simpliciter esse bonum verum, & reale, hic iam est difficultas, quoniam cum bonum vt causet debet habere actualitatem, & existentiam, quę nam existẽtia ista sit, vtrum causare debeat secundum existẽtiam, quam habet in mente, an secundũ eã, quam habebit in re.

Prima sententia affirmatiua vult finem causare secundum esse obiectiuum, & intentionale. citatur Auicenna 6. Met. c. 5. Alb. 5. Met. tract. 1. cap. 3. Soncinas ibidem q. 3. Ant. Andr. q. 2. Madina 1. 2. quæst. 1. citatur etiam pro eadem sententia D. Thomas 1. 2. quæst. 2. art. 1. & quæst 3. art. 3. ad primum.

Secunda sententia negatiua est multiplex; nam primo aliqui negant finem causare secũdum esse obiectiuum; quia putant finem causare abstrahentẽ ab omni existentia, ac proinde rationẽ causãdi finaliter, ne q; esse bonũ in intentione, & obiectiuum, neq; bonũ existens in re, vel futurum; sed esse bonum secundum se, & quidditatiuè acceptum, quæ opinio, nõ di-

displicet Nipho quinto Met. quæ.2. & est quorundam apud Iandunum 2. Physi. q. 10. & 5. Met. quæst.8. Alij 2. dicunt finem siue bonum causare secũdum illud esse reale, quod habet quando realiter est præsens, ità Iandunus loco citato. Alij tertio volunt finem causare secundum esse reale, quod habere potest, per actionem, citatur Auerroes 12. Met. commento 36. Capreolus in 2. dist. 25. quæst. 1. ad secũdum contra primam conclusionem Durand' ibidem quæst 6. Ocam quęst. 3. art 2. Gabriel, Caiet. & alij. Pro prima tamen sententia sunt hæ rationes.

Prima ratio, finis est prima omnium causarum ex dictis supra; sed non potest esse prima nisi secundum esse obiectiuum; nam secũdum esse reale est quid postremum ex 7. Met. tex. 23. ergo finis causat secundum esse obiectiuum.

Secunda ratio. omnis causa in actu debet habere aliquod esse actuale; sed finis in actu non habet nisi actuale esse existentiæ obiectiuæ. ergo secundum illud esse causat.

Tertia ratio, multa causant finaliter, quæ nullum aliud esse habent, quam obiectiuum: ergo secundum illud esse causant; patet consequentia; quia secundum aliquod esse causãt non secundum esse, quod non habent. Ergo secundum esse, quod habent; antecedens probatur. æger conclamatus multa facit propter sanitatem, non propter sanitatem secundum se; quia non intendit talem sanitatem; non secũdum sanitatem possibilem, vel futuram; quia nulla ipsi sanitas est possibilis: ergo secundum appræhensam, & obiectiuam, quod confirmatur in multis alijs casibus, in quibus appetuntur impossibilia, & entia rationis.

Pro sententia negatiua.

Prima ratio, finis debet esse quid optimũ; sed melius est finis secundum esse reale, quã secundum esse intentionale: ergo secundum hoc causabit.

Secunda ratio, finis & forma sunt idem numero ex dictis, & ex Arist. 2. Phy. t. 71 forma autem non est idem numero cum fine in intentione; sed cum fine reali: ergo finis secundum esse reale præsens causabit. Confirmatur ex 2. Met. t. 9. & 7. Met. t. 23 finis est vltimum, & terminus actionis; non potest autẽ esse vltimum, & terminus actionis nisi secũdum esse reale: ergo secundum hoc est finis, & causa.

Tertia ratio, si finis esset finis secundum suũ esse intentionale nunquam homines frustrarentur fine; patet consequentia; quia frustramur fine, quando non obtinemus finem intentum; in intentione autem semper possumus habere finem, ac proinde si secundum tale esse bonum est finis nunquam homines frustrabuntur fine; quod euidenti experientia falsum est.

Pro primo autem modo secundæ sententię est hæc ratio. bonum seu finis non potest causare secundum esse intentionale, sed neq; secũdum esse reale præsens, vel futurum, siue possibile. ergo solum restat, quod causet secundum suum esse essentiale, & quidditatiuum.

Pro solutione.

Notandum, quod vtraq; sententia tam affirmatiua, quàm negatiua aliquid uerum dicit; nam certum esse debet bonum non causare finaliter secundum quod actu est in rerum natura, & iam obtentum est; quia cum est obtẽtum non amplius mouet appetitum, nec iam adhibentur media, quæ sunt gratia illius, & respectu quorum est causa finalis; nec etiam causare potest finaliter præcisè secundum esse reale possibile, vel futurum; quia sæpe bonum, quod intenditur nunquam futurum est; neq; etiam est possibile: ex alia parte ille, qui intendit finem seu bonum, non illud vult, vt est obiectiuè in mente, vel prout habet esse, intentionale; patet quia non adhibet media, vt illud secundum esse obiectiuum habeat; quia secundum esse obiectiuum illud habet antequam media adhibeat; ex alia tamẽ parte certum est, quod in agẽtibus per cognitionem quando finis causat stat obiectiuè in cognitione, quia perpetuum, & naturale est voluntati sequi cognitionem, vt proinde in nullum obiectum ferri possit, quod non fit cognitum, propter has difficultates plurimi posuerunt esse obiectiuè, esse futurum, vel possibile esse conditiones, sine quibus non finis non causat; qđ quamquã verum esse possit de primo, de secundo, tamen, & tertio non ità verũ est: quia etiam finaliter causat bonum, quod non est futurum, nec possibile; quod si dicatur quod debet esse futurum, & possibile saltem in appræhensione nihil nouum dicitur; quia esse tale in appræhensione, nõ est esse simpliciter tale, neq; hoc negat prima sententia, quæ vult bonum causare secundum esse obiectiuũ. Considerandum igitur est, quod de fine dicendum est, quod dicitur de re cognita; nam illud bonum causat finaliter, quod præ-

dicè, vt tale cognoscitur; itaq; bonum, quod cognoscitur secundum quod tale bonum, causat finaliter, quod si sit reale, causat secundum esse reale, si fictum per apprehensionem causat secundum tale esse fictum, & licet qui illud intendit, non illud intendat formaliter vt fictum; sed vt verum bonum; intendit tamen in actu exercito bonum fictum, ac proinde bonum fictum in eo causat finaliter; nam considerandum est, quod aliud est directè moueri à fine, aliud reflexè, & in actu signato considerare quale sit illud, quod ipsum mouet; qui enim mouetur, vt à fine, ab honore, vel à sanitate impossibili, si reflectat supra tale obiectum, & cognoscat illud esse impossibile non amplius mouetur, & tamen prius re vera in actu exercito mouebatur à re impossibili, & res impossibilis causabat in eo finaliter; itaq; si sermo sit de ratione formali, à qua in actu exercito est causalitas finis, hæc neq; est esse intentionale, neq; esse præsens, neque futurum sed est ratio boni, & quidem si sermo sit de fine absolutè est verum bonum; si de fine etiã secundum quid, & per accidens est quodcumque bonum, siue verũ, siue apparens, sed quoniam bonum vt causet debet habere aliquam existentiam, sicut etiam rationes formales cæterarum omnium causarum; neq; enim formaliter causat forma, nisi existat, neque vis actiua agit, nisi existat: in fine hæc existentia non debet esse realis exercita, quia finis causat antequam sit, & vt ponatur in esse realis existentiæ. Præterea cum appetitus necessario sequatur cognitionem, debet finis existere in cognitione; sed sicut ens reale dum cognoscitur non habet propriè diuersam existentiam ab ea, quæ identificatur cum ipsius realitate, sed eandem habet secundum diuersum statum, & in actu signato, ità finis simpliciter causat finaliter secundũ esse reale actuale suæ existentiæ realis, sed in actu signato; finis secundum accidens causat secundum esse fictum, & existentiam purè obiectiuam; quia in ea talis status identificatur cum ipsa, & in actu signato, & in actu etiam exercito; quare cognitio in fine est conditio, sine qua nõ, causare non potest; esse cognitũ directè, & prout dicit rem cognitam in actu signato, non est conditio sine qua non, sed est idem cum ratione formali finalizandi, dixi directè; quia si accipiatur esse cognitum reflexè nullo modo est necessarium ad finem, sed ad ipsum imper tinens. Quare,

Dicendum bonum, seu finem simpliciter causare secundũ, esse reale, & existentiæ realis futuræ siue possibilis in actu signato, finẽ per accidens, seu bonum apparens, causare secundum esse intentionale, vtrumq; tamen in actu exercito causare secũdum esse, quod habet obiectiuè in mente, specificatiuè tamẽ; patet veraq; pars conclusionis ex dictis, & eam confirmant rationes primæ sententiæ bene intellectæ; nam prima, & secunda solum probat finem non causare secundũ esse realis existentiæ exercitæ; cum tamen secundum suam existentiam realem bonum, quod est finis, in actu signato sit dum causat, & præcedat se ipsum acceptum in actu exercito à parte rei, ac proinde & dicat aliquam actualitatem, & sit prima causarum. Tertia ratio probat secundam partem conclusionis, rationes etiam secundæ sententiæ bene intellectæ eandem nostram conclusionem probant; nam prima probat solum bonum reale esse simpliciter finẽ, non tamen probat esse finem secundum quod realiter actu existit. Nã licet melius sit ægro sanitas actualis, qua actu sanus sit: non tamẽ optat, & procurat sanitatem vt sic existẽtem; nam frustra procuraret, quod iam esset, & ad rationem finis necessario requiritur non esse modo, quo obtineri optatur. Quare prima ratio nisi intelligatur de esse realis præsentiæ sed in actu signato, & exercitæ intentionis falsa est; neq; enim finis causat secundum statum, quo melior est ægroto: sed ad summum, vt præsens est ægroto, per intentionem, & secundũ id, quo melior erit postquã fuerit obtẽtus. Secũda & ratio vt vera sit nihil aliud pbare potest; nã finis, & forma identificãtur pſupposita tamen sẽper distinctione status, quo sit forma, & finis; nã forma, quã habitũ appellat Arist. 2. de Gener. t. 55. dum est præsens in actu exercito rei nõ amplius finaliter causat. præsentibus enim habitibus cessat motus; ergo solũ causat, vt est in actu signato rei, & exercito rationis; & iuxta hoc intelligi & debet secundus locus Arist. in eadẽ ratione allegat*, nam finis est vltimum, & terminus actionis in actu exercito rei, & simul prior in actu signato rei, & exercito rationis, secundũ quẽ statũ causat, & sic explicata, & cõfirmata conclusio vlterius sic probari potest, nihil nos efficacius ex natura rei mouet finaliter; nisi apprehendatur vt futurum, vel possibile: ergo per se, & ex natura rei finis causat secundum esse reale futurũ, uel possibile in actu signato; nã in

in actu exercito, vt iam sæpius dictum est, esse in intentione est in fine non conditio sine qua non, sed potius aliquid pertinens ad rationē formalem; quoniā est tamquam vltima ipsius actualitas, qua ponitur in esse causæ.

Ad tertiam rationem, quæ videtur esse cōtra conclusionem dicendum, quod frustrari fine, est non obtinere finem, quem intendimus; esse tamē finē, vt hic loquimur de fine, nō est esse obtentū; sed antequam obtineatur, mouere ad sui prosecutionem, qui si non obtineatur, dicitur fine frustrari is, qui intendit finē; itaque considerandum est, quod diuersa sunt hæc duo causare finaliter, & non obtineri finem, non obtineri finem, est non obtineri id, quod causabat finaliter, cū actu non esset; causare finaliter est cū actu non sic mouere agens ad sui procurationem, vt tandem per ipsius actionē fit; quare mouet quidem finis secundū statum intentionis, non sequitur tamen, quod proinde semper illum habere possimus; nam etiamsi possimus illū habere in intentione frustramur tamen fine, cum illum non assequimur in executione; nec tamen mouet nos in executione sed in intentione, vt tamen sit in executione; quare in forma negatur sequela antecedentis.

Dices bonum non est cuius gratia nisi secūdum statum, quem habebit in executione; quia secundum illum bonum ipsum intendimus: ergo secundū illum causat. Respondeo, quod aliud est considerare finem, vt est terminus mediorum, aliud vt motiuum, vt motiuū maximè in actu exercito habet statum in intentione, vt terminus habet statum in executione; quare negatur antecedens; & quādo dicitur quod secundum illum statum eum intendimus, hoc procedit determino, vt specificante, non de motiuo, vt actu exercente suā motionem: finis enim mouet nos in actu signato rei, & exercito intentionis, licet illum intendamus vt terminum in actu exercito rei; ratio enim finis debet attendi penes esse motiuum; quia vt sic causat ea, quæ sunt ad finē, cum esse terminum dicat esse causatū ab ijs, quæ sunt ad finem.

Obijcies primo. in actu signato nullus vult bonum apparens; ergo non bene procedit prima illa distinctio in conclusione de bono, & fine per se, & de bono, & fine per accidens. Respondeo antecedens stare dupliciter, nullus in actu signato vult bonum apparens reduplicatiuè vt apparens verum est nullus autem vult in actu signato bonum apparens specificatiuè, idest nullus vult bonitatem aliquam apparentem, quam tamen homines solent putare esse veram, falsum est antecedens, & ex eo consequentia.

Obijcies secūdo. In mēte obiectiue bonū nō habet verū esse reale: ergo in actu signato nullū bonū causabit finaliter secūdum esse reale.

Respondeo dicēdum, quod si per esse reale intelligatur esse materiale, siue res secundum statum materialem, quem habet à parte rei, verum est antecedens; si verò per esse reale intelligatur realis entitas secundum tamen statū intentionalem, idest, concepta, siue realis entitas verè realis, & vt realis cōcepta falsum est antecedens, ac proinde & ex eo consequentia.

Art. 8. Vtrum causalitas finis consistat in metaphorica motione.

Affirmatiua sententia est Sonc. 5. Met. q. 2. citatur Flandrensis primo Met. quæstione 9. art. 3. Gabriel in 2. distinct. prima quest. quinta S. Thom. prima secūdæ quę. prima art. secūdo & prima parte q. quinta. art. 4. & alij.

Negatiua sententia est eorum, qui dicunt causalitatem finis consistere in hoc, quod sit cuius gratia, seu causalitatem finis consistere in actione agentis, vt est propter finem, videtur sententia Heruęi quolib. primo quæst. 8. & quolibeto secundo quæst. prima. Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima ratio. finis excitat agens ad agendū excitādo in eo desiderium sui; sed hoc est mouere Metaphoricè: ergo in Metaphorica motione consistit causalitas finis; minor probatur; quia modo illo excitare, & mouere nō est mouere effectiuè; ergo erit solū metaphoricè.

Secunda ratio. finem causare est esse id cuius gratia aliquid est, seu aliquid amatur; sed esse id cuius gratia, est esse mouens metaphoricè. ergo causalitas finis consistit in metaphorica motione; maior est Arist. secundo de anima tex. 35. quinto met. t. secundo, & secundo Physi. t. 29 & alibi: minor probatur, quia esse id cuius gratia aliquid est, seu amatur, est esse mouens ad amorem sui, non autem potest esse mouens propriè, & realiter; quia sic mouere est proprium agentis: ergo erit mouens metaphoricè: ergo causalitas finis consistit in metaphorica motione.

Tertia ratio, Philosophus 1. de Generatione tex. 55. negat fini propriam motionem, & dat illi Metaphoricam dicens: est enim effectiua causa, vt vnde principium motus, cuius autem gratia non effectiua; ideo sanitas non est effectiua, nisi secũdum translationẽ; idest secundum Metaphoricam motionem: ergo secundum Philosophum causalitas finis consistit in Metaphorica motione. Pro secunda sententia sunt hæ rationes.

Prima ex definitione finis, finis enim est cuius gratia: ergo eius causalitas cõsistit in hoc, quod actu agens agat propter finem, vt propter id, cuius gratia agit.

Secunda ratio, si fiat interrogatio cur ambulans ambulet, sufficienter soluetur quæstio si dicatur propter sanitatem; ergo causalitas sanitatis, vt est finis, consistit in hoc, quod deambulatio sit propter sanitatem.

Pro solutione.

Notandum, quod hęc quæstio est potius de nomine, quàm de re; sicut & multæ aliæ; nam vix quidquam discrepant prima, & secunda sententia; certum est enim apud omnes causalitatem finis non esse ipsum finem, siue bonitatem ipsam obiectiuam præcisè; quoniam hæc potest esse, & etiam est; quando finis finaliter non causat. debet ergo esse aliquid posterius ipsa bonitate, ab ea tamen necessario dependens. considerandum igitur est, quod quidquid est posterius ipso fine stante obiectiuè est aliquid productum ab agente intuitu finis; agens autem vel est intellectiuum, vel non; si sit intellectiuum vel ipsi pręcisè repræsentatur finis absq; eo, quod repræsentantur illi media vtilia ad illum consequendum & tũc elicere solet actum desiderij: quod desiderium cum sit à fine attrahente, & alliciente per ipsum habet rationem cuiusdam Metaphoricæ motionis; quia proportio illa, quæ est inter bonum obiectiuũ, & appetitũ erumpentẽ in actũ desiderij cõsistit in Metaphorica quadam tractione; trahitur enim appetitus ꝑ desiderium ad finem, licet verè ipse appetitus actiue actum desiderij producat, & hoc cum repræsentatur finis sine medijs; nam cum repræsentatur finis, & media ad illum conducẽtia, tunc expetitur finis, & media propter finẽ siue vnico desiderij actu, siue pluribus: actus ergo qui sũt ab appetitu si comparẽtur ad finẽ vt sunt ab ipso, seu propter ipsum, sunt causalitas finis; quia per ipsos finis dicitur actu finaliter causans; non est quidquam prius, nec posterius, propter quod dici possit finis actu causans: nam per ipsum bonum, & appetitũ præcisè non est finis actu finalizans; sed neq; per aliquid talibus actibus posterius; quia iã finis actu causat; At si agens quod propter finem agit, nõ sit intellectiuum actiones ipsius comparatæ ad finem, quatenus sunt propter finem, dicentur causalitates finis, cum nihil aliud sit, quod possit esse causalitas finis, in tali casu; nam etiam si agentia materialia, tendant in finem, vt subsunt directioni primæ causæ; tamen si consideretur causalitas finis respectu ipsorum, nihil aliud reperire poterimus, præter ipsorum actiones, vt sunt propter finem; quare actiones agentis, quæ vt actiones, agentis sunt causalitas, eædem vt à fine procedentes dicuntur causalitas finis, cũ hoc tamen discrimine, quod in agentibus per intellectum, si sint actus ipsius appetitus, vt desideria, habere possunt propriè nomen Metaphoricæ motionis; quia ꝑ ipsa obiectiuè quodammodo trahitur appetitus; At si sint aliorum agentium, vel etiam in agentibus per intellectum, si sint actiones cæterarum potẽtiarum, vel alij actus à desiderio non sunt propriè comparatæ ad fines Metaphoricæ motiones, sed sunt aliquid propter finẽ, vel gratia fines. quare.

Dicendum causalitatem finis respectu agẽtium per intellectum dici posse Metaphoricam motionem, in alijs potius appellandam cuius gratia, vel propter finem; patet ex modo dictis, & Confirmatur omnibus rationib⁹ factis initio pro vtraq; sententia, & vlterius probatur sic prima pars, illa dicitur alicuius causæ causalitas, qua in actu formaliter denominatur causanè; sed finis in agentibus cognoscitiuis in actu causans dicitur mouere agens ad agẽdum, hæc enim passim dicimus, ille mouetur à sanitate ad hoc faciendum, & illud: ergo motio metaphorica, est causalitas finis, probatur secunda pars; quia nihil aliud præter actionem agentis vt est à fine, & gratia finis assignatur, in quo consistat causalitas finis: nam non potest esse aliquid intrinsecũ ipsi fini, puta bonitas ipsius, vel appetibilitas præcisè; quia totum hoc habere potest finis, antequam quidquam finaliter causet; causalitas autem tunc est, cum causa actu causat: nec potest esse quidquam extra finem posterius actione agentis, qua agit propter finem; quia nunquam causa actu causat sine causalitate, cum per hanc constituatur actu causans, finis

autem

autem actu causat ante omne illud, quod est posterius actione agentis moti ad agendum à fine: Ergo quidquid est posterius actione agentis propter finem non potest esse causalitas finis; minor probatur. Illud, quod est posterius actione agētis vel est terminus intrinsecus ipsius actionis, vel aliquid extrinsecum ad ipsam consequens, sed antequam hæc sint finis finalizat: Ergo. Minor probatur cum lapis descendit propter centrum, nempe vt acquirat talem locum, antequam sit terminus motus, & talis locus acquiratur iam est talis motus in lapide propter talem locum: Ergo antequam sit terminus actionis agentis finis finaliter causat; causat enim talem actionem, quæ verè est propter finem.

Art. 9. Vtrum omnia agant propter finem.

Communis sententia est affirmatiua. Pro negatiua sunt hæ rationes.

Prima, si omnia agerent propter finem, nihil fieret temerè; sed multa temere fiunt: ergo non omnia agunt propter finem; sequela probatur; quia temere fit, quod in nullum finē refertur: si ergo omnia, quæ fiunt ab agentibus, ordinarentur ad certos fines, nihil ab ijs fieret temerè; minor probatur; quia aliqua sunt à casu, alia à fortuna: ergo multa fiunt temerè.

Secunda ratio. Deus non agit propter finē: Ergo non omnia agunt propter finem, consequentia patet; antecedens probatur; si Deus ageret propter finem, Deus haberet aliquem finem; sed finis est melior ijs, quæ sunt ad finem; nam de ipso Deo certum est, quod est melior nobis, qui ipsum Deum habemus pro fine. ergo si Deus ageret propter finem esset aliquid melius Deo, quod implicat. Confirmatur agere propter finem est agere ad obtinendum aliquid, quo careamus: ergo si Deus agit propter finem, agit ad obtinendum aliquid, quo careat; sed implicat Deo aliquid deesse; non ergo Deus agit propter finem; Præterea qui agit propter finem, agit ex desiderio obtinendi finem, quem si nō obtineat, angitur, & cruciatur; ergo si Deus agit propter finem primò Deus obtinebit aliquid, qđ non habeat; secundo vel semper obtinebit finem, vel non semper obtinebit, si nō obtinebit cruciabit; si dicas primum, cōtra est; quia saltem prout agit cum causis secundis non semper obtinet finem.

Tertia ratio, agentia naturalia non agunt propter finē; ergo, pbatur antecedens, si agerent propter finem cognoscerent finem; sed finem non cognoscunt; quia carent cognitione; ergo non agunt propter finem. Pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima, ex Philosopho primo Ethi. bonum est, quod omnia appetunt; sed bonum conuertitur cum fine; ergo omnia appetunt finem ergo omnia, quæ ex tali appetitu operantur, agunt propter finem.

Secunda ratio, quidquid agit vel se determinat ad agendum, vel est determinatum; si primum nō potest se determinare sine cognitione: si autem cognoscit, operatur vt possit assequi id, quod sibi præfigit in cognitione, ac proinde operatur propter finem; si est determinatū debuit determinari ab aliqua causa cognoscente, quæ ipsi determinauerit finē, ac proinde omnia agunt propter finem.

Tertia ratio, nihil operatur nisi ad obtinendum aliquid, quod non habeat; quia quod iā habetur non quæritur per operationem: ergo quid quid operatur opatur propter aliquā perfectionem, & bonum; quoniam nihil intendit, quod non habet, nisi quia bonum est ipsi habere, sed intendere bonum, & propter illud operari est operari propter finem: ergo omnia agunt propter finem.

Pro solutione.

Notandum, quod duplex est operatio, alia intrinseca agenti, alia extrinseca; intrinseca rursum diuidi potest in eam, quæ habet pro obiecto aliquid extrinsecum, & eam, quæ nihil extrinsecum habet, sed pro obiecto est ipsi ipsummet operans, quæ multiplex adhuc est; nam vel est perpetua, immutabilis, & idē cū operante, & huiusmodi est operatio Dei, quæ dicitur ad intra, in qua consistit diuina vita, fœlicissima, immutabilis, & æterna, & talis operatio sicut non est distincta ab operante, nec pro suo obiecto primario, specificatiuo, & adæquato habet aliquid, distinctum, ità nec finem distinctum habet, sed est gratia sui; si enim humana operatio perfectissima, in qua consistit humana beatitudo, est maximè sui gratia, vt dicitur 10 Ethicorum, etiam si & ab operante sit distincta, & versetur circa extrinsecum perfectissimum obiectum, nimirum circa perfectissimum ens contem-

templandum; quanto magis sui gratia debet esse illa operatio, quæ ab operante nō distinguitur? quare talis operatio non est propter aliquem finem à se distinctum, neque qui obtineri debeat, cum non sit, sed qui semper habetur; quamquam de ea operatione melius dicetur, quod sicut caret efficiente, careat quoque fine; cum per finem nos intelligere consueuerimus veram aliquam causam, dictæ autem vitæ nulla sit causa, sicut nec dictæ naturæ, quæ à se ipsa est, & necessariò vitam includit; at si operatio immanens, & sit distincta ab operante, & propriè habeat efficiens, & versetur circa aliquid extrinsecum, vt primarium obiectum, vel circa operans, & se ipsam vt quasi quid extrinsecum, pro fine habebit, vel ipsum obiectum, vt formam extrinsecè perficientem, quo modo Deus est finis multarum volitionum nostrarum, & intellectionum, vel pro fine habebit se ipsam, vel aliquid aliud, neque vnquam poterit carere saltem ipso fine intrinseco, qui est aut vita in actu secundo, aut terminus intrinsecus ipsius operationis; iam si operatio sit transiens, semper erit propter terminum, vt propter finem intrinsecum, vel propter aliquid aliud vlterius, vt propter finem extrinsecum, vnde omnis operatio est propter aliquem finem, vel distinctum, vel identificatum, vel obtinendū cum aliquando illo careamus, vel certè retinendum, cum semper habeatur. vlterius considerandū est, cum agens diuidi possit in agens intellectuale, & quod cognoscit finem, & in illud, quod finem non cognoscit, quod agens intellectuale quanto perfectius est, tanto magis omnia, quæ operatur, operatur propter finem, & propter perfectiorem finem; nam, & magis à temeritate abest, & in prosequendo finem magis suam perfectionem, & bonitatem exprimit, ac proinde minus temerè, & inconsultè agit, intenditque quod melius est; nam, & hoc est perfectius operari: vnde Deus cum agit ad extra non solum agit propter finem; sed pro vltimato fine habet se ipsum iuxta illud. omnia propter se ipsum operatus est Dominus. attamen non male hic distingui potest de fine extrinseco, & operantis, & de fine intrinseco, & operationis; finis extrinsecus Dei ad extra operantis, si sermo sit de vltimato, semper est ipse Deus, vt diximus; operatur enim Deus, vt gratificetur suæ bonitati, & illam exhibeat, & exprimat in creaturis; si verò non sit sermo de fine vltimato potest esse aliquis alius, vt auxiliari suis amicis, illos liberare ab aliquo malo &c. finis verò intrinsecus ipsius operationis esse potest solum illud ipsum, quod optinetur per operationem in facto esse, quod multiplex est, iuxta multiplex genus operationis; porro alia agentia per intellectum, quæ, non ità perfectè operantur, & quibus obrepere potest aliqua temeritas, per se quidem propter finem operantur; per accidens tamen aliquando operantur fine fine.

Sed iam si loquamur de agentibus cognitione carentibus, considerandum est, quod quodlibet illorum in suis operationibus aliquid determinatum prætendit, ac proinde operatur propter finem; ex quo est, quod habeat determinatas virtutes, & organa ad operandum, in quo apparet omne ens creatum, etiam materiale esse ab vna aliqua forma intellectiua; nam mirum est quanta solertia tota natura tendat in fines, quasi sibi assignatos, vt proinde hoc non possit esse à casu; sed iure, & merito ab eo dictum sit; opus naturæ opus intelligentiæ; nam si de vna aliqua re loqui velimus, quis facile dicere possit quàm aptè in plantis singulæ ipsarum operationes ad certos fines destinatæ sint; enimuero qua solertia ex parua materia seminis per virtutē seminalem formātur radices, tum truncus, ramique, & in his tot meatus, & viæ ad deferendum alimentum, ad digerendum, ad expellendum noxium, ad conseruandum salutare? tum ex eodem alimento qua iustitia aliud deputatur floribus, aliud attribuitur frondibus, aliud deriuatur in fructus? vt nulla sit optimis legibus constituta Respublica, quę æquiori iure in suos ciues munia vnquam diuiserit, officia distribuerit, emolumenta partita sit; sed infinitus effici, qui omnia persequi vellet, quæ natura vel in vna planta ad aptos, certosque fines molita est. libet relictis plantis solum in nostris corporibus ex millibus ad notare vnū quid minimum, vt ex vngue leonem; vtque manifestum fit quam sapientes natura fines persequitur suos. in labijs, cum musculos à cute in alijs partibus distinxerit, ita musculū cum cutè confundit, vt nullo modo determinare possimus, vbi musculis desinat, & oriatur cutis, id autem totum factum est in labijs, si Galeno credimus lib. 9. de vsu partium c. 15. quod conifigi ad amussim, ac rursum diduci, & quoquo versum circumagi labijs erat vtile, quorum nihil fortiter simul & commode,

vt nunc, ageretur, nisi talis ipsorum fuisset substantia, & hæc pauca ostendunt non solum in tota natura omnia esse propter fines sapientissimè instituta, omniaque agentia operari propter finem, sed vlterius vnum esse sapientissimum rerum omniū opificem, à quo sine vllo errore propter fines naturis rerum maximè consentaneos institutæ sint facultates, per quas operentur, quæ intellectu, & cognitione destituta sunt, vt proinde ex hoc capite, qui rem vel leuiter attendet manifeste deprehendet, dari in vniuerso vnum summum intellectum, à quo omnia instituta sint, & gubernentur, vt nemo nisi insipiens dicere possit, non est Deus, sed iam ad quæsitum.

Dicendum regulariter loquendo omnia agere propter finem, dico regulariter; quia agens per intellectum, quales homines, quod deficere potest, aliquando deficit temerè agendo; alia agentia naturalia aliquando à Consecutione finis impediuntur, in quo tamen propriè dici non possunt non agere propter finem; patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia nisi in tota natura omnia sint propter finem, omnia erunt à casu; sed hoc repugnat pulchræ dispositioni vniuersi, & pugnat cum inclinationibus rerum ad certos fines; pugnat cum tam mirabili dispositione organorum ad certa munia: ergo necessario dicendum est omnia instituta esse, & agere propter finem. Ad rationes in contrarium partis negatiuæ.

Ad primam respondeo dicendum, quod si omnia agerent propter finem, ità vt semper propter finem agerent, & nunquam à consecutione finis impedirētur, nihil fieret temerè; at non semper omnia eo modo agunt, & ad hoc vt aliquid temerè fiat, vel à casu, siue à fortuna, sufficit quod agentia impediri possint, & quod non semper propter finem agant, quod secundum accidit aliquando in agentibus ex cognitione, sicut dictum est, nam cœtera semper propter finem agunt, etiamsi à consecutione finis impediantur.

Ad secundam patet ex dictis, & ad illud quod assumitur ad probationem antecedentis; Respondeo dicendum, quod Deum habere aliquem finem facere potest duplicem sensum, primus est, quod ipse Deus ordinatus sit ad aliquem finem, & hic sensus est falsus; quia esset aliquid melius Deo, propter quod Deus esset, sicut Deus melior est nobis, qui sumus propter Deum, vt propter finem; secundus sensus est, quod Deus habeat finem aliquem suarum operationum, & hic sensus verus est, nec facit difficultatem confirmatio; quia aliud est carere aliquo bono in se, & sibi necessario; aliud carere aliquo extrinseco sibi non necessario, sed necessario alijs; seu magis, eos, quibus aliquid volumus, carere, eo, quod ipsis volumus, antequam illud ipsis demus, primum dicit propriè carentiam, & imperfectionē in carente; secundum nec propriè carentiam dicit, nec imperfectionem; sed perfectionē cum dicat esse id, per quod cætera habent ea, quibus carent.

Ad secundam confirmationem respondeo dicendum si desiderium accipiatur pro intentione obtinendi finem, verum est, quod quidquid agit propter finem, agit ex desiderio finis; sed non sequitur, quod angatur, si frustretur fine, nisi sit agens ex cognitione, quod ꝓpter imbecillitatē non possit obtinere finē, in Deo autem hoc non habet locum; quia ipse nunquam frustratur fine, quem efficaciter vult; nam considerandum est, quod vel Deus agit per se solum, & semper facit totum id, quod vult; voluntati enim eius quis resistat? vnde non frustratur fine; vel agit cum causis secundis, & tunc aduertendum est, quod si non obtinetur finis, quem prætendit causa secunda, id semper accidit ratione alicuius impedimēti ex parte causæ secundæ, vel profecti à materia, & subiecto, vel ab aliquo alio agente impediente, & tunc cum non minus concurrat Deus cum impediente, quam cum impedito, & finis Dei sit cooperari cum causis secundis iuxta naturam, & exigentiam ipsarum, semper Deus habet suum finem, licet suo careat causa secunda; solum putare posset aliquis Deum frustrari fine, quando Deus offert motionem aliquam causæ rationali ad aliquid, cuiusmodi sunt Inspirationes, quas hominibus immittit Deus, quibus homines non assentiuntur; sed nec tunc Deus fine frustratur, cum per hoc exequatur, quod prætendit, præstare se se ipsum causam primam moderatricem causæ rationalis, & manifestare suam bonitatem, atque iustitiam.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod ad hoc vt aliquid agat propter finem, non est necesse, quod cognoscat finem, nisi forte se ipsū in finem dirigat; necesse quidem est, quod

profectum sit ab aliquo, quod ipsius finem cognouerit, & finem ipsi præstituerit, quod aperte docet omnia esse à natura aliqua intellectiua omnia ad fines ordinante.

Obijcies.ipsa met natura non agit propter finem: ergo non omnia agunt propter finem; probatur antecedens tripliciter, primo si natura ageret propter finem vel magis beneficam se præbuisset homini, illique melius cōsultum voluisset, ni dicere velimus eam inuidam,& maleficā esse; probatur sequela; quia præbuisset homini multa præsidia, & adiumenta, quæ præbuit brutis, vt vestitum, vt arma ad sui defensionem, vt cognitionem noxiorum,& vtilium; nam cum his omnibus spoliauerit hominem, quibus ornauit bruta animalia, vel temerè agit, vel certè malefica est,& inuida, cum peius tractet, quod est nobilius,& pluribus dignum est.secundo probatur idem antecedens; multa sunt in mundo redundantia, & quæ nullum habent vsum, vt multa animalia; multa sunt noxia, vt multæ bestiæ venenatæ, ipsaque venena;multa etiam inutilia sunt, vt multa mixta, quæ nulli sunt vsui:ergo non omnia sunt facta propter finē.

Tertio idem probatur, quia quæ sunt propter finem,sunt ordinata; sed in natura sunt multa incomposita, & inordinata: ergo non omnia sunt propter finem;maior patet; minor probatur;quia in natura sunt multa monstra, sunt inæqualitates aeris,& tempestates, æstate aliquando nimiæ pluuiæ;hyeme nimiæ siccitates, & multa huiusmodi, quæ cum exorbitent à legibus vniuersi,nō possunt esse propter finem.

Respondeo dicendum, quod siue per naturam intelligamus primum agens, scilicet ipsum Deum, siue causas secundas à Deo ordinatas,vtraque agunt propter finem,quare negatur antecedens, & ad primam probationem, Respondeo primo ex Lactantio de opificio Dei, ideo hominem factum esse nudum, & inermem, quia ratione, & ingenio vestiri poterat, & armari, & natura cum non abundet in superfluis, satis per hoc visa est consuluisse homini.

Respondeo secundo ex Niceno libro de hominis opificio, non potuisse hominem vestiri à natura,& armari sine præiudicio suæ dignitatis, & pulchritudinis; nam nihil aliud homini attribui debuit à natura, quàm natura hominis postulabat; natura hominis non solum non postulauit pilis,vel testis, vel squamis vestiri hominem;sed id recusauit; nam si consideremus non solum dignitatem hominis, sed ipsum temperamentum, & complexionem, cum illo repugnabat tanta pilorum, & multo magis testarum,vel squamarum copia; multoque magis repugnabant cornua, vel belluini vngues;vt proinde natura homini optimè consuluerit, illum efformando, vt efformauit; qui verò hominem, inquit philosophus libro 4. de parte cap. 10. non bene,sed deterrimè omnium animalium cōstare aiunt, nudum enim, atque inermem creatum referunt,non rectè ij sentiunt. Cætera enim animalia vnum auxilium habent, idque nullo pacto possunt permutare, sed quasi calceata semper dormire, ac omnia agere, nec vestitum vnquam deponere pleniorem, neque arma mutare,quæ semel acceperint,necesse est; at homini multa habere auxilia licet, atque subinde mutare arma, etiam quæ velit,& vbi velit capere potest; manus enim, & vnguis est, & vngula,& cornu, & hasta, & ensis, & quoduis aliud genus armorum,aut instrumētorum,&c.per quæ abundè patet ad primum; ad illud de cognitione venenatorum natura sufficienter prouidit humano generi in primo homine,cui perfectam de omnibus cognitionem dedit.

Ad secundam Probationem respondeo dicendum nihil in mundo redundare; nam cum omnia facta sint propter gloriam Dei ad ostēdendā ipsius supremam potentiam,sapientiā, & bonitatem, nihil est quod hoc munus non exequatur pro sua parte, sit quantumvis minutum, & paruum. immò ex D. Augustino lib. 22. de ciuit. cap. 24. ea plus habent admirationis, quæ molis minimum;plus enim formicularum, & apicularum opera stupemus, quàm immensa corpora Balenarum; & sanè quam in opifice arguit sapientiam, quam potentiam apicularum; & pulicum crura, & stimuli, quæ cum nostrorum oculorum ferè aciē effugiant præ tenuitate, tot tamen distincta sunt partibus, & ad proprios fines tam belle adaptata, vt nihil in natura sit admirabilius: nam quis potuit terebrare tam tenuem stimulum, qualis est pulicis? quis potuit in tenuissimis cruribus efficere ductus ad alimentum deferendum? quis distinguere neruos, vt inseruirent motui? certè si hæc rectè perpendantur, arguunt tum sapientiam, tum potentiam infinitam,vt proinde non frustra in Mūdo fuerint effecta. adde nihil est in mundo,

quod

quod non augeat ipsius ornatum, nihil etiam quod homini aliquo modo non inseruiat; nam præter quam quod dici posset venenata in Mundo esse posita à diuina iustitia ad pœnas repetendas ab hominibus de proprijs sceleribus; insuper tamen sunt vtilia ad multos morbos curandos, quos necesse est homini accidere ex necessitate materiæ; vtilia etiam sunt ad cognitionem, & sapientiam.

Ad tertiam probationem respondeo dicendum, quod quæ sunt in Mundo ordinata sunt; sed tamen cosiderandum est, quod cum multa ex illis ex propria natura sint defectibilia ex necessitate materiæ euenire debet, vt multa à suis actionibus, & particularibus finibus impediantur, ex quo fiunt monstra, vt fusius postea; accidunt etiam inæqualitates temporum, aliquando quidem speciali Dei prouidentia vlciscente hominum scelera, vel aliud aliquod bonum procurante; aliquando ex necessitate materiæ vincente humido, vel sicco: sed mirum est cum hac plurium causarum mutabilitate permanere tanto tempore ratum, ac stabilem ordinem vniuersi, vt proinde duplici de causa necesse sit fateri dari summum rerum omnium curatorem, prima quidē, quia cœlorum ordo, & cœterarum inferiorū causarum dispositio tam apta, & concinna ad finem vniuersi non potuit esse nisi à summa sapientia, sicut esse non potest nisi à sapientissimo artifice affabre factum horologium: secunda quia consistentia in tali ordine post tot annorum millia, præsertim attenta defectibilitate rerum, in quibus ordo positus est, perseuerare non potest nisi gubernante omnia assistricè diuina prouidentia, quæ omnium supplere possit defectus, & suppleat quādo opus sit, sicut neque horologium, quantumcunque sapienter concinnatum semper in recta dispositione perseuerare posset, nisi assisteret aliquis, qui ipsum curaret, & pro vt opus esset moderaretur.

Art. 10. Vtrum bruta sibi fines præstituant, & eligant media propter finem.

QVando quidem dictum est omnia agere propter finem dubium est, vtrum bruta suos fines cognoscant, & ex desiderio illorum operantia adaptent media ad fines consequēdos, quæ difficultas non militat in alijs rebus naturalibus, quæ omni cognitione carent, quia illæ licet agant propter finem, cum ipsarum operationes habeant aliquid, propter quod fiunt; tamen cum finem non cognoscāt, non possunt ad suos naturales fines ordinare suas operationes, & ad illos consequendos apta media eligere, & instrumenta præparare; vnde potius dicuntur agi in finem, & propter finem materialiter operari, quam formaliter in suis operationibus intendere finem. De animalibus tamen est dubium, & quidem affirmatiuam sententiam secuti sunt nonnulli, qui brutis animalibus concesserunt rationem, vt Chrysippus Dialecticus, Grillus Sophista, Porphyrius lib. 3 de abstinentia, & videtur fuisse dogma Anaxagoræ, & Pythagoræ, vt habetur ex Plutarco de placitis philosophorum lib 5. cap. 20.

Communis sententia vera, & indubitata est in contrarium, quam cum philosopho sequuntur communiter Peripatetici. Pro prima tamen sententia sunt hæ rationes.

Prima. Bruta discurrunt, & syllogizant: ergo, & possunt sibi præstituere fines, & eligere media: ergo & eligunt; patet vltima consequentia; quia si possunt, non est negandum, quod illud faciant; antecedens confirmatur à Chrysippo hoc exemplo, canis persequens feram, quod etiam accidit cum inuestigat suum dominum, in triuio vnam, & alteram viam adoratus, tertiam arripit nihil amplius quærens, nec odorans: ergo syllogizat; probatur consequentia; quia necesse est canem sic ratiocinari. prima uia non abijt dominus, siue fera, nec secunda: ergo tertia. Confirmatur alijs experientijs, nam de cane Eduardi Principis sic scribit Fons. lib primo Met. in explicatione primi capitis, & visus est nostra ætate in Lusitania insignis quidam canis Eduardi Principis, qui naturæ sagacitati consuetudine

audiendi adiuncta, nomina propria quorumdam ex familiaribus ita distinguebat, vt illorum quemlibet ab illo vocatum quaritaret, & dentibus veste apprehensa duceret ad vocantē; quam docilitatē, & humani ingenij imitationem ipso mortis genere confirmauit siquidem mortuo Principe, & constantissimè cibum repudiauit, & desiderij affectu cruciatus interijt, hæc Fons. quibus similia multa de hoc animante afferri possent. De Elephantis quoque mira circumferūtur. auctores Ioseph A costa petentem pastum à curatore Elephātē increpatū, quod peluis fracta esset, missūq; vt reficiendā curaret, postea retulisse male refectam, quem cum propterea iterū cū pelui ad fabrum misisset curator, eam tulisse, & proiecisse ante officinam cum quadam indignatione, quasi conquereretur, quod primo male resarcisset; sartamq; non recta ad curatorem portasse, sed pri' an bene refecisset explorasse in præterfluente aqua, tum demum integram inuentā retulisse ad suum curatorem. Narrant alij ex Osorio cum vellet Lusitaniæ Rex elephantem Romā mittere ad Leonem decimū summum Pontificem, persuasum à curatore qui non libenter illud iter susciperet, ne cōcēderet, quod cū postea intellexisset Rex, & minitatus esset curatori supplicium, ni daret operam, vt Elephas nauim conscenderet, id ei cōtrarijs rationibus in aures insusurrando persuasisse plura habet de hac bellua Elianus, & Plinius, vt quod aliquis græcarum ductus litterarum didicerit, solitusque fuerit perscribere eius linguæ verbis. ipse ego hæc scripsi, & spolia celtica dicaui: quod cum è naui egre di cogeret puteolis territos spatio pōtis procul à continente proiecti, vt se si longinquitatis æstimatione fallerēt, auersos retrorsū isse, quod amnem transituri minimū præmittant se maiorum ingressu atterente alueū crescat gurgitis altitudo, & alia similia.

Secundo Probari potest idem Antecedens. Bruta animalia non minus quā homines per apta media consequuntur suos fines: ergo dicēdū est illa fines cognoscere, & sibi præstituere, ac media eligere; probatur antecedens multiplici experientia; nam prima certū est, aues optimè suos nidos cō struere, & vt de cæteris taceamus, hirundo vt nidum construat, scit nō sufficere palleas; sed necessariū esse lutū, quod palleis obliniat, ac proinde lutum palleis obmisceat; exploratissimum iam est hoc tempore in India genus quoddam psytaci appendere nidum suum in sphæricam figuram cōformatū è tenuissimo ramo palmæ forinsecus solum relicto foramine, quo nidum subire ipsi possint; quod præstare dicuntur, vt oua, & pulli tuti sint à serpentibus, quibus regio abundat. secūdo certū est animantes optimè scire applicare media ad tuendam, vel recuperandā sanitatem. Hippopotamus, seu fluminis Nili equus cum vorax sit, ac proinde nonnunquam ob eā causam sanguinis copia redundet, venam sibi in fæmore aperit, afflicto fæmore ad aliquam in ripa fluminis arundinem, cumque quantum satis est, sanguinis emiserit, sistit sanguinem, & foramen occludit obuoluto corpore in tenacissimo limo, canes, & feles noscunt herbas quibus ægritudines curent, & onus ventris deponant; capræ feræ dictamno ferrum è corpore extrahunt, vnde sunt illa apud Poetam.

Dictamnum genitrix cretæa carpit ab Ida
Puberibus caulem folijs, & flore comantem
Purpureo, non illa feris in cognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ

De hirundine etiam ferunt quod chelidonia vtitur ad procurandum pullis visum; multa alia sunt huiusmodi, quæ non facile esset recensere. tertio animalia procurant, cum ipsis est pugnandum, aptā media ad victoriam consequendam, hinc mustella pugnatura cum venenatis munit se ruta. Rhinoceros pugnaturus cum elephante acuit cornu attritione ad cotem. Icneumon totum se oblinit luto, seseque in fauces patentis oris Crocodili insinuans ventrem subit, tum fibras, & intestina erodit, interfectoque inimico tandem erumpit ex obscuro ventris specu cum victoria.

Plin. natur. hist. lib. 8. c. 27.

Quarto norunt eædem animantes consuetudine, & exercitatione difficultatē vincere, & habitus acquirere; hinc aliquæ se ad cursū, aliæ se ad pugnam exercent; sed illud singulare, quod habet Plinius lib. 10. hist. cap. 29. de luscinijs, suos scilicet docere pullos modulari vocem ad numeros, & ad omnem concentus varietatem, meditantur, ait Plin. iuniores, versusque, quos imitentur accipiunt; audit discipula intentione magna, & reddit, vicibusque reticēt; intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprensio; vnde qui pulli adhuc rudes capti sunt, & in caueis nutriti minus suauiter canunt, videlicet ante legitimum tempus à doctore, & à schola musicæ subtracti.

Quinto

Quinto multis dolis vtuntur ad prædam,& salutem; sæpiæ aquam inficiunt suo natiuo attramento,vt tutæ sint,& prædam capiant; Lupus se canem simulat, vt incautas oues decipiat; feles somnum, & mortem fingunt, vt illudant passerculis, eosque incautos in suam vindicent potestatem; araneæ miro artificio telam contexunt ad muscas capiendas peropportunè excubias agunt, & eo loco latent in insidijs, quo à leui quacumque motione admoneantur captæ prædæ. hæc, & alia huiusmodi animantes, ex quibus perspicuum est animalia accommodare media ad fines cōsequendos, ac proinde, & finem vt finem,& media vt talia cognoscere.

Pro contraria sententia Prima ratio. animalia omni intellectiua cognitione destituta sunt:ergo non sibi præstituunt finem, nec ad illum media eligunt; probatur consequentia; quia præstituere sibi finem,est finem, vt finem cognoscere; idest cognoscere aliquid, vt sibi tale pacto bonū,& aptum, vt per hæc potius, quàm per illa media obtineatur,quod esse nō potest sine cognitione intellectiua; quia talis cognitio, est cognitio omnino eleuata supra materiam, quæ ex vno tum sensato, tum non sensato in alterum siue sensatum, siue non sēsatum deuenit; antecedens de se est euidens quod, & probari posset multipliciter, nam si animalia essent prædita cognitione intellectiua simul etiam haberent liberum arbitrium, ac proinde capacia essent meriti, & pęnæ: vlterius diuerso modo assuescerent, aries, & alia huiusmodi reperirent, inter se sub certis legibus conuenirent, sicut homines; nec semper esset certis speciebus eadem inclinatio, vt esse docet experientia, nam omnes vulpes subdolæ sunt, & fallaces, lupi fraudulenti, ingeniosæ, & insidiantes araneæ, &c. præterea inter omnes species animaliū in solis apibus inuenitur vestigiū quoddam, & simulacrum ciuilis politiæ, & Reipublicę,& hoc in omnibus prorsus apibus quocumq; cœlo sint, vt signum sit hoc habere apes à natura, ac proinde omnia alia agere, quæ agunt,ex instinctu naturæ.Cōfirmatur eadem veritas ex scientijs traditis per præceptorem,& consignatis literis, ex ratione scribēdi, ex arte medica,& nauigatoria, & alijs innumeris inuentis humanis, quæ sicut arguunt in homine animam intellectiuam,& immortalem;ità in brutis,in quibus locū non habēt, ostendunt nullam esse rationem, sed tantum vestigium quoddam rationis, seu instinctum inditum à natura imitantem rationem, ac proinde non institutum temerè,nec sine ratione. Confirmatur vlterius; quia omnia animalia ità determinata sunt ad certa munia, ad prosequendum, vel fugiendum obiectum præsens,vt non sit in illorum potestate aliter operari; vnde Leo famelicus non potest coerceri à cæde hominis; inter lupos, & agnos non potest conciliari vlla amicitia, & sic de reliquis; cum tamen homines ratione præditi precibus moueri valeant, & inimici inter se conciliari possint, possint vlterius homines idem obiectum prosequi, & refutare, diuerso modo, & legibus viuant, & nunc his rebus studeant, nunc illis, vnde est illud Portæ.

Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno
& illud alterius.
Millia quot capitum viuunt, tot sunt studiorum.
Mille hominū species, & rerum discolor vsus.

quæ sicut in homine ostendunt animam intellectiuam, & perfectam cognitionem finium, & mediorum, ità arguunt in animalibus horum defectum, & solum quandam materialē cognitionem finis, cum determinatione à natura ad certa media.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut à peritissimis artificibus profecta opera plurimum habent admirationis,illudq; assequi videntur,vt naturam quasi veram, & quandam intelligentiam simulent; ita naturæ opera,vt à meliori profecta sapientia,plus debent habere admirationis, & meliorem referre intelligentiam; sed sicut ineptus sit,qui sibi persuadeat aut architæ columbā viuere, aut dedaleas viuere statuas, & tripodes, aureosque pincernas Hiarchæ, quòd motu vitam simularent, ità plumbeus sit, qui brutorum solertiæ admirabilitate motus, auibus, & brutis tribuat intelligentiam; tollerabilior quidem est, qui sapientissimi opificis officinam ingrediens, ibique plurima videns plena artis, & sapientiæ exclamaret opera illa non constare sine intelligentia, etiamsi non intelligat proprium effectorem, quàm qui præ stoliditate pronunciet à casu illa profecta esse, & temeritate perfecta; attamen nec ille quidem ferendus sit, si in ipsis artefactis intelligentiam includat, quodque tribuere debet opifici, tribuat artefacto, opus naturæ opus quidē est intelligentiæ,sed

non quæ in auibus, brutiſque ſit, ſed quæ in auibus, brutiſque vires, facultateſque inſtituerit ad opera ſapientiæ pleniſſima, itaque conſiderare oportet, quod cum formalis cognitio ſit à mente, & intellectu, intellectus autem ſit potentia naturæ perfectiſſimæ, & quæ primũ locum tenet inter gradus entis, brutis, quæ in ſolo gradu ſenſitiuorum reponi debent, conuenire non poteſt, atque ſicut ſenſus non conuenit puris vegetabilibus, ità nec ratio puris ſenſibilibus, qualia ſunt bruta, vnde inepti prorſus fuerunt illi, qui brutis animalibus attribuerunt rationem, & intellectum; mendaces quoque, & vani, qui iiſdem conceſſerunt ſermonem, horum ex numero Rabbi quidã Iudæus extitit ex Abulenſi ad cap. tertium lib. 3.
Q.q.11. regum, qui affirmabat Salomonem voces animalium cognouiſſe, ex eadem claſſe Apollonius quoque Tianæus inſignis præſtigiator, & magus, mentitus eſt ſe callere ſermonem auium, quod etiam conatus dicitur re confirmare admonens diſcipulos paſſerem quemdam vocare cæteros ſocios, ſicut verè vocare viſus eſt, vt accurerent ad colligendum frumentũ, quod agaſo quidam prope ciuitatem ſuderat, quod non ſine præſtigijs Dæmonum Tianæum præſtitiſſe, ſicut cætera, credendum eſt, eadem vanitate laboraſſe dicitur Thales, Tireſias, Melampus, nec non etiam impius Porphyrius, qui talem illis peritiam attribuit; nam certum eſt, quod ſicut natura quaſdam voces conceſſit brutis ad manifeſtandas paſſiones animi, vt triſtitiam, & lætitiam; ità omnem aliam ſermonis peritiam, quæ ſolum eſſe poteſt ex inſtitutione, & conuentione, denegauit; præterea certiſſimum eſt ex ſolo naturæ inſtinctu animantes ſuos fines ſagaciſſimè perſequi; nam ſicut in arboribus certa eſt partium diſtinctio, certi meatus, certæ fibræ, atque neruí, ad fines arbori neceſſarios, vel propter flores, vel propter fructus, vel propter ſemina, vt iis poſſint ſe tueri arbores, & propagare, & hæc quidem omnia ſummo artificio ſunt accommodata, vt nihil poſſit ordinatum eſſe ſapientius, nec tamen arbores mentẽ habere credimus, vt vere plãta ſit; & ſtipes, qui arboribus intellectum attribuat; ità quod animalia certos ſuos fines proſequantur nullũ in ipſis arguit vſum rationis, nec magis de ipſis dici poteſt, quod finem cognoſcant, ad illumque media eligant, quàm id faciant plantæ; ſed totum id, quod faciunt, faciunt naturæ ductu, & inclinatione, quod quidem vt ſupra dictum eſt, arguit ſingulis rebus ſuos eſſe præſtitutos fines à natura intelligente, & ex ſumma ſapientia fines omnium ordinanre, quod viderunt ſapientiſſimi quique philoſophorum cum ipſo Principe Ariſtotele; qui ſicut brutis intellectum negauit; ità non ſemel illud pronunciat, Deum, & naturam nihil fruſtra moliri, & omnia agere propter finem quare Dicendum bruta animalia, ſi de ſe præcisè ſumantur, nec finem ſibi præſtituere, nec vlla ad illum media propriè eligere. Patet ex modo dictis, & rationibus ſecundæ ſententiæ; Confirmatur quia ratio finis, vt ſic, eſt ratio abſtracta, in quam directè, & formaliter non poteſt ferri niſi ratio, & intellectus; electio præterea mediorum dicit cognitionem vnius reſpectiuè ad aliud etiam abſens, & non ſenſatum, & collationem multorum inter ſe, quæ non poſſunt eſſe ſine intellectu, quo carent brutæ animantes; quia vbi eſt intellectus, & cognitio eſt vniuerſalium, & variorum particularium ex illis deductio, ac proinde, & varia media ad finem, & alia in his, alia in illis nec ſemper eadem, ſed pro opportunitate variata: Bruta verò operantur vno modo ſemper, & in tota ſpecie idem operãdi modus in omnibus inuariatus; nec agunt propter fines certos, vt propter generationem, & prolem niſi certis tẽporibus, & ad præſentiam certorum obiectorum ſenſibilium, quod oſtendit bruta non à ſe ipſis per rationem, & electionem, ſed ab inſtinctu naturæ, & à ſenſibili, ad ſua opera determinati, ac proinde ipſa ſibi non præſtituere finem, nec vllam mediorum electionem habere.

Secundo de anima t.144. de mem. ca. 4. li. 1. de part. ſi. 1. De cœlo tex. 32 4. de gen. c. 2. de ani. c. 2. 2. de par. c. 13. & primo po lit. c. 2.

Ad rationes in contrarium. Ad primam dicendum falſa eſſe, quæ ibi aſſumuntur; & ad primam probationem Reſpondeo, quod vel canis in tertia via ſentit odorem Domini, ſiue feræ, quem nõ ſentit in prima, & ſecunda via, vel ex eo, quod mouetur amore Domini, vel feræ excitatur ad illam inueſtigandam naturali ſequela, & ad arripiendum iter in tertia via, vbi ſublatum eſt impedimentum, ex collatione cæterarum viarum; nam cum prius offerentur tres viæ, & iam offeratur niſi vna naturaliter determinatus canis ad arripiendũ iter per illam, ad quod non determinabatur antea propter impedimentum cæterarum viarum æque ad iter mouentium. Ad primam confirmationem, ſi vera ſunt, quæ de eo cane referuntur dicendum eſt per nomina vocatorum, vt per certa ſigna ſenſibilia, determinatum

nium esse ad illas euocationes; sicut etiam per certa signa sensibilia determinantur animalia ad saltationes, & ad alia huiusmodi, quibus iam spe cibi, vel pœnarum metu assueuerunt; & idem dicendum de alijs, quæ ibi assumuntur; nam animalia nō mouentur nisi per signa sensibilia; vnde si didicit elephas formare litteras græcas, non ita didicit, quasi posset, quando vellet, vti illa facultate, sed determinabatur à certis signis ad talem efformationē; vnde semper animalia determinātur ad sua opera ab aliquo sensibili; nec vllam rationem non sensibilem per se, & formaliter possunt percipere, ac proinde nec sibi possunt constituere finem, quod non fit, nisi rationes elligibiles per se percipiantur, vt dictum est; qui enim vult sibi constituere finem, debet prius cognoscere, & ipsum bonum sibi, & acquisibilem per aliqua media, quæ in suis finibus non cognoscunt animalia, licet ita operentur, & moueantur, ac si cognoscerent, in quo mirabilis est primæ causæ prouidētia, quæ hoc causatum secundæ si horologium ita ordinauit, vt singulæ rotæ exquisitissimè sua expleant munera, ac si perfectissimo intellectu prædita essent, cum aliquæ ne sensum quidem habeant; vnde verè exclamauit Vates regius, quàm magnificata sūt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, & alius effudit sapiētiam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum. Non effudit autem Deus sapientiam nisi propter effecta, quæ talia sunt, ac si immediate essent à sapientia, quod, & vltima verba ostendunt, super omnem carnem secundum datum suum, ac si diceret, data quidem, & dona diuersa sunt, cum viuant aliqua sola vita vegetatiua, & sensu tenuissimo; alia etiam sensum habeant manifestiorem; alia, & sensum, & intellectionem habeant, vt homines; & nihilominus tam in illis, quā in his expressa sic sunt, & manifesta signa diuinæ sapientiæ, ac si super omnia effusa esset; sicut meridiana in luce, & sub sole, quocumque tandem colore imbutæ sint res, solis tamen lucem referunt, qua perfunduntur; non secus creata omnia, & si naturis constant diuersis, diuersaque habent effectuum suorum principia, tamen in omnibus diuinam manifestant sapientiam, à qua instituta sunt, & cuius certissima signa exhibent non cæcutientibus.

Psal. 103

Eccl. 1.

Ad secūdam principalem rationē dicendū ex dictis sine vlla formali cognitione finis, & medio um illa omnia præstare animalia solo naturæ instinctu; nam hirundo cum eam stimulat certum anni tempus ad prolem, statim atque videt lutum apprehendit illud, vt sibi vtile, ac proinde illud defert ad certum locū, illudque oblinit palleis, tum iterum lutum videns accipit, & eodem modo palleis aptat; cum tamen in principio nesciat hirundo in actu signato ad nidum construendum necessaria esse lutum, & palleas, talem ve esse tribuendam formam nido: itaque tum hoc, tum cætera, quæ in secunda ratione referuntur, præstantur ab animalibus solo naturæ ductu, & materiali quadam cognitione in actu exercito illius, quod sibi hic, & nunc est conueniens, quod solum arguit omnia naturalia instituta esse exquisitissima sapientia, sicut, & id ipsum arguit, quod in plantis nunc humor deriuari debeat in gemmas, quod ante solum ferebatur in lignum, & tali figura conformetur gemma propter bonum nasciturì rami, vel fructus, quodque fructus tam aptis thecis reponantur, & Pericarpijs. quare sicut his non damus intelligentiam, etiamsi tam aptè habeant instituta media ad fines suos consequendos, virtutesque habeant operantes ex quadā perfectissima ratione finis; nec etiam intellectum damus fœno, & lilijs, de quibus dixit Dominus, quod nec Salomon in omni gloria sua copertus est, sicut vnum ex illis; eodem modo neque dare debemus intellectum animalibus, nec formalem cognitionem finis, nec mediorum electionem; sed ad summum æstimatiuam quandam cognitionem, qua in præsentibus sensibilibus apprehendunt intentiones quasdam insensatas, non explicite, & formaliter, sed subobscurè, & per modum cuiusdam materialis cognitionis, & sequelæ; & aduerti debet, quod sicut peritus opifex ità coniungit extrema per media, vt mediū quodlibet proximè induat naturam sui extremi, ita Deus fecit in creaturis suis, & in gradibus entis; in corpore nostro vbi desinunt ossa, fere sunt cartilagines, quę natura proxime ad ossa accedunt, & si ossa non sunt. In gradibus entis mixta aliqua proxime accedūt ad elemēta, vt ab illis vix distingui possint; vegetabilia aliqua pene non distinguntur a mixtis non vegetantibus, quod per illa natura transeat ad vegetabilia perfectiora; inter hæc, & sententia quædam sunt, quæ ita obscure sentiunt, vt nescias vtrū ponenda sint inter sentientia, an inter solum vegetabilia; in sentientibus quædam ita perci-

piunt

phunt intentiones non sensatas, vt non sine causa venerit in dubitationem sensu ne solum viuant, an intelligentia. Post hæc homo est, de quo sicut constat apud omnes non esse sine intellectu; ita non sine controuersia est, is ne intellectus vnus sit ex abstractis, & per se cohærentibus sine materia, an magis ipsius hominis sit forma constitutiua: vt proinde mirum esse non debeat si ex brutis perfectiora nonnulla ea præstent, quæ proficisci videntur ab intellectu, quæ tamen siue intellectu sunt, si gradus entis distincti sunt; Quia rationalis est homo, non intellectiuus, vt mentes abstractæ; sentientia solum sunt bruta non rationalia, qualis homo, & sic deinceps.

Obijcies cognitio futurorum non potest esse sine intellectu; sed bruta futura præsagiũt; Ergo vere prædita sunt intellectu. Respondeo quod obiectio, si quid probat, nimium pbat, probat enim bruta prædita esse nobiliori intellectu, quam sint præditi homines; quoniam futurorum præscientia nobiliorem scientiã, & perfectiorem intellectum humano arguit: nam ex perfecta cognitione futurorum arguitur diuinitas iuxta illud Isa. cap 41. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos. si ergo bruta præuident quæ nos non possumus præuidere nobiliore intellectu humano dotata sunt. Sed Considerandum est, quod est duplex futurorum præcognitio, vna, qua vere videntur futuri euentus non determinati adhuc in causis, vel certe longe positi cum nondum sint proximæ causæ: Altera, qua sentitur aliquid præsens, ad quod secuturum est aliud: solum hoc secundo modo futura præsentiunt animantes: Nam V.G. anates, & feles aliqua noua aeris humiditate permotæ caput subinde lauant: Delphini noua aliqua qualitate excitati abunde lasciuiunt, cum noui futuri sunt fluctus. Quare huiusmodi animantes solum aliquid præsens sentiunt, ad quod secuturum est aliud, & propter illud, quod præsens sentiunt, excitata ipsorum imaginatio ad lætitiam, vel tristitiam exhibet illos motus, vel lusus, quos cum homines notauerint, & animaduerterint sequi ad illos tempestates, vel serenitates dixerunt a delphinis, & alijs huiusmodi animantibus prænotari tẽpestates, & pluuias, siue serenitates; Cum tamẽ si hoc sit prænoscere futura, dici etiã possit, lucernarũ flammas præsentire futura, cũ certa quædã signa in illis videam^9 cũ noueç futuræ sunt aeris mutationes iuxta illud Poetæ.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nesciuere hiemem, testa cum ardente viderẽt
Scintillare oleum, & putres cõcrescere fungos.

Dices, quare nos easdem cœli mutationes nos sentimus? Respondeo non videri reddi posse vnam certam rationẽ adæquatam huius rei; Quoniam nec etiam omnia animalia eodem modo dicta præsentiunt, sed multa ex peculiari ratione, & conditione suæ speciei habent, quod præsentiant aliqua, quæ alia nõ præsentiunt. In vniuersum tamen reddi potest ratio illa, quã significat Arist. lib. de somnijs cap. 3. & habet S. Thom. & nostri hic Conimb. Quod nimirum animantes cum mentis expertes sint, nec occupent sensus intellectus, & mentis ministerio, sed temporum conditionibus omnino vacent, ac proinde facilius cœli, & elementorum influxus, & aduentitias qualitates præsentiant. Addi potest aliqua bruta id etiam habere ex inbecilliore complexione, & temperatura, quæ facilius ab extrinseco afficitur, affecta excitat ipsorum imaginationem, sicut etiam inter homines aliqui sunt afflicto capite, brachio, vel crure, vel alio modo affecta valetudine, qui sentiunt pene omnes lunæ, & aeris mutationes, quod certe aliunde non prouenit, quam ex imbecillitate subiecti, quod facile ab extrĩseco immutari potest, & pati.

Illud vltimo loco ad eorum, quæ dicta sũt confirmationem Notasse abs re non erit, circũferri aliqua de brutis, & nonnũquã aliqua videri, quæ vere ipsorum non sunt, sed mali dæmonis vel formam brutorum assumentis, vt sæpe cum Sagis, vel per bruta operantis: Nam, & nonnullis ab hinc annis maleficus quidam mendicus, qui suis pedibus non poterat ingredi, trahebatur in paruula sella a duobus canibus, & his solis vectoribus Italiæ percurrebat Ciuitates, quos postea familiares Dæmones fuisse compertum est; nam postea, & ob hoc, & ob alia quædam ingentia crimina meritas dedit iustitiæ pœnes Taurini quoque, honestum senem me vidisse memini, qui diceret se iuuenem in equo cũ insigni illo mago Scoto vno die præter expectationem plurium dierum confecisse viam, cum Scotus frænasset ipsius equum, & ni fallor immurmurasset quædam in aures illius Itaque malus [illegible] e non errorum parens ad errores pio seminandos inter homines nonnunquam vel sub formis brutorum, vel in brutis quædam operatur, quæ fraudem non suspicantibus persuadere possint bruta prædita esse intellectu.

Ar. 11. Vtrum instinctus animalium ad sua opera efficienda sit aliquid distinctum à naturalibus ipsorum facultatibus.

Communis sententia negat, quam videtur tradidisse Aristoteles lib. 2. de anima tex. 161. dicēs multa secūdū ipsas, supple imaginationes, operantur animalia, alia quidem, quia nō habent intellectū, vt bestiæ, alia vero, quia obruitur aliquando intellectus passione, aut ægritudine, aut somno, vt homines. Contraria sētētia affirmatiua, quę vult instinctū brutorū esse aliquid distinctū, multiplex est. Nā primo aliqui volunt instinctum brutorū ad sua opera esse naturalem quandam motionem à Deo in ipsis factā ad eū fere modū, quo pro operibus naturā excedentibus ponitur à Theologis supernaturalis motio, siue auxilium in hominibus, quo ad illa opera excitantur, & conuenienter adaptātur, cū pręcise per naturā ad illa apti non sint. Alij secūdo putant dictum instinctum esse qualitatem quamdam superadditam ab auctore naturæ phātasiæ brutorum, quæ sit velut ars brutorum: nam sicut per artē humanam contrahitur quædam qualitas in potentijs internis, quę inclinat ad opera illius artis faciliter efficienda; ita volunt per qualitatem superadditam à Deo internis potētijs brutorum inclinari bruta ad sua opera tam cōcinne efficienda. Alij quod dictum est de qualitate attribuunt certis speciebus à principio animantibus datis, quæ sint velut ideæ operis faciēdi. Alij vltimo dicta opera attribuūt altiori pricipio, Deo scilicet, vel intelligētijs in brutis operātibus. Sūt huic opinioni suæ rationes.

Prima. Perfectio operis arguit perfectionem principij operatiui; sed opera, quæ præstant bruta, superant opera, quæ efficiunt homines per artem; Ergo in brutis dari debet aliquod principium arte humana perfectius; hoc autē non potest esse phantasia, siue alia huiusmodi potētia interna brutorū; Quia phātasia brutorum non potest esse perfectior phantasia humana, quæ tamen sine arte difficile potest similia opera moliri; Ergo necessario concedendū est aliquod aliud principium, siue hoc sit speciale auxiliū Dei in ordine naturali, siue aliqua qualitas, vel species superaddita à Deo potētijs internis brutorū, quod sit veluti instrumētū Dei.

Secūdo eādē opinionē persuadere videtur illud Axioma. Opus naturæ opus intelligētię, & illud sacræ scripturæ; Qui operatur omnia in omnibus.

Tertio imaginatio brutorū non potest in illud, quod nullo pacto cadit in sensū, cū nec homo quidē intelligat, nisi quod intelligit, præfuerit in sensu; sed bruta feruntur in ea, quæ nullo modo cadunt in sensū: Ergo. Minor probatur: Quia formicæ cū nondū vidēt frumentū egrediūtur ad illud cōquirēdum. mustella pugnatura cū serpēte munit se ruta, & sic cætera.

In cōtrariū pro sētētia negatiua sūt hæ rationes. Prima. opera, quæ efficiunt bruta, vel efficiunt naturaliter, vel nō: hoc secūdū gratis dicitur, & contra rationem; Nā cur naturale nō sit hirūdini cōstruere suos nidos, araneæ texere suam telam, & generatim omnibus animātibus præstare illa, quæ sibi necessaria sunt ad suam, suæque speciei conseruationem? Verum ergo erit primum, quod hæc opera sint animalibus naturalia; sed effectui naturali debet dari in natura causa ordinaria naturalis; Ergo & huiusmodi animalium operationibus; Ergo in ipsis animalibus debet dari causa naturalis pro huiusmodi operationibus; sed talis non est speciale Dei auxilium ad modum auxilij super naturalis, neque aduentitia aliqua qualitas, vel species; Ergo necessario concedendum est heri ab animalibus per suas naturales facultates interiores.

Secūda ratio. efformatio foliorū, & fructuū in arboribus efficitur a virtute aliqua naturali arboris, Patet, Quia secus tolleretur omnis virtus actiua in causis secūdis, & in his confugere debemus ad aliquā causā supernaturalem, vel aliquod supernaturare auxiliū, vel principiū: sed efformatio foliorū in arboribus nō minus cōcinna est, & admirabilis, quā cōstructio nidi vel telæ, quā texit Aranea; Ergo si illa fit à facultatibus naturalibus arboris, & hæc fieri debet ab aliqua naturali potentia Araneæ. Patet cōsequētia, cur enim negari debeat animalibus, quod conceditur vegetabilibus, entibus valde imperfectioribus? Minor patet ad sensū: Nā quale artificiū cernitur in vno folio vitis, siue alterius arboris? quæ ibi venarū, fibrarum, neruulorum partitio, totiusque opificij distributio, dimisio, conformatio, vt non solū æquet telæ Araneæ fabricam, sed superet multis partibus.

Prò solutione.

Notandū, quod vel dicendū est, omnia fie-

immediatè à Deo & intelligentia; vel fatendum est singula fieri à proprijs virtutibus naturalibus: neq; enim sola animalium opera habent artificium admirabile, sed etiam opera viuentium, & vegetabilium. Nam quid admirabilitatis habet formatrix siue in fœtu, siue in plãta? quid stuporis vegetans in viuentibus? Quid artificij in singulis partibus concoctiua attractiua, retentiua, expulsiua? qua sapientia aptam materiam præparat? Ineptam abijciunt? necessariam hinc inde conquirunt? superfluã procul amandant? vt hæc paulo diligentius attendentes sæpius illud inculcare cogamur. Opus naturæ Opus intelligentiæ. Sed considerandum est, quod sicut ineptum esset talia opera naturalia esse negare; ita videtur omnino absurdum pro talibus effectibus causis secundis proprias virtutes adimere. Cur enim enti non excedenti ordinem, & perfectionem naturalis denegari debet virtus & facultas productiua naturalis? Itaq; sicut hæc in vegetabilibus, ita illa in sentientibus fieri à naturalibus ipsorum facultatibus inficiandum non videtur: tela enim araneæ non est quid perfectius araneæ phantasia, vt necesse sit ad altiorem virtutem confugere. Porro phantasia siue araneæ, siue alterius animalis principium est dictorũ operum nõ per aliquas species à principio sibi inditas, vt dixerunt aliqui: cur enim natura species concessit animalibus, quas denegauit homini? Sed sicut lumen humani intellectus si per habitum erroris labefactatũ non sit, mensura est & regula quædam veritatum, præsertim immediatarum; ita vt statim atque repræsentatur ipsi naturale aliquod principiũ de veritate eius diiudicet; ita phãtasia animalis suamet vi & natura posito aliquo extrinseco obiecto materiali mouente, statim determinatur ad talẽ opus, quæ quia formaliter iudicare non potest, habet imperfectum duntaxat quoddam iudicium, & materiale de opere faciendo, ad eum fere modum, quo cum nobis repræsentatur aliquid noxium, vel periculosum statim determinamur ad fugam, & viso inimico tristamur, commouemurq; antequam perfecte discurrere, & iudicare possimus, ac nobis imperare. Quare tale iudicium imperfectum, quod appellare possumus materiale, sufficit animalibus, vt determinari possint hic & nunc ad hoc præstandum, cuius etiam signũ est, quod semper vno modo operantur animalia: nam omnes araneæ eodem semper artificio vtuntur in construenda tela, omnes hirundines eandem adhibent artem in efformando nido, & sic de cœteris omnibus Quare.

Dicendum instinctum animalium ad opera ipsorum efficienda non esse quid distinctum a facultatibus ipsorum naturalibus. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur primo; nam si oculus materiali quodã iudicio de omni iudicat visibili, & hoc tanquã gratum auide haurit, illud vt ingratum auersatur, & fugit, quod etiam habet auris in sonis, & gustus, cœteriq; sensus in suis sensibilibus, cur etiam brutorum phantasia iudicare nõ poterit eodẽ materiali modo de opere hic & nũc sibi faciendo, & deuitando incommodo? Hirundo ergo cum se pronam sentit ad fœtum, statim atque lutum videbit, & paleas, iudicabit illa sibi esse assumenda, & tali pacto inter se concinnanda: Quibus addi debet, quod quæcunque qualitas, vel species addatur æstimatiuæ brutorum, si hæc sit illi proportionata, non potest illius superare perfectionem, vt proinde, quod nõ potest illa, nec possit ista, frustraq; proinde ponatur. Quod si dicas eadem ratione probari posse non esse necessarios in homine habitus. Respondeo id esse falsum ob disparitatem rationis; nam in homine est indifferentia ad multa, quæ non est in brutis, vt proinde determinari debeat ad vnum per habitũ. Præterquam quod in homine sunt diuersæ potentiæ, & facultates, quarum vna impedire potest certam operationem alterius nisi per habitum ad illam firmetur: Tertio in absentia obiecti sæpe operandum est homini, quod nõ faciunt animalia. nam hirundo numquam construit nidum, nisi ab extrinseco se sentiat extimulatã; neq; scit sibi luto vtendum, & paleis, sed illa per vias inueniens ad ea sumenda naturali determinatur instinctu, vt proinde cum deest lutum comminisci non possit, vt homo, glutem aliquod ex ijs, quibus fabri vtũtur lignarij ad sua opera construenda.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod ratio illa, si quid probat, valet non solum de facultatibus animalium, sed de omni alia virtute naturali, vt de calore naturali, de nutritiua &c. Vnde est illud Domini. Quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum. nam calor naturalis, & nutriens potest facere carnem, augmentatiua potest extendere viuens per cubitum, quod non potest vlla ars, vlla ve hominis cogitatio. Dicendum ad argumentum igitur est phantasiam bruto-

cum superare artem humanam, si precise accipiatur ars; non tamen superare artem humanam acceptam cum phantasia & intellectu humano: nam phantasia araneæ naturaliter est determinata ad vnum opus, phantasia humana est tanquam vniuersale principium ad multa opera; Et quoniam quod vniuersale est, & indifferens ad multa, debet determinari per aliquid super additum, ad particulare, & determinatum; hinc est, quod in homine poni debet ars, quæ sit quid distinctum à facultatibus naturalibus hominis: Cœterum non minus phantasia hominis est naturalis ars contexendæ telæ, quam sit phantasia araneæ, cum per eam & intellectum inuenta sit ars texendæ telæ, & faciendi multa alia opera. Hoc solum habet phãtasia araneæ præ hominis phantasia, quod habet materiam naturalem sibi à natura præparatam, cum phantasia hominis debeat aliunde sibi præparare materiam ad artificiatum. Quare in forma ad argumentum ad maiorem dicendum, quod perfectio operis arguit perfectionem principij operatiui, & maior perfectio maiorem perfectionem principij cœteris paribus. Ad minorem dicendum, quod opera, quæ efficiunt bruta superant opera, quæ efficiũt homines nonnunquam quo ad rem; quia opera brutorum vt plurimum sunt ens naturale, nunquam tamen superant quo ad modum operandi per intellectum, & electionem; licet forte superare possint: quo ad modum, qui est penes celeritatem, & alia pertinentia ad rem. Quare negatur consequentia; nam si opera brutorum superarent opera hominum, & quo ad rem, & quo ad modum, necessario dicendum esset perfectius principium esse, per quod operantur bruta, quam homines.

Dices etiam perfectio, quæ est penes rem arguere debet perfectionem principij, & maior perfectio maiorem perfectionem principij. Respondeo arguere maiorem perfectionem principij instituentis brutorum virtutes, & tales virtutes primo dantis; non autem maioré perfectionem principij per tales virtutes operantis; Quia perfectio cognitionis non est penes hoc, neque penes talem modũ operandi exercitum, & materialem.

Ad secundam patet ex dictis quomodo illæ maximæ accipiendæ sint. & sane opera naturæ, vt iam sæpius dictum est, demonstratiue arguunt principium, à quo factæ & institutæ sunt illorum virtutes, esse intellectiuum, cum sapientiam quamdam mirabilem in se exprimant, quam tamen in se non habent; sed necessatio est in principio instituente.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod bruta nunquam mouentur ad opus, quin aliquid in sensu excitans præcesserit; sic formicæ, nisi videant se primari cibo ad illum conquirendũ non excitantur; néc hirundines de nido constituendo laborant, nisi anni tempestate mouente, & stimulante per generatinam; nec mustella rutam quærit nisi excitata conceptione serpentis: & sic de reliquis. Nam vt ad opus moueantur animantes, necesse est prius per aliquid sensibile ipsas excitari, quod videtur fieri hoc modo. Facta conceptione rei puta serpentis in mustella, per talem conceptionem excitatur appetitus ad quærendum remedium pro futura pugna, quæ pugna non directe concipitur, sed virtualiter est in conceptione serpentis: Appetitus mouet potentiam motiuam, & applicat sensus, quibus statim atque offertur ruta, vna cum sensu communi iudicant de bonitate talis herbæ, ad eum modum, quo dum pascuntur in pratis iumenta per odoratum & sensum communem de herbis sibi in cibum assumendis iudicant relictis ineptis, & nocituris. Itaque (vt stemus in dato exemplo) in conceptione serpentis, vt in principio motus ista omnia habet mustella, conceptionem animantis inimici, appetitum obsistendi, & remedij, applicationem potentiæ motiuæ, & sensuum externorum, & agnitionem rei sibi opportunæ ad pugnam: & ista quidem omnia habet non formaliter, sed materialiter, & consecutiue. & sicut manus mouens baculum per illum mouet lapidem, & reliqua sequétia ad lapidem, ita conceptio illa imaginationis mouet appetitum &c. In quo non male dici posse videtur conceptio phantasiæ, & phantasia ipsa habere rationem cuiusdam vniuersalis speciei ad reliqua omnia, quæ nata sunt sequi ex illa conceptione. nam sicut posita specie in potentia, illa semen est omnium cognitionum, quæ ex ipsa deducuntur, & in ipsa vt in principio continentur; ita talis phantasia, Nã vnicuiq; belluæ iuxta naturam & speciem data est potentia iudicans de sibi conuenienti vel nociuo. Quare ad rationé in forma negatur minor, & ad probationem illius patet ex dictis, tam mustellã, quã formicam, & cætera omnia bruta excitari per aliquid, quod cadit sub sensum; nam & spe nuria alimenti excitans famem est aliquid cadens sub sensum cum tristem faciat sensationem proritando vt suo loco dicetur.

QVAESTIO OCTAVA de causis per accidens.

PErfecta causatũ cognitio exigit cognitionem causarũ per accidens; neq; enim perfectè intelligitur, quæ sint causæ per se, & qui sit ipsarum modus causandi, nisi etiam intelligatur, quæ sit causa per accidẽs, & qui sit modus causandi talium causarũ; itaq; post disputationẽ de causis per se; restat vt tractemus de causis per accidens, in quo videndum erit de an sit, & quibus maximè conueniat esse causam per accidens, vbi de fortuna & casu, eisq;, quæ à fortuna, & casu proficiscuntur.

Art. 1. Vtrum dentur causæ per accidens, & contingentes.

PRo parte affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. aliquando musicus ædificat, Grammaticus canit; sed musicus non potest ædificare, vt causa per se: ergò ædificat vt causa per accidens; minor probatur; quia musica non est per se causa ædificationis.

Secũda ratio. excusãt se nõnunquã homines de ijs, quę faciũt, quod nõ fecerint data opera; sed si illorũ esset causa per se, nõ essent excusabiles: ergo respectu aliquorum sunt causæ per accidens; dantur igitur causæ per accidens.

Tertia ratio. per accidens oportet esse illud, quod nõ est per se cõnexũ; sed multa sunt, quæ non sunt per se connexa cũ causis, ad quas consequuntur: ergo dantur effectus per accidens, & consequenter etiam causæ.

Pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima. illa nõ potest esse causa per accidẽs, quę influit in effectum; sed omnis causa influit in effectum: ergo nulla est causa per accidens.

Secũda ratio. si aliqua est causa per accidẽs, maximè quæ per aliud influit in effectum; sed hæc non potest esse causa per accidens: ergo nulla est causa per accidens; probatur minor; quia omnis causa, quæ agit per instrumentum, esset causa per accidens.

Pro solutione.

Notandum, quod tam in ijs, quæ per intellectum agunt, quàm in ijs, quæ sine intellectu, & cognitione operantur, necesse est dari causas per accidẽs; etenim cõsiderandũ est, quod res, quæ agũt, cũ sæpe multiplici virtute, & forma præditæ sint, ita agunt per vnã formã ad certũ effectũ per se, vt secundũ aliã dicantur agere per accidens; nam musicus, qui simul sit cęmẽtarius, ædificat, sed non ædificat quatenus musicus, sed quatenus cęmentarius; quoniam ipsa ratio ædificãdi non est musica, sed ars ædificãdi; quæ tamen cum in eodem subiecto iuncta sit cum musico, proinde etiã de musico verè dicetur quod musicus ædificat nõ ea ratione, qua dicitur de cęmẽtario; quoniã ars ędificãdi per se est ratio ædificãdi, peritia musicæ nõ est ratio ædificandi, sed prorsus per accidens se habet, quia accidit subiecto, quod edificat. Vlterius considerãdũ est, quod causæ, quæ institutæ sunt ad certos effectus, nõ sẽper cõsequũtur effectus, ad quos sũt institutæ; siue hoc accidat; quia ab alijs impediantur; siue quia non sint omnia requisita ad illos effectus præstandos; cum ergo intentos effectus non consequantur, & tamen aliquid præstent, agunt enim quantũ possunt, aliquid efficiẽt, quod per se nõ intẽderãt, quod proinde eueniet per accidẽs; per accidens enim est, quod præter intẽtionẽ est, maximè si pręuisũ non est; vnde respectu eius aliquo pacto causa per accidẽs dici poterit. præterquã quod nõ raro fit, vt effectui primario, & per se intento adiũgatur alius, qui per se intentus nõ est, qui proinde dici debet per accidens, accidit enim non intentus alteri per se intento; vnde & causa cuius primario effectui, ac per se intẽto cõiũgitur, ipsius erit causa per accidẽs cũ sępe causa, nõ sit, ex quib⁹ necessariò.

Dicẽdũ est dari causas per accidẽs; patet ex modo dictis, & rationibus primæ sententiæ. confirmatur. per accidens est, quod non est per se, hæc enim duo ad inuicẽ distinguũtur; sed sæpe causæ habent effectus, & non per se, vt dicebatur de musico ædificante: ergo respectu taliũ effectuũ sunt causæ per accidens, atq; adeo dantur causæ per accidens, præterea ex secundo Phys. t. 50. vt enim ens aliud quidẽ per se ipsum est, aliud autem secundum accidens; sic & causam contingit esse; idem. sicut datur ens per se, & ens per accidens; ità & causa per se, & causa per accidens.

Ad rationes in contrarium.

Ad primã respõdeo dicendũ, quod nõnũquã causa influit in effectum, sed non qua talis; aliquando nec in effectum quidem influit, & tamen effectus de ipsa dicitur; quia coniunctus est alicui alij effectui ipsius proprio; aliquando

do licet in effectum influat, aliud tamen intendit, vt proinde verè dicatur causa per accidens, quare explicanda, & neganda est maior, & consequentia.

Ad secūdā Respōdeo dicēdū, quod nō satis est ad causā per accidēs, quod influat per aliud in effectū, si id, per quod influit, est ipsi virtus agēdi, & instrumentū ad illū effectum; sed ad causā per accidens necesse est, quod influat per aliud, quod nō habet necessariā connexionem cū eo, respectu cuius effectus dicitur per accidens: & sic ædificatio est per accidens musico. quia musica nō necessario coniungitur cū arte ædificandi, nec ad ædificandū artifex vt sic requirit musicam. Nam non semper est per accidēs, quod est per aliud, etiāsi illud sit accidēs; quia hoc potest esse ex natura rei, exigente scilicet re tale principium: quamquam ei substantia non sit, nec substātiam essentiamue ingrediatur: sed est per accidens, quod ex natura rei non habet connexionem saltem secundum illam rationem, secundum quam dicitur per accidens; quare iuxta hæc explicanda est maior, & minor, & neganda est consequentia.

Art. 2. Vtrum contingentia sit aliquid in rebus, & multipliciter dicatur.

PRo parte affirmatiua sunt hæ rationes. Prima effect⁹, & causæ cōtingētes distinguūtur à nō cōtingētibus: ergo per aliquid distingui debēt; sed nō possunt distingui nisi per cōtingētiā; ergo contingentia est aliquid in rebus.

Secūda ratio. omnis denominatio realis debet esse ab aliquo reali; sed multę causę, & effectus in natura appellātur per accidens, & cōtingentes. ergo in ipsis aliquid esse debet, quod sit contingentia.

Tertia ratio causa necessaria non potest cōtingēter producere suū effectum. ergo cōtingentia ponit aliquid in causa; probatur consequentia; quia si nihil poneret in causa tantum haberet causa necessaria, quantum contingens.

In contrarium sunt hæ rationes.

Prima. causæ naturales fiunt per accidēs, & cōtingentes ex concursu causæ impedientis; sed hoc nihil ponit in illis: ergo cōtingētia in causis nihil est; sed etiā nihil est in effectu; quia idem effectus quoad substantiam, contingens est, si sit à causa contingente, & necessarius, si a causa necessaria: ergo contingentia non est aliquid in rebus.

Secunda ratio. si contingētia esset aliquid in rebus, esset vel substātia; vel accidēs, neutrū dici potest: ergo in rebus nihil est: maior patet à sufficienti diuisione entis; minor probatur; quia nō potest esse substātiā, secus effectus cōtingētes accidētiū essent substantiæ; nec potest esse accidēs; quia assignari non potest, in quo sit hoc accidens; neq; enim est in causa; quoniam secus in omnibus causis cōtingentibus esset hoc accidens, quod apparet esse falsum; quia secus & in omni effectu contingente præter proprium esse reperiretur hoc accidens, quod manifeste falsum est.

Pro solutione.

Notandū, quod si in rebus sunt causæ cōtingētes, & ad vtrūlibet, vt certū est esse, necessario in rebus aliquid est cōtingentia; secus enim sine cōtingētia quomodo à parte rei causæ cōtingētes essēt, & cōtigētes essēt effectus? neq; enim aliquid tale est à parte rei, & illud in re nihil est, cōsiderari tamē debet, quod quæ connotatiuè dicūtur, talia dici possunt per ea, quæ habēt in se cū extrinseco, sine nouo addito, & possūt talia nō dici, si sine extrinseco accipiātur; vnde dexter nō est paries, nisi accipiatur cū dextera manu, & ab illa extrinsecè denominetur; aduerti aūt debet, quod aliqua cōnotatiuè dicūtur per extrinsecū, alia talia dicuntur accepta ad extrīsecū; cōtigētia, & cōtigēs vtroq; modo dici videtur, nā in causis liberis indifferētia, & cōtigētia dicitur à vi intrīseca actiua, qua se agere possūt in vtrāq; siue cōtrarietatis siue cōtradictionis partē, vnde talis vis nō denominat causā nisi respectiuè ad extrinsecum, ad talē scilicet, & talē actū, seu actus cessationē; at in effectu talis causæ cōtingētia omnino videtur esse denominatio extrinseca ad causā & vim actiuā tali pacto agentem. Quid enim aliud sit in effectu cōtingētia? Porro in causis indifferētibus passiue contingēria est denominatio ab ipsa passiua potētia, & capacitate, per quā respiciunt plura agentia, ex quibus varios effectus accipere possunt; ad singula enim agētia talis potentia cōposita, ita indifferēs est, vt nō minus quam ab vno, pati possit, & suscipere actum ab alio; vnde per talem potentiā respectiuè ad plura agētia causæ indifferentes sunt, & habent contingentiam; at in alijs causis ideo reperitur contingentia; quia cū limitatæ sint virtutes, ac proinde cōponantur ex multis, vel ab extrinseco impediri possint, ne finē suū

sup-

consequantur, cum extrinsecis per accidens possunt concurrere, & trahi ad alium effectū præter finem, & intentionem; vnde in talibus causis nihil aliud esse videtur contingentia, quam virtus limitata comparata ad effectum, quem ipsa non producit, & apta nata impediri à primo intento, & cum diuersis concausis diuersos effectus producere, qui nō cadunt sub certa, lege saltem apud nos, quos proinde effectus appellamus contingentes quare perpetuo in effectu contingentia est denominatio extrinseca à causa tali pacto operante, vel cum talibus concausis; in causa verò nō est semper denominatio extrinseca, licet semper dicat denominationem ad extrinsecum, sed est talis vis, & potentia accepta cum tali denominatione, vel connotatione extrinseca; extrinseca verò tunc denominatio est cum causa talis dicitur ab effectu procedente ab adiuncta ratione, vel fit contingens ex concursu causæ, vel impedimentis, vel determinatis ad aliud; quoniam nihil aliud tunc est contingentia in causa, quam ipsa met causa accepta vna cum extrinseco, vel denominata ab extrinseco, ex quibus.

Dicendum dari in rebus contingentiam, & dici multipliciter, atque acceptam ex parte effectus esse denominationem extrinsecam, acceptā ex parte causæ aliquando esse denominationem extrinsecam tum à concausis, tum ab effectis, aliquando esse denominationem intrinsecam à propria vi, & potentia connotante extrinsecum, & in ordine ad illud denominante, patet ex dictis, & confirmatur; quoniam contingentia siue ad vtrumlibet, & dicitur in causis liberis, & in subiecto indifferēte ad multos effectus, & in alijs causis respectu effectuum, qui non sunt per se, sed per accidens illis adiunguntur; ergo multiplicitet dicitur; præterea non potest esse aliquid distinctum à causis & effectibus ipsis super additum, vt probabat secunda ratio partis negatiuæ, & tamen est in rebus, vt probatur per rationes primæ sententiæ; ergo nihil aliud est quam quod dictum est.

Ad rationes secundæ sententiæ quantum faciunt contra conclusionem.

Ad primam Respondeo dicendum contingentiam nihil reale ponere, vt ibi dicitur, in causa à causa distinctum, ponit tamen aliquid formaliter, cū dicat causā sub tali determinatа rōne, cum de se pōssit dici sub alia, & sub alijs nō sit cōtingens. Ad secūdā patet ex dictis.

Art. tertius. Vtrum in causis, in quibus datur contingentia per aliquid intrinsecum, stare possit contingentia cum determinatione.

Opposita videntur contingentia, & determinatio; nam contingens idem hic esse videtur cum indifferente ad plura, & indeterminato; nam quod iam determinatum est, iam indifferens non est, ac proinde nec causa contingens & ad vtrumlibet; dum enim est ad vtrumlibet, non magis videtur determinata ad vnum, quam ad aliud, sed çquè in vtramque partem propendens; sunt tamen quibus placeat pars affirmatiua, quæ his videtur niti rationibus.

Prima. subiectum ad plura indifferens, vt puta materia prima, etiamsi sit sub vna forma vel iā receperit dispositiones vnius formæ potest adhuc ad oppositum, siue oppositi capax est; ergo stat contingentia cum determinatione: patet consequentia, quia per dispositiones formæ. A. subiectum siue materia determinatur ad formam. A., & tamen cum adhuc possit in formam B. quia adhuc materia est potentia ad illam; secus enim impossibile esset materiā abijcere formam A., & fieri sub formam B. in materia saluatur potentia ad vtrumlibet: ergo cum determinatione saluatur contingentia, siue potentia ad vtrumlibet.

Secunda. impossibile est in rerum natura fieri determinatum effectū, qui habeat cōnexionem per se cum causa, quin causa in priori natura intelligatur determinata ad illum; patet quia causa donec intelligitur indeterminata non magis debet in vnum prodire effectum, quam in alterum, siue in vnam partem, quā in alteram; sicut in ponderibus æqua manente lāce nulla pars præponderat; sed multi fiunt effectus determinati, non à casu, nec temere à causis liberis liberè operantibus: ergo in priori naturæ tales causæ intelliguntur determinatæ respectiuè ad effectus determinatos, quos producunt: Ergo manet libertas, & potentia ad vtrumlibet, quæ constituit contingentiam, cum determinatione.

Confirmatur, quia omnis effectus priusquā,

per

per causam sit in se, verè dicitur esse in causa; ergo antequam accipiat determinationem in se, illa debet habere in causa: patet consequentia; quia hic sic determinatus; quia causa producit hunc, & non producit illum; sed potentia in causa æquè ad vtrumlibet non producit hunc magis, quam illum, vt sic, & vt ad vtrũlibet; quia dum remanet vt sic non magis inclinat ad hunc effectum, quam ad illum, nec magis respicit hunc, quam illum; ergo prius intelligitur in se determinata adhûc quam determinatè illum producat.

3. Actus secundus A. excludens alium actum secundum B. æquè potentem existere per causam productiuam actus illius A. non excludit B. nisi quia causa potius producit actum A, quã actum B.; ergo antequam hoc excludere sit in actu A. est in causa; sed hoc potius esse ad actũ secundum A. in causa, non est nihil; Ergo est aliqua determinatio; patet consequentia, quia esse magis ad vnum effectum, quam ad alterũ, est aliqua determinatio; quia vbi est omnimoda indeterminatio causa nec est, nec potest intelligi magis ad vnum, quam ad alterum; hic est magis ad vnum ex probatis; Ergo.

In contrarium pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima. nihil potest poni in causa contingente siue ad vtrumlibet, dum manet talis, quod destruat id, per quod est talis; sed determinatio in causa coniungente, & ad vtrumlibet destruit id, per quod est ad vtrumlibet; ergo in causa ad vtrumlibet nõ potest vlla poni determinatio; probatur minor, determinatio ad vnam partem restringit causam ad illam partem: ergo non relinquit illam indifferentem, & ad vtrumlibet; quia quod est ad vnam partem non est ad vtrumlibet. Respondetur, quod est ad vnã partem nõ quoad posse, quia adhuc potest ad vtrumlibet; sed quoad agere, si causa sit actiua; Contra; istud posse debet dici ab aliqua potentia, non à potẽtia determinata, ergo à potentia non determinata; ergo non manet determinatio in potentia, cũ potentia ad vtrũlibet. Dices dici à potentia determinata specificatiuè, non reduplicatiuè; siue dici in sensu diuiso, non in sensu composito; nam potentia in sensu composito cum determinatione non potest facere compositionem cum vtroq; complexo, sed cum altero tantum; potest autem in sensu diuiso, quia illa ipsa potentia; quæ est determinata est potentia ad vtrumlibet, sicut dũ sedeo per illam ipsam libertatem, qua libere sedeo, possum non sedere; nõ quod simul possit esse sessio, & non sessio, ità, vt fieri possit hæc compositio disiũncti cũ potentia; sed quia potest stare potentia cum alterutra; & si vna non potest stare cum altera; sicut materia cum est sub forma ignis est potentia, quæ potest stare cum forma aquæ, & si fieri non potest vt in materia sit forma ignis cum forma aquæ.

Pro solutione.

Notandum, quod in causa ad vtrumlibet distingui debet duplex posse alterum, quod opponitur determinationi, alterum quod opponitur necessitati; posse quod opponitur determinationi est illud, quod conuenit causæ consideratæ antecedenter ad actum primum spectatum ad vnam partem, & proxime inclinatum ad illam; posse quod opponitur necessitati est illud, quod conuenit causæ spectatæ ratione talis potentiæ, cuius vis per actum secundum non expletur, vt V. G. potentia materiæ primæ per dispositiones ignis non dicitur necessitata ad formam ignis, sed determinata; quia per dispositiones formæ ignis vis illa passiua materiæ ità determinatur, vt relinquatur cum capacitate ad formam aquæ; vnde etiam sub forma ignis, vel sub eius dispositione adhuc capacitas illi est ad formam aquæ, quæ capacitas sub forma cæli ei remanere non censetur, quia vt communiter dicitur à tali forma eius capacitas expletur; vnde dicitur sub forma cæli non esse potentia contradictionis, esse autem sub formis sublunarium; forma itaque cœli necessitat materiam ad tale esse formæ sublunarium nõ necessitant, sed determinant; eodem modo in potentia ad vtrumlibet actiua, nimirum in libertate, libertas cum profert actum suum est determinata ad illum actum, sec non necessitata, non solum quia scimus, vel ipsa experientia teste, libere illam talem actũ producere non coactè; sed quia talis actus capacitatem illius nõ explet, quod adhuc possit, & sit potentia ad oppositum, vnde etiam vt vult potest non velle, nec velle tollit ei posse nolle, & si tollat actum nolendi; quia non stat circa idem actus volendi & nolendi; verum in fruitione V. G. Dei, quia bonitas illa infinita explet totam capacitatem voluntatis, ità voluntas illam bonitatem amat, & in eam rapitur, vt iam non amare non possit, nec quidquã possit amare oppositum; vnde ad talem amorem necessitatur voluntas, & non solum determinatur; at quoties actus determinans totam potentiæ capacitatem non explet, & si determinat

minat, non necessitat; quia adhuc relinquit potiam capacem oppositi, etiamsi cum vno opposito in potentia stare alterum oppositum non possit, ac proinde capax non sit simul, & semel accipere oppositum; sed capax tamen est accipere oppositum, quod tamen non potest accipere nisi abijciendo primum, quod significat determinationem non esse simpliciter necessitatē, & si aliquatenus necessitas dici potest, vt V.G. necessitas consequens, vel necessitas actus compositi, ex quibus apparet.

Dicendū necessitatem ad vnam partem stare non posse cum contingentia, siue cum potentia ad vtrumlibet, determinationem vero posse; patet ex dictis, & confirmatur, quia necessitas, quæ opponitur potentiæ ad vtrumlibet, nō est, nisi penitus tollatur talis potentia; dū enim talis potentia est non penitus expleta, remanet id, quod ad vtrumlibet essentialiter est: necessitas enim dicit negationem potentiæ ad vtramq; partem, & omnimodam constrictionem ad vnam; sed determinatio non tollit talem potentiam; secus enim nunquam talis potentia exiret in actum, quin vt talis destrueretur; quia saltem per actum secundum in omniū sententia determinatur; nullus autem actus secundus debet destruere actum primum, cum quo necessariam habent connexionem; secus enim destrueret se ipsum: Ergo debet stare potentia ad vtrumlibet cum determinatione, non autem cum necessitate.

Confirmatur vlterius; quia potentia libera cum actu influit in vnam partem in sensu composito non potest in illam non influere, atque adeo magis determinata est ad illam partem per actualem suum influxum, quam per vllam formam, quæ in ipsa præcedat actum secundū, dummodo totā capacitatem ipsius nō expleat; sed tantum inclinet ad infallibilitet faciendū: sed illud non tollit libertatem, vt manifestum est; ergo neq; istud. quod insuper roboratur, quia omnes habitus, maximè si sint valde intensi, inclinant potentiam etiā liberam, & tamen liberam non necessitant; sed illa inclinatio potest esse ad effectum infallibiliter, vt patet in valde intemperāte sibi relicto posita certa opportunitate obiecti; vnde est illud Prophetæ. si potest Æthiops mutare pellem suam &c. ità & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum: ergo illa verè erit determinatio, quæ tamen stabit cum contingentia, siue libertate & potentia ad vtrumlibet, per quam infallibiliter futurus erit effectus, cum tamen

Ierem. 13.

possit non esse attenta libertatē, siue potentiā secundum se.

Ad rationes in contrarium.

Respondeo dicendum, quod contingens, siue ad vtrumlibet idem est cum indifferēte, & indeterminato antecedenter, nō consequenter; determinatio autem, quæ potentiā non exhaurit, & capacitatem ad aliam partem illi nō tollit, est consequens, non antecedens, cum adhuc supponat in potentia capacitatem ad aliā partem; vnde hæc determinatio non est talis, quæ in re ad vtrumlibet per sua intrinseca destruat potentiam ad vtrumlibet.

Ad probationem minoris respondeo dicendum, quod restrictio ad vnam partem stat dupliciter; est restrictio, quæ tollit capacitatem ad aliā, & hæc simul tollit potentiam ad vtrūlibet, vt forma cæli ex multorū placito actuās potentiam materiæ cœli capacitatem ad aliā formam illi non relinquit; vnde illud penitus reddit incorruptibile, & voluntas habens fruitionē Dei clarè visi non habet capacitatem ad volendū aliquid oppositū tali bono, ac proinde per illam necessitatur. Secundo est restrictio, quæ relinquendo capacitatem ad alteram partem, determinat ad vnam inclinando scilicet ad illam, vel proxime aptando illam ad actum secundum, & hæc non tollit potentiam ad vtrumlibet, sed tantum ad vnam partem determinat, relinquēdo illam, sicut prius capacem saltem in actu prima, & antecedenter ad aliam partem, & hæc non infert necessitatem, sed tamen ponit infallibilitatem euentus.

Art. 4. Vtrum sit aliqua causa per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem ex electione operantur, & hæc sit fortuna.

PRo parte affirmatiua, primum est auctoritas Phylosophi t. 52. vbi habet. manifestū est igitur, quod fortuna causa est secundum accidens in ijs, quæ propter electionem eorum, quæ propter aliquid sunt.

Secunda ratio. in ijs, quæ agunt ex electione propter finem, aliquid contingere debet aliquando præter ipsorum intentionem & præscientiam, quoniam sicut in ente præter id, quod est

est per se est etiam ens per accidens ; Ita & in causis: sed causa talium effectuum est fortuna : Ergo datur causa per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem ex electione operantur.

Tertia ratio ex t. 58 fortuna, quodq; à fortuna est, ijs inest, quibus & fortunatos esse inerit, & omnino actio; ergo fortuna est causa per accidens in ijs &c. probatur consequentia, quia fortunatos solos dicimus eos, qui ex electione operantur, vt homines; non enim dicemus fortunatũ equũ, vel lapidẽ. pręterea actio in rigore accepta dicit ordinẽ ad electionẽ cũ ex 6. Met. t. 1. idẽ sit agibile; & eligibile; vnde si in ijs inest fortuna, in quib⁹ & actio, necesse est, quod fortuna sit causa per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem ex electione operãtur.

Pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima ratio ex t. 41. nullus antiquorum sapientum causas de generatione & corruptione dicens de fortuna quidquam determinauit; sed si daretur causa per accidens in ijs, quæ operantur ex electione, quæ esset fortuna, aliquid de ea determinassent antiqui sapientes. ergo.

Secunda ratio. quidquid fit reuocari potest in aliquam causam per se, vt reuocauit ex t. 41. antiquus sermo destruens fortunam. ergo frustra ponitur causa per accidens, quæ sit fortuna.

Tertia ratio ex t. 47. fortuna videtur causa immanifesta humano intellectui, diuinũ quid dam existens, & fælicius: ergo nõ est causa per accidens in ijs, quæ operantur ex electione.

Pro solutione.

Notandum quod circa fortunam mirè errauit antiquitas, Homerus in quodam hymno in Cererẽ poetica licentia facit illam filiã Oceani; quod & testatur Pausanias in Messenaicis; at Orpheus in hymno ad fortunam illam cecinit sanguine genitam.

Sanguine pregnatam vim, & inexpugnabile numen.

Alij vnam ex parcis, alij Deorum administram dixerunt, cui tantũ potentiæ, & facultatis tribuerunt quidam, vt fecerint ipsam humanæ vitæ moderatricem vnde cecinit ille

Ipsa regit vacuo mortalem numine vitã & aliut.
Precipites regum casus fortuna rotat;

Quare stulta superstitione si quid prosperum, si quidem ex voto, si quid fælix ex obscuris causis eueniret, aut contra si quid turbulentum, molestum, calamitosum contingeret, id totum fortunæ iure, & merito adscribi voluerunt; vnde factum est, quod habet Plutarchus libello, de fortuna, vt multa ipsi nomina, ex varijs euentis Romani imposuerint; & quoniam non consilio, sed temeritate, & libidine moderari humana fortunam antiqui censuerunt; ideo cæcam, & inconstantem, inconsideratam, temulentam illam esse cérunt. vnde ille secundo de ponto ait.

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo firma, tenaxq; loco;

Et ad Liuiam

Fortuna arbitrijs tempus dispensat vbiq;
Illa rapit Iuuenes, sustinet illa senes,
Quaq; ruit furibunda ruit, totumq; per orbem
Fulminat, & caecis cæca triumphat equis.

Hæc, & alia multa sapientibus hominibus indigna de fortuna somniauit antiquitas, quæ tamen vix vnquam sibi sapientiores persuaserunt, potiusque poetica figmenta putarũt, quam Philosophica placita; philosophia ergo agnoscit fortunam, sed nec illi numen attribuit, nec vnam aliquam causam putat; sed nihil aliud esse vult, quam collectionem causarum per accidens in ijs, quæ operantur ex electione propter finem, atque adeo vnitatem illi attribuit, qua vnum multa sunt in prædicando; est ergo fortuna causa per accidens in ijs, quæ ob aliquem finem ex electione operantur. nam considerandum est, quod ea, quæ operantur ex electione propter finem, cuiusmodi sunt homines propter suam finitatem, & propter debilem prouidentiam, non ità sibi possunt præstituere finem, vt illum in operando semper assequantur, & si finem sibi præstitutum assequuntur, non tamen semper illum ijs vijs assequuntur, quibus sibi præstituunt; vnde est, vt sæpe multa ipsis contingant præter intentionem, & præsciẽtiam tum bona, tum mala, ex quo factum est, vt dicerentur homines fortunati, vel infortunati; cum accidũt prospera, & quæ maxime vellemus censetur bona fortuna, & per eam homo fortunatus, quando accidunt aduersa, & quæ minime vellemus censetur fortuna mala, & aduersa, & per eam homo infortunatus porro illa, quæ accidunt præter intẽtionem, & præscitam raro euenire necesse est, & per accidens; nam si frequenter contingerent, vel si necessaria essent haberent suas causas stabiles; & fines certos, ad quos consequerentur, vnde non essẽt fortuita; fortuita autem sunt, quæ neque semper eodem modo eueniunt,

Psalmi 106. Turbati sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum cum philosopho, quod in hac doctrina de causa per accidens manci fuerunt antiqui, præsertim cum aliqua attigerint de causa per accidens, vt Empedocles cum dixit ex philosopho, per sæpe alias aliter, sed tunc sic fortè cucurrit; vnde oportuit ipsos etiam de fortuna dicere, quæ est causa per accidens in ijs, quæ agunt propter finem ex electione.

Ad secundam respondeo dicendum, quod licet si accipiatur tota collectio causarum effectus fortuitus omnino fortuitus non sit, tamẽ si comparetur ad causam proximã verè est fortuitus, itaq; transeat, quod omnes effectus aliquo pacto reduci possint in causas per se, non potest tamen esse causa per se semper causa proxima, cui contingunt.

Ad tertiam respõdeo dicendum illa esse dicta ex persona vulgi, & insipientium, qui credebant fortunam esse Deum.

Art. 5. Vtrum sit aliqua causa per accidens in ijs, quæ operantur ob finem non ex electione, qui sit casus.

PRo parte affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. non minus limitatæ sunt causæ naturales, quam sit homo in suis operationibus; sed huic contingunt multa per accidens; ergo & contingent cæteris causis; sed propter ea, quæ cõtingunt homini ponitur fortuna: ergo propter ea, quæ contingunt alijs causis erit casus.

Secunda ratio. casu ea fiunt, quæ non sortiũtur exitum, propter quem facta sunt; siquidem ex t. 63. casus iuxta nomen est, cum ipsum frustra fit, sed multa frustra fiunt: ergo datur casus.

In contrarium sunt ea, quæ supra contra fortunam obiecta sunt.

Pro solutione.

Notandum, quod omni causæ limitatæ necesse est coniungi effectus per accidens; etenim cũ vbi multa sunt non tarò contingat causare multa simul, & quod limitatum est euincere semper non posse sua virtute, quę ex occursu alterius causæ accidunt impedimenta, a suo proinde effectu deflectat sæpe necesse est, patiatq; non opinatos, dum ex occursu alterius causæ & passi à natura ad illud non destinati fit, quod est præter intentionem causarũ proxime concurrentium; vnde à cælo incipiẽdo, etiamsi in ipso nihil videatur ponendum casuale; quando quidem ea, quæ ibi fiunt, optimis legibus constituta sunt, & immediatè subsunt mentibus ea magna sapientia gubernantibus, nec sit ipso cælo superior causa corporea, quæ possit ipsum à consecutione sui finis impedire, nobisq; non constet vllas ibi de nouo fieri, aut posse fieri generationes, maxime ex fortuito causarum occursu; tamen si spectetur cælum quatenus influit in sublunaria, etiã respectu ipsius, effectus sunt casuales, quando quidem cum nõnunquam ad vnum aliquid inclinet, fit ex inertia materiæ, vel aliquo alio impediente, vt aliud contingat, quod cum nõ sit iuxta inclinationem cæli, nec proinde ab eo intentum, erit per accidens, & casuale; vnde necesse est, vt etiam respectu cæli comparati ad sublunaria detur effectus casuales, qui multo magis concedi debent respectu cæterarum causarum sublunarium, cum hæ multo magis impediri possint à suis finibus, ipsisq; multa adiungantur per accidens ex occursu, & coniunctione cæterarum, vt proinde multa casualia ipsis euenire contingat, respectu quorum dicantur casus, solum respectu primæ causæ in se spectatæ, & comparatæ siue ad cælum, siue ad sublunaria nihil datur fortuitũ, nec casuale; non quia non eueniant multa, præter ipsius intentionem, cum multa mala patrent homines, quæ ipsa seuerissimis legibus fieri prohibuit; sed quia nihil accidit præter ipsius præscientiam, & permissionem, nec in causis merè determinatis, & naturalibus, nec in causis liberis, & ad vtrumlibet, cum omnia nuda sint oculis eius, intelligatq; iuxta regium vatem omnia, etiam cogitationes, à longe; quare solum respectu Dei fortuita, & causalia omnino non sunt; nam quæ respectu causarum secundarum casualia sunt; quoniam à Deo præuisa sunt, ipsi casualia esse non possunt, etiã vt operatur cum causis secundis; sicut Domino Casualis, seu fortuitus non est occursus duorum seruorum, qui seruis est fortuitus, quando eos seorsim destinauit, vbi inuicem occurrere volebat non opinantes; vel certe eo loci cognouit occursuros; quare cum præciso Deo, & cælo in se, si vt cre- Ad heb. c. 4. ps. 138.

ditur ibi nullę generationes, corruptionesq; esse posũt de nouo, cęteris causis occurrãt nisi to per accidẽs, & præter finem, & præscientiã ipsarum, respectu quidem causarum operantiũ propter finem ex electione, quales sunt homines, vt dictum est, necesse est, dari fortuita, & fortunam; respectu verò cæterarũ dari oportet casualia, & casum, vnde.

Dicendum dari causas per accidens in ijs, quæ operantur ob finem non ex electione, quæ dicuntur casus, & effectus ipsarum casuales, patet ex dictis, & confirmatur; quoniam in causis naturalibus effectui tendenti in certum finem coniungi solet aliquando, vt experientia manifestum est, alius præter illum finem, vt motui deorsum lapidis cadentis fractio capitis transeuntis; sed talis effectus, præterquam quod, est præter finem lapidis, per accidens coniungitur tali motui lapidis, & raro contingit: ergo est à casu; erit ergo talis causa casus, atq; adeo dantur causæ per accidens in ijs, quæ operantur propter finem non ex electione, quæ dicuntur casus.

Art. 6. Vtrum inter effectus casuales enumerari possint monstra.

PArtẽ affirmatiuã probant hæ rationes. Prima, ille effectus casualis est, qui accidit causæ præter ipsius intẽtionẽ; sed mõstra accidunt præter intentionem causæ agentis, & naturæ: ergo monstra sunt effectus casuales.

Secũda ratio. effectus casuales accidũt vt in paucioribus; sed, vt in paucioribus, & raro accidũt mõstra: ergo mõstra sũt effectus casuales.

Tertia ratio. causa naturalis in se spectata intendit producere sibi simile: sed producendo monstrum, non producit sibi simile: ergo non producit effectum intentum producendo monstrum; sed effectus, qui accidunt causis naturalibus nec frequenter, nec intenti, sunt casuales; ergo monstra sunt effectus casuales.

In contrarium pro parte negatiua suadent hæc. Primũ, monstra faciunt ad pulchritudinẽ vniuersi: ergo in vniuerso sunt intenta; sed effectus intenti non sunt casuales: ergo monstra non sunt effectus casuales; antecedens probatur ex D. Aug. 16. de ciuit. c. 8. dicente monstra accidere propter vniuersi pulchritudinem, vt nimirum hoc spectabilis mundi Theatrum nõ elegantium duntaxat, sed deformium quoque velut imaginum varietate exornetur.

Secunda ratio. Deus intendit monstra, vt necessaria ad completam pulchritudinẽ vniuersi; sed Deus non illa intendit per se immediatẽ; ergo ea intendit mediantibus causis secundis: ergo neq; Deo, neq; causis secundis monstra sunt casualia. Pro solutione.

Notandũ, quod monstra nec omnino casualia sunt, nec prorsus intenta, sed respectu aliquorum casualia sunt, respectu aliorum sunt intenta; etenim considerandum est, quod ad monstra non vna sola causa concurrit, sed plures, impediens scilicet, & impedita; præterea causa vniuersalis, & particularis; porrò causæ vniuersalis proprium est, ità cum causis particularibus intendere fines particulares, vt tamen semper spectet primario finem vniuersalem, bonum scilicet vniuersi; quoniam bonum vniuersale est diuinius, vt proinde causa agens ordinatè ipsum prę cæteris eligere debeat; causa ergo prima, vt causa vniuersalis in administratione vniuersi, primario spectare debet vniuersi bonum, ad bonum autem vniuersi pertinet, vt in mundo sint monstra; quoniam monstra vt dicebatur, augent totius vniuersi elegantiam; vt enim gratiam lucis cõmẽdat obscuritas noctis & vmbrę, atriq; colores picturę augent venustatem, ità totius mundi decorem, & elegantiã in vniuerso augent monstra, vt proinde vniuersum esse sine monstris non debeat, nec esse sine illis pati debeat causa vniuersalis, quę tamen cum ad hęc inferiora per se immediate operari non soleat, ità debuit disponere causas secundas, seu potius ità relinquere suis naturis, vt nonnunquam à consecutione effectus per se intenti retardarentur, & non intentos præstarent, qui in certo genere rerum monstrosi dicuntur, cum exorbitent à consueta lege aliorum: monstra ergo comparata ad primam causam pręter ipsius intentionem non sunt, comparata ad causas secundas dupliciter spectari possunt, vel vt proueniunt à causa impedita, & tunc dubium non est ea esse præter ipsius saltem primariam intentionem, cum primaria intentione causa impedita quęrat sibi assimilare effectum; vel considerari possũt, vt proueniũt à causa impedita, & impediẽte, quę faciunt quasi vnã causã per se, & sic intenta dici possunt; quoniam causę sic concurrentes intendunt efficere quantum possunt; non possunt autem nisi monstrum, vnde

mon-

monstrum comparatum ad causam proximam dici debet casuale, vel certè non intentum primario, comparatum ad causam primam, intentum dici debet, comparatum ad causam impeditã, & impedientem naturalẽ, intẽtum etiam est; quoniã talium causarum intentio est efficere quantum possunt, cum à prima causa institutæ sint ad operandum, ac proinde saltẽ generare monstrum volunt, cum non possunt aliud; vnde monstrum nisi aliquatenus casuale dici non debet. quare.

Dicendum monstra, & si inter effectus casuales simpliciter non enumerantur, secundum quid tamen enumerari debent respectu scilicet causæ impeditæ; patet ex dictis, & confirmatur; quia casuale est, quod raro euenit, & præter intentionem operantis, primariam saltem; quoniam quæ sunt præter intentionẽ sunt præter finem; effectus autem, qui sunt præter finem, & raro contingere solent fortuiti, vel casuales appellantur.

Ad rationes in contrariũ; Ad primam dicẽdum eam nihil aliud probare, quam monstra casualia esse non posse respectu causæ vniuersalis totius vniuersi bonum procurantis.

Ad secũdã respõdeo dicẽdũ, quod aliud est cõsiderare intẽtionẽ, & finẽ causæ particularis impeditæ generãtis mõstrũ, aliud considerare quid intendat prima causa, etiam per ipsam causam impeditam; nam si primo modo consideretur monstrum erit effectus casualis, si cõsideretur secũdo modo casualis effect⁹ nõ erit; vnde ad causas secundas impeditas dupliciter cõponi potest mõstrũ, & vt causa impedita est talis determinata natura, determinata inquam ad certũ finẽ, & ei mõstrũ est casuale; secundo considerari potest, vt est quasi Instrumentum causæ primę, & ei monstrũ casuale nõ est; quoniã tunc censetur habere intentionẽ causæ primæ, cuius quodammodo instrumentum est.

Art. 7. Vtrum monstra habeant determinatas causas in natura.

QVod habeant probare videntur hæc. Illi effectus habent determinatas causas, qui ad certas causas semper consequuntur; sed aliqui sunt effectus monstrosi in natura huiusmodi ergo monstrosi effectus, seu monstra habent determinatas causas; minor probatur multipliciter. nam quibusdam in regionibus vt traditur omnes sunt Pigmęi, nõ multo vno pede altiores, alibi habitare dicuntur, qui appellantur Sciopedes, qui singula crura habere perhibentur, nec poplitem flectere, & per æstatem in terris iacentes resupini vmbra pedis se protegsit; in eadem classe enumerantur Arimaspi, qui vnum tantum oculum habere dicuntur in fronte, et qui sine ceruicibus oculos habere dicuntur in humeris; præterea gigantes, de quibus sæpe sacra scriptura, monstrosæ sunt altitudinis, ac proinde ipsi mõstra sunt, cũ ratas tamẽ & certas causas habeant, siue cæli aspectũ, & regionẽ, siue virtutẽ formatricem, siue quid huiusmodi. ergo mõstra habent determinatas causas in natura.

In contrariũ pro parte negatiua sunt hæ rationes. Prima. monstra nõ sẽper, nec eodẽ modo accidũt, sed quæ habẽt determinatas causas semper & eodẽ modo accidunt; ergo monstra non habent determinatas causas; maior probatur, quia mõstrũ putamus, quod exorbitat à cõsueta lege cæterorũ in eadẽ specie, vel genere; nam quæ non exorbitant, & sunt iuxta leges consueatas monstra non appellamus.

Secũda ratio. mõstra nõ videtur accidere nisi vel ꝑ excessũ pter solitũ, vel defectũ; sed hoc potest euenire multis modis: ergo mõstra non habẽt determinatas causas. Pro solutione.

Notandũ, quod sicut In arte, & aliqua rectè fiunt iuxta leges artis, ac proinde per ea finis artis attingitur, & aliqua peccãtur, ac proinde & si finis gratia fiant, artis tamen finis non obtinetur; ità & in natura: nam & si propter finem causatum actiones sunt, suum tamen semper finem, vt dictum est, non assequuntur, cum autem non assequuntur peccatur in his, quæ sunt cuius gratia, & propter finẽ; peccatum a. huiusmodi monstrum est, dicente philosopho hic t. 82. monstra peccata sunt illius, quod propter aliquid agit; monstrum ergo cum sit peccatũ naturæ exorbitãtis ab effectu sibi propter finẽ præscripto, fieri non potest vt simpliciter habeat determinatas causas; quoniam peccatum, cũ sit præter legẽ; infinitis modis cõtingere potest; vt enim extra lineam mille modis exorbitare contingit, ita & in effectibus naturalibus aberrantibus à consueta lege speciei: verum quidem est, quod in vniuersum assignari possunt certæ causæ, per quas euenire possunt monstra. nam cum monstra in animalibus, & viuentibus dicamus (cæteros enim effectus naturæ à fine & debita perfectione speciei deflectentes monstra non appellamus)

cum

cum inquam in his solum propriè sint mõstra, in his autem peccata vel ab extrinseco, vel ab intrinseco contingere soleant; vel ab extrinseco, vel ab intrinseco erunt monstra; ab extrinseco sunt quando sunt à causis vniuersalibus, vt à certo aspectu cæli, & certis influentijs, qua de causa dicitur in Ægypto sæpe contingere mõstra. à causis intrinsecis sunt multis modis; nam in productione animalis contingit peccari per virtutem formatricem, quæ est nonnunquam nimis debilis ad opus efformandum, ita vt partes distinguere non possit, & illas perfectè elaborare: hac de causa nonnunquam nascuntur fætus confusis partibus, & lineamentis; alias virtus formatrix ad vtramque partē sexus æquè est propēsa, & sic fiūt hermaphroditi; aliqñ singulas partes fætus suis locis non apponit, vt cum oculum producit in fronte, alias peccat vitio materiæ, cum non sufficit ad opus; vnde ex ea elaborari non possunt omnia membra, ac proinde fætus mācus nascitur, vt homo enim quatuor digitis, cum vno crure, cum vno bracchio &c. peccatur etiam ex contrario & nimia redūdantia materiæ, quo fit, vt nascatur fœtus cū pluribus digitis quinq; vt fiat monstruosæ magnitudinis in aliqua parte, & fortè etiam gigantęæ staturæ, quales antiqui gigantes, & ille cuius dentem vidit D. Augustinus, de quo 15. de ciuitate Dei cap. 9. ait, quod si in nostrorum dentium modulos minutatim concissus esset centum facere potuisset.

Tertio materia est causa monstri alia ratione; quando scilicet plurium generum semina confunduntur, quod in mari sæpe contingit ex Plinio lib 9 c 2. idē euenit frequenter in Africa, de qua antiquo prouerbio dicitur, quid noui fert Africa, in mari enim flatu, & fluctu diuersorum generum semina sæpe confundūtur, permiscenturq; virtutes formatrices, ex quo fit, vt noua monstra procreentur; in Africa autem concurrentibus varijs animantibus ad raros amnes potus gratia, & inter se congrediētibus fiunt ex tali congressu, & permistione seminum noua portenta; porro vlterius præter iam dictas causas concurrit speciatim ad monstrum nonnunquam receptaculum, in quo fœtus efformari debet, quando scilicet nimium angustum est, vel alio tali pacto vitiatum; ob angustias receptaculi fœtus, qui aliquando gemini nasci debebant simplices nascuntur, sed geminis membris; ex hoc capite forte ille fuit, de quo restatur D. Aug. cap. 8. lib. 16 de Ciuit. cui omnia superiora membra duplicia erant duo capita, duo pectora, quatuor brachia, & manus; venter vnus & pedes duo: quid simile habet Crinitus lib. 21. cap. 8. de alio, qui vmbilico tenus simplex supetne geminus erat, quiq; sæpe, quod erat mirum, diuersis detinebatur studijs, cum vnus ploraret, alius rideret; natus dicitur in Oppido Emaus Theodosij tempore, vixisseq; annos duos, è vita vero discessisse alter quatriduo ante alterum. ad dictas causas monstrorum adiungi debet imaginatio, quæ non leuem vim habet in efformatione fœtus, ex ea videtur esse illud, quod de Gallina refert Auic. lib. 5. de animalibus, quæ dum ouis incubaret milui aspectu perterrita pullos exclusit miluino capite; & illud de quo viues in cap. 25 lib. 12. de Ciuit. Dei. Belgam quemdam puerum saltitantem forma, qua pinguntur Dæmones, generasse, quod personatus ea forma ad generandum processisset. Aristoteles lib. 4. de gener. ani. c. 4. ita scribit iam puerum ortum capite arietis, aut bouis refcrūt, idemq; in cæteris membrū nominant animalis diuersi. Vitulum capite pueri, & ouem capite bouis natam asseuerant. Quæ omnia accidunt quidē causis supradictis, sed nihil ex ijs, quæ nominant est; quamuis similitudo quædam generatur. ità ille. hæ fere sunt causæ, ob quas consueuerunt accidere monstra, quæ tamen nō proinde dici possunt habere determinatas causas secundum speciem; quoniam hæc ipsa, quæ diximus, innumeris fere vijs, & modis ad monstra concurrunt, & præter hæc fortè nō pauca alia vim habēt ad monstrū causandum, vt proinde.

Dicendum sit monstrum tamquā peccatum naturæ non habere determinatas causas secundam speciem, posse tamen in vniuersum generationem monstri reduci ad certa capita. patet ex dictis, & confirmatur; quia non est monstrū nisi exorbitet à consueto, & fine; sed quod habet causas determinatas secundum speciem, cū ad illas sequitur, non exorbitat à consueto, & fine; ergo quod habet causas dicto modo determinatas non est monstrum; maior patet ex ipsa notione monstri, & ex vulgata illa definitione. monstrum est naturalis effectus à recta & solita secūdum speciem dispositione degenerans; minor probatur; quoniam effectus, qui fit iuxta exigentiam, & naturam causæ ad hoc institutæ non deflectit à dispositione solita secundum speciem, & à fine, quem habent causæ talis speciei.

Ad rationem in contrarium.

Respondeo dicendum, quod aliud est, quod mon-

monstra habeant determinatas causas in natura secundum speciem; aliud quod aliquæ sint determinatæ viæ, quibus generantur monstra; primum est falsum; secundum est verum; nam vt monstra habeant determinatas causas in natura secundum speciem necesse est, vt à natura aliquæ sint institutæ causæ in certa specie, quæ pro effectu habeant monstrum, vt sint determinatæ aliquæ viæ ad efficiendum monstrũ satis est si certis quibusdam vijs in genere viuentium, & animalium peccetur, ex quo accidat monstrum; & hoc secundo modo si tamen vera sunt, quæ fama sæpe sæpius mendax de illis decantat, dicendum est fieri illa, quæ ibi enumerantur, quatenus tamen monstra sunt. nam si Pigmæi propriè homines non sunt, certas quidem causas habebunt secundum suam speciem à natura institutas, quoniã tamen non deflectent à recta, & solita secundum speciẽ dispositione, proprie proinde monstra non erunt; si vero homines sunt, & omnes certis regionibus tales fiunt, neq; mõnstra erunt, etiã si respectu nostrum monstra videantur. illa de Sciopedibus, & alijs ibi dictis non videntur valde credibilia; si tamen tale quid reperitur, in genere hominum censendum non videtur, sicut neque Satyri, neque mõstra marina, quæ referunt speciem hominis. de gigantibus solũ, de quibus dubium non est, quod homines non sint, alia videtur ratio; nam simpliciter gigantes monstra dici non possunt, si tamen contineantur intra certam magnitudinem humanæ speciei non repugnante; nam si illam prorsus excedant monstra erunt, vt degenerantes à solita lege speciei, & naturæ, nec certas causas in sensu dicto habere poterunt; quoniam non habebunt causas secũdum speiem ad ipsos inclinantes, sed aberrantes à fine speciei.

QVAESTIO NONA de fato.

QVoniam fatum cum causis enumerari solet, & humanam quandam necessitatem afferre videtur, idcirco post quæstionem de causis per accidens, vt in ipsis prorsus cõtentũ tractandum fuit, de quo videndum vtrum dati debeat & quid sit.

Art. primus. Vtrum detur fatum.

PRo parte affirmatiua est auctoritas antiquorum apud Tullium 1. de diuin. cuius illa sunt. fieri omnia à fato ratio cogit fateri. Chrisippus referente Gellio fatum esse dicebat sempiternam quandam, & indeclinabilẽ rerum seriem; Seneca in Quæst. naturalibus: quid intelligis fatum? existimo necessitates rerum omnium, actionumque, quas nulla vis rumpat.

Proxime accedunt ad errorem antiquorum nonnulli moderni hæretici, qui volunt omnia à Deo præfiniri tam bona, quam mala, nec minus esse opus Dei proditionem Iudæ, quã confessionem Petri.

Pro parte negatiua est irrefragabilis auctoritas Sanctorum Patrum, Greg. homil. 10. in Euangelia. absit à cordibus fideliũ, vt aliquid fatum esse credatur Aug. 5. de Ciuitate c. 9. & tract. 37. in Ioannem, & lib. de doctri. Christ. qui fatuos esse censet, qui aliquid fatum esse putant, idem alij patres.

Pro solutione.

Notãdum, quod stultum est, & impium admittere fatum eo pacto, quo illud posuerunt antiqui; nam licet verissimum sit, quod habet Aug. 3. de trinitat. c. 4. nihil esse in ista totius creaturæ amplissima quadam, immensaq; republica, quod non de interiori, atque intelligibili aula Summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur; tamen impium prorsus est existimare dicta vi, & potestate inditam esse hominibus necessitatem, qua se nequeant expedire, coganturq; ea agere, quæ agunt tam bona, quam mala; quis enim est qui in se ipso non experiatur liberrime se ea facere, quæ facit, & eadem libertate posse multa prætermittere, tum bona, tum mala, quæ libens, volensq; patrat? præterquam quod, cum omnia mala D.O.M. seuerissimis pænis prohibuerit, quis sibi persuadere possit, nisi prorsus impius sit, & mente captus, ad eadem mala Deum vi, & necessitate homines adigere? existimare autem alia quadam necessitate vrgeri homines, quod sit fatũ, fatuum est; vbi enim, & vnde ista necessitas? nũ ex Syderibus? sed quod sydus te nunc sedere cogit, ne stare possis? & si sydus cogit, cur non etiam cogit cæteros sedere; qui stant. præterea qui

qui fieri potest, vt singulæ vicissitudines, quibus homines millies mutantur in horam, ab astris imperentur, cum astra eadem sint, studia hominum eodem tempore penitus inter se diuersa, etiam sub eodem cælo & sydere; astrorum motus certi, & constantes sint, humanæ voluntates incertæ, & inconstantes? Itaq; fatũ dicto modo poni non potest sine nota erroris, & stultitiæ; vtrum autem aliter fatum admitti possit videndum est, & quidem quod aliquo modo admitti debeat fatum, si sano modo intelligatur, dubium non est; nam cum omnia administrentur diuina prouidẽtia, omnia etiã per ipsam aliquo modo ordinari debuerũt, eo tamen ordine, qui causis contingentibus, & liberis, maximeq; humanę voluntati non præiudicaret; nam cum summa efficacitate coniungi debuit summa suauitas, qua omnes causæ secundæ suis naturis relictæ sinerentur agere, & pati iuxta propriæ naturæ exigentiam, vt liberæ agerent libere, cotingentes contingẽter; nec tamen per hæc in mundo nasceretur confusio, finesque peruerterentur; vnde diuina sapientia à fine vsque ad finem fortiter quidem creata attingit omnia, sed suauiter, & maxima cum reuerentia disponit nos, atque relinquit in manu consilij nostri; vnde fictitia est omnis fatalis vis, & necessitas, à qua resilire non possimus, inductaq; videtur improborum hominum malitia, vt tegerent prauã mentẽ, prauamq; voluntatem, qua ijs probris se contaminant, quæ si aliquo pacto apud stultos sui fati nomine non excusatent, perpetuæ infamiæ macula notarentur; itaq; fatum in mundo videtur introduxisse improbitas, sicut fortuna temeritas, & imprudentia, vtraq; autem apud aliquos conseruat stultitia, & impietas, cum tamen nihil sit fatum, nihil fortuna ex ijs, quæ antiquitas, maximeq; poetarum licentia somniauit, sed fortuna sit tantum causa per accidens, de qua dictum est, fatum sit dispositio inhærens rebus mobilibus, per quam diuina prouidentia suis quęque nectis ordinibus, vt videbimus. quare.

Dicendum non dari fatum, vt posuerunt antiqui, patet ex dictis, & confirmatur; quia si datur hæc fatalis necessitas, vel hęc influit in causas secundas, vel non influit, si non influit, quo modo cogit, & necessitat; si influit, quomodo influit in mentem nostram & voluntatem, & quis est hic influxus? num aliqua cogitatio? at si per cogitationem influit fatum, quomodo influet in res materiales cogitatione carentes? si per cogitationem non influit, qua via mentes nostras mouet & necessitat? sine ergo ratione omnino ad missum est ab antiquis illis præsertim Stoicis fatum; vnde patet quid dicendũ sit ad auctoritatem ipsorum allegatam pro prima sententia, dicendum enim est ipsos in hoc turpiter lapsos, vt qui per fatum contingentiã, & libertatem sustulerint; nec minus quam ipsi turpiter, imo & impie lapsi sunt hæretici, qui suo dogmate non verentur Deum auctorem malorum constituere.

Obiicies. vel Deus certò cognoscit, & ordinat omnia futura, vel non cognoscit, & ordinat; si secundum, vt bene arguit cõtra Tullium Augustinus, tollitur Deus, cuius esse est cognoscere, & dicitur cum insipientibus, non est Deus: si primum, ergo datur fatum; nam quod à Deo cognitum, & ordinatum est, non poterit non esse; ergo necessario erit; sed fatum per Stoicos nihil aliud est quam ista vis necessaria: Ergo datur fatum, quod negatum est.

Respondeo dicendum, quod Deus cognoscit & ordinat futura; sed non aliter cognoscit, & ordinat ex parte ipsorum futurorum, quam futura sunt, contingentia cognoscit futura contingenter, necessaria necessario, & quod hoc pacto eueniant ordinat, & certò ordinat, nec vllam imponit necessitatem rebus, vt melius iam patebit.

Dices si hæc diuina cognitio, & ordinatio relinqueret res contingentes, quæ tales esse dicuntur, non esset infallibilis; nam si aliquid quod ordinat futurum, contingenter est futurum, ergo poterit non esse: ergo fallibilis erit diuina cognitio, imò & falsa, si reducatur ad actum illud, quod est possibile.

Respondeo dicendum, quod illud, quod cõtingenter est futurum non potest non esse futurum, & si contingenter est futurum, sine implicantia contradictoria, quia esset futurum, & non esset futurum; vnde si aliquis sit intellectus, qui penetret omne cognoscibile antequã sit, certo sciet futurum, & futurum contingenter, quod sic verè est futurum. quare diuina præscientia, quæ sua infinita vi cognoscit, & penetrat omne cognoscibile, etiam antequã sit, videt, & certo videt omnia futura, nec falli potest, nec fallibilis est; quia penetrat omnia, sicut futura sunt.

Dices, quæ futura sunt contingenter, vel penetrat Deus in seipsis, vel in causis, non in causis; quia causæ sunt ad vtrumlibet, non in se ipsis; quia hæc nullum adhuc habent esse: ergo.

Re-

Resp.dicēdū,qđ,& in se ipsis,& in causis, i se ipsis;quia ꝑ tali differētia tēporis futuri verè in se habebūt esse,quod cū sit cognoscibile, & diuinus intelleꝰ exhauriat omne cognoscibile ab eo cōsequēter cognoscitur.In causis; quia causa vt ꝓximè causatura,quātū vis antecedēter sit ad vtrūlibet, vt sic est determinata, quia secus ab ea nō esset vllᵒ determinatus effectus;statᵒ autē hic causę cū præcedat effectū, in hoc priori verè dicetur Deū certo,& infallibiliter cognoscere effectū in causa;nam,& hoc pacto si nō cognoscetet cōsequēter neq; cognoscetet effectū futurū in se, quod probatur,quia V.G.in actibᵒ liberis volūtatis bonis Deus ideo videt futurū talē actū,& nō aliū,quia cum tali gratia volūtas est factura,& nō factura cū alia gratia: ergo in cōiunctione talis gratiæ,cū voluntate videt effectū infallibiliter futurū;sed in hoc signo compositionis gratiæ cum voluntate nondū intelligitur actus bonus in se: ergo nisi prius videat effectū in cōiunctione talis gratię cum voluntate,non illum videt in se; quod cōfirmatur; quia si ante effectum in se in coniunctione talis gratiæ cum voluntate Deus nō videret effectū infallibiliter saltē non posset dare voluntati talē gratiā ex certa & infallibili præscientia effectus;sed magis casu,& ad experiēdū factura ne volūtas sit cū tali gratia;vnde saltem in hoc signo casu Deus componeret voluntatem cum varia & diuersa gratia nesciens adhuc quid sit futurum.

Art.2. *Vtrum fatum sit dispositio inhærens rebus mobilibus,per quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus.*

PRo parte affirmatiua est auctoritas Boetij 5.de cōsolatione philosophica,Prosa 6.vbi fatū dicto modo definit,quā definitionē amplexi postea sūt Scholast.&recētiores cōmuniter.

Secūda ratio.nisi dicto modo daretur fatum mira esset in orbe cōfusio,& multa euenirent, de quibus nō esset prouidentia;sed hoc impossibile cum per scripturam dicatur.Tua pater sapientia cuncta gubernat: ergo datur fatum.

Tertia ratio.diuinus intellectus prçuidet cūcta futura: ergo futura vt sunt præuisa habent aliquem ordinem; sed hic ordo vt est in rebus expressus est fatum: ergo fatum est dispositio inhærens rebus mobilibus &c. Pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima.dispositio est de prædicamento qualitatis,ordo de prædicamento relationis; sed impossibile est fatum esse aliquid de prædicamento qualitatis, vel relationis: ergo fatum non est dispositio inhærens rebus mobilibus,ꝑ quā diuina prudētia suis queq; nectat ordinibᵒ. minor probatur; quia in omnibus causis secundis nō est vna certa dispositio de prædicamēto qualitatis, nec vna certa relatio, cum tamen in ijs sit fatum.

Secūda ratio.si fatū inhęreret rebus mobilibᵒ faceret illas immobiles,cōsequens est absurdū: ergo & id vnde sequitur,sequela ꝓbatur; quia fatum certum esse debet; secus enim incerta esset diuina prouidentia; sed quod certū est immobile est; fatum ergo si inhæreret rebus mobilibus faceret illas Immobiles.

Tertia ratio.quidquid inhæret alteri est accidens:fatum accidens esse non potest:ergo fatū non est dispositio inhærens rebus mobilibus.

Pro solutione.

Notādū,qđ Deus cū sit omniū rerū auctor,& prima causa ꝑ intellectū debuit cūcta; quæ cōstituit,ordinare;quoniam ad intellectualē causā,pertinent ea,quorum est causa,disponere,& ordinare:secus enim sapiens causa non esset,& stultè, vel temerariè operaretur, quorū nullū cadere potest in Deū,cuiᵒ sapiētiæ nō est numerus,quiq;omnia fecit innumero,pōdere,& mēsura:Deus ergo cum summa sapiētia sit,& causa sapiens summa sapiētia cuncta instituit, nec tñ sic instituisse satisfuit, sed debuit sapienter instituta gubernare,dirigereq; vsq; ad finem; vnde summa sapientia à fine ad finem attingit omnia, quoq; maior est sapientia, eo magis se extendit ad illa, quæ ipsi subiecta sunt vsq; ad minimū,nec solū ad præsentia,sed & ad futura. Qūi tāto ordò perfectior est quāto diuturnior, & stabilior, oportuit ergo à diuina prouidentia rebus omnibus à se fabricatis constitui ꝑpetuum ordinē,quo infinem vsque cōtinerentur; porro ordo vt perfectus esset, non oportuit ꝑ ipsum præiudicari naturis rerū;sed iuxta naturas rerū institui; rerū autē quædam sunt cōtingentes, quædam liberæ,aliæ necessariæ,debuerunt ergo,& res contingentes contingentes relictæ, & liberæ relictæ suæ libertati ordinari; atque adeo ordo à diuina prouidētia impositus rebus bene concordare debet cum rebus mobilibus, & contingentibus, & tamen certus esse debet;quoniā secus certa nō erat prouidentia, neq; adeo esset stabilis, nec firma gubernatio; non fuit autē difficile sapientiæ infinitæ penetranti omnia, quæ futura essent in quacumque differentia temporis, quæque euenire possent

tam cõtingẽter, & libere, quam necessario, ordinare cuncta, nec vllam rebus afferre vim; vnde libera futura ordinauit liberè, contingentia futura cõtingẽter, & necessario necessaria, q ordo cum in diuina mẽte sit diuina cognitio, & ratio ꝓuidẽtię, ĩ reb⁹ nihil aliud esse debet, quã concinna accõmodatio rerũ, & causarũ secundarũ, per quã effectus à diuina prouidẽtia præuisi siue necessarij, siue contingentes infallibiliter tum necessario, tum cõtingẽter consequerentur: hæc autem concinna accõmodatio causarũ secundarũ dicitur dispositio inhærens rebus mobilibus; quoniam cum facta sit arte diuinæ prouidentiæ, bene dispositio appellatur; quia qui aliqua coaptat ad certũ finẽ illa dispo nere dicitur, vt dux & Imperator exercitum ad prælių; Princeps magistratus ad gubernandum Rempublicã; vnde dispositio inhærẽs rebus mobilibus nihil aliud est, quam series causarũ secundarum concinnæ, & sapienter dispositarum à diuina prouidẽtia iuxta quod exigebat ipsarũ natura ad fines toti vniuerso vtiles, per quã dicitur diuina prouidentia, suis quęque ordinib⁹ nectere: nõ est igitur fatũ dispositio aliqua de prædicamento qualitatis, nec ordo de prædicamento relationis, sed collectio causarũ secundarũ tum agentiũ, tũ materialium ad inuicem dispositarũ ad certos fines, & effectus infallibiliter producendos; vnde fatum ingrediuntur omnes causæ materiales, atque efficiẽtes à prima causa vsque ad vltimam, prima quidẽ vt principiũ fati, cæteræ oẽs, vt in quibus est fatum, seu quarum collectio, & ordinatio constituit fatum; nec tñ dici potest oẽs subijci fato, cum liberæ nullo modo fato subijciantur; talis enim subiectio diceret aliquam necessitatem quam causis liberis afferre non potest fatum; verum quidem est, quod ẽt causæ liberæ includuntur in collectione causarum, quam dicit fatum; quoniam dictæ prouidentiæ non minus facile fuit coordinate ad finem causas liberas relictas suis naturis, quãm cæteras oẽs; sicut nec difficile esset Imperatori summæ virtutis, qui sciret quantum posset vnusquisque suorum militum, & quantum posset vnusquisque militũ aduersarij, & quantum vnusquisque esset adhibiturus virium tali tempore, tali loco &c. ordinare oẽs suos milites ad victoriam infallibiliter consequendam; certi ergo apud Deum sunt fines, etiam causarum liberarum, certi exitus, atque adeo omnia certis ordinibus disposita sunt, nec tñ vlla rebus est imposita necessitas, sed mobilia immobiliter ex parte ordinis, & prouidentiæ constituta sunt; quia præuisa est in causis liberis ipsarum libera determinatio, vnde apud Deũ nihil noui est, cũ tñ in rebus multa noua sint, nihil incerti, & per accidens, cum multa tamen in rebus eueniant ꝑ accidens. quare diuina prouidẽtia expressa in rebus mobilibus cum immobilitate consequenti & euentus, fatum appellari põt; quamquã satius esset temperare ab hoc verbo, vt male sonãte, & in malam partem semper accepto, quæ fuit causa cur dixerit D. Aug. 5. de ciuit. Dei. cap. 1. si quis voluntatem, aut potestatem Dei intelligat nomine fati sententiam teneat, linguam corrigat; attamen quia iam cõmuniter à scholasticis adhibetur hoc nomen sub notione in dicta Boetii definitione explicata, ideo.

Dicẽdũ fatum esse dispositionem inhærentẽ rebus mobilibus, ꝑ quã diuina prouidẽtia suis quæq; nectit ordinibus. patet ex modo dictis, & vlterius sic confirmatur, quia nisi creata tali pacto essent disposita vitari non posset effectuũ confusio, & inordinata multiplicatio, per quã fines rerum peruerterentur.

Ad rationes in contrarium.

Ad primã respondeo dicendũ, quod fatũ est dispositio in sensu explicato; vnde nec est vna qualitas, nec relatio; sed dicit multa ordinata ad inuicem relata; quare fatum non est vnum quid nisi ordine, & collectione.

Ad secũdã resp. dicendũ, quod fatum se cõpatitur cum mobilitate rerum, & ipsarũ cõtingentia, & tñ consequitur quandã certitudinẽ, & infallibilitatem euentus, seu necessitatẽ cõsequentem; quoniam quod contingenter erit, vere, & certo erit, ac proinde, & necessario erit necessitate consequenti, quæ necessitas satis est, ne sit incerta diuina prouidentia. quare ad argumentum negatur simpliciter sequela maioris; ad probationem negatur quidquid certũ est esse immobile simpliciter; satis.n. est, quod habeat immobilitatem, quæ stat cum mobilitate, & cõtingẽtia causæ, vnde negatur cõsequẽtia.

Ad tertiam resp. dicendum, quod hic sermo est de inhærentia per accõmodationẽ, & nostrũ modũ intelligẽdi, qui multa disposita, & coordinata non intelligimus, nisi in ipsis intelligamus quandam dispositionem, & ordinem, cum tñ sine alia dispositione ab ipsis distincta multa disposita esse possint; vnde non est hic talis dispositio, & ĩhærẽtia, quæ accidẽs esse debeat; ad formã ergo argum. ad maiorẽ distiguẽda est, & concedenda de propria inhærentia, quæ solum propria est accidentis, non de accommodaticia,

cia, & secundum nostrum modum intelligendi, quæ fato conuenit.

QVÆSTIO DECIMA.
De causarum serie.

QVÆSITVM VNICVM.

Vtrum in causis dari possit processus in infinitum.

NOn potesse difficultas de causa materiali, & formali; quoniam nisi detur vnum primum subiectum, ex quo inexistente fiant res naturales, nihil vnquã fiet; debet enim dari vnum primũ subiectum, vt in eo fieri possint transmutationes; præterquã qđ impossibile est, quod res naturales cõponantur infinitis principijs materialibus, & formalibus; sed si in eis daretur ꝓcessus in infinitũ, hoc cõtingeret: nã cũ huiusmodi principia ad cõstitutionẽ totius nõ cõcurrant vnum post aliud, sed simul, non potest in eis ꝓcedi in infinitũ, nisi quia simul actu sint infinita, ac ꝓinde res naturales cõponãt prĩcipijs ĩfinitis, qđ esse nõ põt; quia finitũ nõ cõponitur infinitis; tota ergo difficultas est de causa finali, & efficiẽte; qm̃ in his causis aliquæ sũt subordinatæ per accidẽs, quę per se & essẽtialiter ad inuicẽ non pendent in causando, aliæ per se, & essentialiter ad inuicẽ pendẽt: quæ ad inuicem per se, & intrinsece in causando dependent, ità vt vna nõ causet nisi cõcurrat & alia, à qua essentialiter dependet, sunt subordinatæ essentialiter; cæteræ subordinatæ per accidens; de vtrisque autem est difficultas.

Prima sẽtẽtia affirmatiua vult dari posse ꝓcessũ in infinitũ in causis per accidens subordinatis, nõ vero in causis subordinatis per se, est eorũ, qui Mundũ posuerũt ab æterno; qm̃ dari nõ possunt æternæ generationes, nisi ea, quę ꝓximè nũc fit, præsupponat alias priores ĩfinitas; vnde nec causare põt ꝓximè generans, nisi causauerint alij, & alij in infinitũ, ac proinde necessariò in illa positione datur in causis, quæ actu in causãdo ad inuicẽ nõ depẽdẽt, sed pẽdent per accidens, processus in infinitum.

Secũda sẽtẽtia negatiua nõ admittit processum in infinitum neq; in causis per se, & essentialiter subordinatis; neq; in ijs, quæ subordinantur per accidens, est communis hoc tempore, & fuit illorum omnium, qui negarunt mundum potuisse esse ab æterno.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima non repugnat sicut Petrus est genitus à Paulo, Paul⁹ à Frãcisco, ita Frãciscũ genitũ esse ab alio & illũ ab alio ĩ infinitũ: ergo saltẽ in causis subordinatis accidẽtaliter dari põt ꝓcessu⁹ ĩ ifinitũ.

Secunda ratio, quotiescũq; causa adæquatè se põt cõicare effectui, etiamsi procedatur in infinitũ nũquam virtus deficiet: ergo nõ repugnat dari processũ in infinitũ in causis, antecedẽs ꝓbatur; qm̃ si causa A. potest cõmunicare totam suã virtutẽ causæ B. & B. alij in omni causa erit æqualis virtus: ergo quantumcumq; procedatur seruabitur virtus, atque adeo nunquã deficiet; vnde processus in infinitum non repugnabit.

Pro parte negatiua sunt hę rationes.

Prima ex 2 met. t. 6. si eiusdem rei essent infinitæ causæ subordinatæ, ità vt sũpto initio ab ea, quæ est ꝓxima ipsi effectui, fit ꝓcessus in infinitũ sursũ, oẽs essent etiã mediæ, idest, haberẽt aliquam superiorem; sed inferiores causæ non causant sine prima, cui sunt subordinatæ, prima autem non datur, ergo nulla causabit.

Secũda ratio. si dari põt ꝓcessus in infinitũ ĩ causis detur in specie humana, tum sic: ĩ specie humana nõ potest esse ꝓcessus in infinitũ, nisi hoĩes sint ab æterno; sed repugnat hoĩes esse ab æterno: ergo: maior patet, quia si inceperũt in tẽpore deuenitur ad principiũ, atq; adeo ad primũ hoĩẽ; min. pꝫ quia vel hoĩes oẽs facti sũt ꝑ generationem, vel aliquis fuit à se ipso, vel factus est à causa prima, si facti sunt ꝑ generationẽ, cũ singulos atq; adeo oẽs præcesserit generatio, nullus potuit esse ab æterno; quia æternitate nihil est prius, si aliquis fuit à se ipso, quomodo defecit? quãdoquidẽ ipse sibi erat ratio essendi; & cur potius vnus potuit esse sibi rõ essendi, quam alius, atque adeo oẽs? si primus factus est à prima causa, iam non est processus in infinitum; quia deuenitur ad primum.

Tertia rõ de fine ex 2. met. t. 8. de ratione boni cuiusmodi est finis, est vt per se appetatur: ergo nõ põt appeti ꝑpter aliud: ergo in ipso sistitur; atq; adeo nõ ꝓceditur in infinitum; vnde bene dr̃ loco illo, sed qui faciunt infinitũ, latet eos qđ boni naturã auferũt. præterea aut oẽs fines, qui actu intendũtur, expetuntur propter aliquẽ vltimũ finem, aut singuli propter se; si secũdũ ergo nõ sunt essentialiter subordinati, si primũ ergo nõ datur ꝓcessus in infinitũ, quia in ꝓcessu in infinitum non deuenitur ad vltimum.

Quarta rõ ex eodẽ loco met. null⁹ inciperet agere quidquã si nõ esset peruenturus ad finẽ; sed si daretur processus in infinitum non posset venire ad finem: ergo propter finem nõ ageretur,

atq;

atq; adeo finis non causaret. Pro solutione.

Notādū qđ ꝓcessus in infinitum siue in causis essentialiter subordinatis, siue accidentaliter tollit oēm causalitatē, & virtutem causandi; nam considerandū est, qđ sicut si nō sit fons, ex quo primo aqua emanet, Impossibile est, qđ aqua sit in alia, & alia parte aquęductus, ꝑ quē fluit; ità impossibile est esse vllam virtutē causatiuā in hac, & illa causa secūda, nisi sit prima causa, à qua oīs virt⁹ ꝓmanet: etenim cū ī secūdis causis sit ab alio, cōtra rationē est, vt in vlla illarum sit, & nō ab alio; si autē ab alio sēp est, deueniri debet ad vnū primū, qđ talē virtutem cōmunicauerit: nam in omni causa illius ꝓcessus virtus causandi est tamquam mutuata, debet ergo deueniri ad vnum, à quo sit tamquam ipsius propria, & non ab alio comunicata.

Considerādū enim 2. est, quod species totam pfectionē, quā habet essendi, habet in aliquo īdiuiduo, vel in omnib⁹; Quia species non reperitur extra indiuidua, in nullo autē indiuiduo habet esse non acceptum, siue in omni indiuiduo habet esse ab alio cōmunicatū: ergo esse, qđ est in omni re create, est participatū; vel ergo dari debet circul⁹, vel deueniri debet ad aliquid extra speciē, qđ habeat esse à se, qđ in aliquo indiuiduo speciē cōstitueris ī esse; si datur hoc secūdum tollitur in infinitū ꝓcessus; quia deueniatur ad primū; si dr̄ illud primū dari videlicet circulū in generationibus, prēterquā qđ idē sępius reproduci necesse est; cōsiderare 3. oportet, qđ generatio tot diuersarum partium, quæ à nullo proxime generante est ex consilio, & sapiētia, vel recta est casu, vel certè apta, rectaq; est extrinsecæ causæ vi institutētis, illud primū q. dicit satis se ostendet ignorārē, vt q. cōcedat cōstitutum quale videlicet est in corpore humano cōstare nō solū cētenis, sed millenis particulis, cōcedat inquā fortuiti cas⁹ temeritati, maxime cū nō fiat aliquādo, & raro, vt eueniunt ea, quæ fiunt à casu, sed ordinariè; At si dicatur secundum quomodo causa extrinseca, quæ nullum indiuiduum hoīs constituit, sed solum coagit indiuiduis vindicare sibi possit illam institutionem, cū ipsa se accōmodet causis secundis, vt patet in mōstris, quæ subinde cōtingūt, nō causas secūdas accōmodet sibi? vt proinde antequā ipsa intelligatur præbens suum cōcursum homini generāti, iā homo generās vim habere intelligatur ad operosā illā corporis humani structurā, quā nō intelligit, vnde necesse fit mirabile illud opificiū tandē reuocari in casum & spontanam quādam efficientiā, qđ sicut dictum est, affirmare insipientis est, & non valentis de rebus iudicare. prēterquā qđ quę stultitia sit alligare causas secūdas primæ, & facere illas in agendo à prima depēdētes, si causæ secūdæ à prima suū esse nō acceperūt? Quare .n. illi ī agēdo subordinatæ sint, si vim agēdi ab illa nō acceperūt? nūquid prima tyrānide vsa est, & sibi sufficiētes causas secundas, & vt sic dicā sui iuris, ꝑ vim in suam potestatem vindicauit? certe qui tollit ꝓductionē causarū secūdarū a prima causa non pōt eas illi subordinatas ponere, si velit loqui consequēter, quia secundæ primæ subordinatæ non sūt, nisi quia sunt entia ꝑ participationē, quæ habent totum suum esse à primo ente, sed ab illo esse non habent, si neq; oēs, neq; vlla illarū immediatè suū esse habuit ab eo, si q; vi illius à nō esse nō trāsiuit ad esse, sed ab alia eiusdē generis esse accepit. Quare positio illa sicut dicebatur in principio tollit omnem virtutē causādi in causis secundis, cū tollat cōmunicatā à fōte totius esse in causis, quæ nō habēt esse à se, & sūt entia ꝑ participationē, & oēm speciē ea habere velit sine vllo delectu, & cōsilio, quę cōstare non possunt sine summa arte, & sapientia, quam dum tribuit viribus rerum naturaliū sine intellectu eam instituente, loquitur pugnantia, & quod ponit euertit, vt proinde.

Dicēdū sit nec in causis subordinatis accidentaliter nec multo minus in subordinatis essentialiter, ad inuicē posse dari processū in infinitū, patet ex dictis, & rationib⁹ secūdæ sētētiæ. cōfirmatur quia omnis virtus causatiua in natura est instituta cum suis instrumētis, & organis cæterisq; requisitis ad agēdū; ergo ꝑ aliū extra talē ordinē instituta est. pꝫ cōsequētia, quia si talis virt⁹ à se esset sibi sufficeret, & esset intelligēs, quæ ꝓpter finē sciuisset tam benè præparare media; at si talis virtus nō sibi sufficit, nō est intelligēs, & est defectibilis & manifestū est aliū se agnoscere auctorē intelligētē & ea cōseruātē. speciatim autē qđ nō detur ꝓcessus in infinitū in causis subordinatis essentialiter patet; quia illa dicuntur essentialiter subordinata Quorū vnū immediatè ex natura rei pendet ab alio, vt sine illo non causet; at si dum causat causa infinitæ cū ea deberēt causare causæ processus iste nunquam finiretur. ergo.

Ad rōnes in cōtrariū. Ad primā respōdeo dicēdū illud repugnare, vt patet ex dictis. & vlteri⁹ ostēditur quia sicut repugnat moueri lapidē baculo, & baculū manu &c. & nō deueniri tādē ad primā virtutē & fontē totius motus; ità, & multo magis vnū moueri ad esse ab alio, & aliū ab alio, & nō deueniri tandem ad primū motorē, & primā causā, quæ ab alio nō sit; nā cur magis ī motu locali, deueniri debeat ad vnā primā virtutē motiuā, quæ nō accipiat vim mouēdi ꝑ motū, quā deueniri debeat ī motu ad esse?

Ad secūdā resp. dicēdū qđ etiamsi fieri possit, vt non deficiat virtus, & perfectio speciei, dato qđ semel cæperit, tamen vt incipiat obstat omnino processus in infinitum incipere autem necesse est si à se non sit, cuiusmodi est omnis virtus creata, & causarum secundarum

Laus Deo Optimo Maximo Virginique Deiparæ.